diem vel sub conditione, vel si rogati sint præstare fideicommissum speciale vt lucrifaciant fructus medii temporis: & præterea ex rebus ipsis fideicommissi specialis ferat quartam si fideicommissum oneret hereditatem aut si fideicommissa multa sint specialia, quę onerent vel exhauriant hereditatem. Et additur in hac l. idem iuris esse si filii heredes instituti onerati sint legatis vt scilicet in quartam quæ proprie dicitur Falcidia cum deducitur ex legatis non imputent fructus medii temporis. Denique in nullā quartam filii heredes instituti imputant fructus medii temporis quod procedit nō tantum si a filiis legata vel fideicommissa extraneis relicta sint, sed etiamsi ipsi filii heredes instituti ex partibus inuicem substituti sint per fideicommissum, id est, si rogati sint vt qui diem suum obirent sine liberis partem suam superstitibus fratribus restituerent.

Quam conditionem si sine liberis diem suum obierit e- B
tiam Zeno in hac *l. §. pen.* Docet deficere eam conditionem vel vno relicto filio aut posthumo vel vno nepote ex filio vel filia vel vno pronepote ex nepote, vel ex nepte, quod confirmat, *etiam l. 1. infr. de condit. insert. & l. pater §. 1. D. de condit. & demon. l. non est sine liberis, D. de ver. & ver. sign. August. lib. 16. de ciuit. Dei cap. 40.* in *Latinæ linguæ consuetudine*, inquit, *liberi dicuntur filij etiamsi non sint vno amplius.* Idem quoque iuris vt scilicet filii non imputent in Falcid. fructus medii temporis vel quæcumque sunt fructuum vice vel vsuras pecuniarum, non tantum si, vt dixi, inuicem sint substituti per fideicommissum sed etiamsi separatim quibusdam vel cuidam ex filiis si sine liberis moreretur superstes, vel superstites fratres per fideicommissum substituti sint, & quod dico si separatim lex dicit, simpliciter, si simpliciter rogati sint, id est, separatim non inuicem non vicissim non mutuo. vox simpliciter, quam varie ac-
C
cepta est, *Nouel. de heredibus & Falcidia*, vt docui sup. ti-

A post moram, id est post lit. contest. imputent in Falcid.

Omnis mora dispendiosa est aut esse debet, & *sequitur in §. in supradictis*, aliud ius singulare quod datur filiis solis heredibus institutis, vt scilicet si filii heredes instituti rogati sint hereditatem restituere non dico iam fratribus sed nepotibus, id est filiis suis non cogantur nepotibus, id est, filiis suis præstare cautionem de fideicommisso quæ ex dicto iure desideratur a fideicommissario, nam filio fides patris satis esse debet nec desideranda est fides alterius. Excipiuntur tantum duo casus quibus pater a patre suo heres institutus & rogatus nepoti hereditatem restituere debet nepoti præstare cautionem fideicommissi. Prior casus hic est qui proponitur in hoc casu. Si testator iusserit caueri nepoti de fideicommisso pēdente conditione fideicōmissi vel die quoniam testator hoc non iubet sine aliqua prouidentia & notitia morum filii heredis instituti, vt æquum sit huic voluntati testatoris obtemperare. Secundus casus hic est, si filius heres institutus & rogatus restituere hereditatem filio aut filiis suis ex priore matrimonio susceptis soluto eo matrimonio transeat ad secundas nuptias. Nam quia secundæ nuptiæ plerumque alienant animos parentum a liberis primarum, ideo vt in tutum redigatur fideicommissum hereditatis, & hoc casu debet pater præstare filio cautionem fideicommissi sed non qualem præstari oportet aliis fideicommissariis quibus præstatur satisdatio fideiussorum, *en baillant respondant*, vt loquitur, *l. necnon D. ex quib. caus. maio.* Sed & pater filio fideicommissario, non dabit satisdationem fideiussorum, præstabit autem nudam cautionem tantum, nudam repromissionem vt *l. filio D. Vt leg. nomine*, quoniam pater non est acerbe exigendus non auare, & sufficere vbique debet filio fides patris quem habere debet pro bono viro & reuereri & inuerecundum est desiderare alienam fidem. Et ita licet, in hoc §. ia
...bo satisdationis vt illis duobus c...

σαφῶς καὶ μὴ πανούργως, id est, *bona fide non mala*, & in ... quis ita D. de neg. gest. Id est, summe & εὐηθῶς, puta cum quis suum negotium in suis bonis gerit quasi alienum, id est, existimans esse alienum, quæ est summa supinitas & simplitas nescire sua bona suaque negotia, & ea accipere pro alienis, quo ex gestu non est actio negotiorum gestorum quamuis animum habuerit gerẽdi negotia aliena. Verum hæc mittamus & pergamus explicare cætera quæ continentur, in hac l. quod dat filiis, vt in Falcid. non imputent fructus medii temporis docet obtinere etiamsi filii rogati sint restituere hereditatem nepotibus defuncti, id est, filiis suis vel pronepotibus. i. nepotibus suis vel deinceps cæteris liberis. Et ita præcipuum huius legis diuido in 3. partes contra quam faciat Accurs. vt prima pars sit de quarta Trebell. ne in eam imputentur fructus intermedii: Secunda autem pars sit de quarta Falcid. quæ ducitur ex legatis, vt in eam similiter a filiis non imputentur fructus medii temporis. Et notandum hanc secundam partem his verbis contineri, idemque in retinenda legis Falcid. portione obtinere iubemus. nam post verbum, iubemus, punctum apponi oportet, vt tertia pars incipiat ab his verbis, *etsi pater*, &c. quæ est de nepotibus vt si filii heredes instituti rogati sint nepotibus, id est, filiis suis restituere hereditatẽ etiam non imputent in Falcidiam fructus medii temporis. Et notandum hoc ius tantum dari filiis heredibus institutis non etiam nepotibus heredibus institutis vel aliis liberis in §. *vlt. huius l.* filii hic habent præcipuum supra omnes liberos. Nec omittendum est ex *cap. Rainutius extra de testam.* Hic ius singulare datũ esse filiis in fructibus perceptis ante litem contestatam. nam æquissimũ est vt fructus perceptos

in qua tertia ... sententia huius §. & pro satisdatione vertit ἀσφάλειαν quo nomine nuda cautio significatur, in *l. 3. supr. de verb. sig.* Ergo illis duobus casibus filius iure desiderat a matre primum cautionem fideicommissi pendente causa fideicommissi, & a patre etiamsi filius sit sui iuris non si sit in potestate patris quoniam nũquam restituitur fideicommissum filiofam. nisi emancipetur, vel nisi dilapidet pater bona quę filiof. suo forte post mortem restituere iussus est. Nam ob dissolutos mores patris etiam filiofam. repræsentatur fideicommissum, quam in rem est elegãtissima, *l. imperator ad Senatusconf. Trebell.* & hæc est interpretatio, *l. iubemus.* Ex l. penul. primum notãdum est pupillo relictam hereditatem fideicommissariam ipsi pupillo esse restituendam tutore authore, quoniam restitutio fideicommissi potest esse damnosa, propterea quod transferuntur onera in fideicommissarium ex Senatusc. Trebellia. idcirco interponi authoritatem tutoris oportet non tutori restitui sed pupillo tutore authore videlicet, si pupillus sit præsens & si fari possit, nam & vox fideicommissarii desideratur, vt desideret adiri hereditatem suo periculo si heres suspectam eam dicat & recuset adire: Sed quid fiet si pupillus sit absens, vel si fari non possit. Et hoc casu constituit Iustin. in *hac l. pen.* vt recte fiat restitutio hereditatis tutori soli, non vt procuratori pupilli sicut Accurs. ait: quia si fieret ei vt procuratori pupillum non obligaret oneribus hereditariis antequam ratum haberet, vel ab eo bona recepisset, sed fit restitutio tutori vt tutori ex Senatusc. Trebell. quæ pupillũ obligabit. Et ita quoq; si furioso sit relicta fideicommissaria hereditas restitutio potest fieri ex Senatusc. Trebell. ita vt obligetur furiosus soli curatori eius quia furiosus habetur pro absente & pro infante. Et hæc Constit. Iustinia-

NAVARRO J.B.

[illegible] esse constituendum aliquid a principibus, scilicet, & quod eo iure non vterentur non posse se introducere aut definire opus esse constitutione principis, & ita sæpissime in iure in ἀμηχανίᾳ, in loco præcipiti, vt loquitur, *l. cum quidam sup. de administ. tut.* implorandum est principis auxilium, cōsulendus est princeps, vt in *l. itaque D. de fid. lib. & l. si cui legatum D. de cond. & demon.* vbi extra ordinem constitui oportet, inquit, Iurisc. in quæstione aliqua dubia a principe, scilicet non a Prætore quæ ibi proponitur, *l. 2. in fine D. de reb. eorum qui sub. tut. sunt*. Et Iustin. in quæstione proposita suscipit has partes, in *l. pen. & vlt.* vt superioribus tribus casibus ipso iure transferantur actiones in fideicommissarium quod duobus prioribus casibus sane verum est sine restitutione vlla. Sed tertio casu omnino desideratur restitutio primi fideicommissarii, vt *d. §. de illo & §. seq.* vt mirer huic *l. pen.* opponi, § *de illo* cum secundum illum §. sit accipienda l. pen. vt tertio casu ipso iure transferantur actiones in secundum fideicommissarium restituta hereditate a primo perinde, ac si primus esset heres testamento scriptus Senatusc. Treb. porrecto etiam ad hunc casum: nec tamen existimandum est primum fideicommiss. deducere Falcidiam. nam hoc certum est in iure solum heredem directo institutum detrahere Falcid. aut solum legitimum cui directa hereditas lege defertur non fideicommissarium, fideicommissarius primus secundo solidum restituit, in *l. cogi §. Mæcianus, l. si patronus §. quis fideicommiss. D. ad Trebell. l. lex Falcid. §. vlt. ad l. Falcid. D.* nisi, scilicet fideicommiss. primus eā deducat ex persona heredis qui forte noluit eam deducere & totam restitui primo fideicommissario, vt ipse eam deducet a secundo, vt in *l. 1. §. inde Neratius, D. ad Treb.*

pro non datis, vel relictis habentur, [illegible] *tuendis*. Dico, *post mortem testatoris*: nam ea tantum proprie dicūtur caduca, directo nomine, aperta voce, vt ait, *in §. & cum triplici h. t.* quæ deficiunt post mortem testatoris; quæ D autem deficiunt viuo testatore, vt si legatarius moriatur viuo testatore, vel si conditio legati viuo testatore deficiat, ea in lege Papia dicuntur esse in causa caduci: quia eodem iure sunt, eademque conditione qua sunt caduca: nimirum, vt recidant in fiscum, *d. §. & cum triplici*. Dixi, *aliqua ex causa*. Causam accipiens pro casu. Sunt autem caducorum quinque casus. Primus hic est: si post mortem testatoris ex parte heres scriptus vel legatarius vita decesserit ante apertas tabulas, quod est antequā cederet dies legati, vel dies adeundæ hereditatis, nam ex lege Iulia & Papia is dies incipit ab apertis tabulis, & recte ait Vlp. in supra dicto loco *ex parte heres scriptus*: quoniam non potuit adire hereditatem ante apertas tabulas: at heres scriptus ex asse potuit adire hereditatem clausis tabulis testamenti, *l. mulieri. l. multum. ff. de cond. & demonst. l. 1. §. vlt. de iur. & fact. ignorant.* Secundus E casus: Si post mortē testatoris ex parte heres scriptus vel legatarius ante apertas tabulas, vt Vlpianus loquitur, supradicto loco, *pereger factus fuerit*, id est, si peregrinus factus fuerit amissa ciuitate Romana: vt si deportatus sit in insulam quæ peregrinitas pro morte habetur, *l. 1. §. filium, ff. de bonor. possess. contra tabul. l. verum, §. vlt. ff. pro socio*, & peregrinus incapacibus annumeratur. Dixit autem Vlpianus *pereger*, pro *peregrinus*, non male; cum & veteres dixerint *peregris, Ausonius epist. 17. Nedum me peregrem existimes, compositorem fabularum. &c.* Tertius autem casus hic est, vt cōstat ex eodem Vlpia. si legatum aut hereditas relicta fuerit cœlibi;

COMMENTARIJ AD LIBROS GALENI

DE DIFFERENTIJS FEBRIUM, DE PULSIBUS AD TYRONES, ET SPURIUM DE URINIS.

AUTHORE
JOANNE BAPTISTA NAVARRO
Castullonensi, Doctore Valentino, & supplementi curriculi Medicinæ in Valentinorum Schola Professore.

OPUS
IN GRATIAM TYRONUM EXPURGATUM,
& duobus tractatibus auctum:
ALTERO DE CRISIBUS CELEBRISSIMI
Doctoris Andreæ Laurentij:
ET ALTERO DE INDICATIONIBUS
clarissimi Doctoris Thomæ Longàs.

CÆSAR-AUGUSTÆ:
Ex Typographia Hæredum Emmanuelis Roman, Universitatis Typographi, Anno 1725.
Expensis Josephi de Mendoza, Librorum Mercatoris.

NOS Petrus Garcès Presbyter I. V. D. Prior de Ruesta, ac pro Illustrissimo & Reverendissimo Domino D. Fr. Isidoro Aliaga Dei, & Sanctæ Apostolicæ Sedis gratia Valentino Archiepiscopo, & de Concilio suæ Regiæ Majestatis, &c. in spiritualibus, & temporalibus Vicarius Generalis, in Diœcesi. Valentina. Quia Augustinus Marti Medicinæ Doctor præsens libellum de Vrinis Auctore Joanne Baptista Navarro Doctore Medico, attente perlegit, nobisque retulit ipsum esse valde utile, & necessarium ad communem Medicorum usum. Ideo tenore præsentium, ut Typis mandari possit in præsenti Civitate, & Diœcesi. Valentina licentiam concedimus, & impartimur. Et mandamus ut antequam in lucem adeat, deferatur coram nobis ad comprobandum cum suo originali. Dat. in Palacio Archiepiscopali Valentino, die 29. Mensis Maij, Anno à Nativitate Domini, 1628.

D. Garces Vic. Gen.

De mandati dicti Dñi. Vic. Gen.
Matthæus Catasat Not.

Imprimatur.
Alcaraz Vic. Gñl.

Imprimatur.
Pons, Reg. Fisc. Adv.

FAcultate mihi commissa ab Ampliss. & per Illustri D. Petro Garces, pro Illustris. ac Reverendissimo Domino D. Fr. Isidoro Aliaga, Archiepiscopo Valentino, Vicario Generali, has explanationes in lib. Galen. de Pulsibus ad Tyrones Vrinis, & Febribus, vidi, & attente perlegi, utilissimas quidem ad communem Medicorum usum necessarias, quare dignas judico, ut prælo mandentur. Datum Valentiæ, die 9. mensis Jannuarij, 1628.

Augustinus Marti Doctor Medic.

HEC-

LECTORI,

ET OMNIBVS QVI STVDIVM MEDICVM profitentur.

QVanquam in tyronum gratiam repetitis vicibus prælo data ſunt opera Joannis Baptiſtæ Navarro, & hæc jam in octavo jam in quarto lucem viſa ſunt, tamen nec abundare ipſa potuerunt, nec expurgata unquam reperta ſunt. Gradum illum eſtimationis adempta ſunt à tyronibus, ut vix ipſorum aliquod reperiri poſit aliter, quam ſummo labore, & non parva moleſtia atque faſtidio cauſatis in legendo: Nam prædicta opera tot abundant mendis, quot litteris, itaque his de cauſis motus, qui occupatos, & non ocioſos amat eos qui ſtudio Medico applicantur, illa, ſuis expenſis, prællo comendat, & cura repurgat. Tractatus de Criſibus amotus eſt, & ejus loco qui ab Andrea Laurentio laboratus eſt ſubrrogatur: Sed ſine vocibus græcis, tabulis, & notis marginalibus quia hoc modo breve, facile, expeditumque ſit ſtudium. Annexus eſt præterea Tractatus de Indicationibus à Sapientiſsimo Longàs Scriptus, ut ita omnes tractatus qui ad faciendam praxim neceſſarij ſunt, uno volumine, & pauco pretio haberi poſint. Denique index titulorum omnium quo hactenus opera caruerunt, additus eſt, ut ita in rebus inveniendis, inutiliter tempus non conſumatur: Vtinam res ita ſit, & floridiſsima juventus gravioribus in rebus ad ſtudium promoveri valeat.

IMPRIMATUR.

Mena.

JOANNIS

JOANNIS BABTISTÆ NAVARRO, CASTULLONENSIS,

DOCTORIS MEDICI, ET SCHOLÆ MEDICÆ VALENTINÆ PROFESSORIS,

IN LIBELLUM DE URINIS, GALENO, falſo aſcriptum, explanatio.

JOSEPHO STRUTHIO POLONO INTERPRETE.

PRÆFATIO.

DISPUTATIONEM de urinis, hodierna die, explanandam aggrediamur; quæ ſane tractatio difficillima quidem, necnon etiam utiliſsima, ſi quæ alia, quæ in noſtra arte continentur, cenſetur: cum urinarum cognitio, maximi momenti ſit in re medica facienda, ut clare apud omnes Auctores ſcriptum invenitur; imò ipſe Gal. 4. ſanit. tuendæ, cap. 4. & 1. criſe. cap. 7. Viſus eſt urinæ cognitionem, pulſus notitiæ anteferre: neque immerito, quoniam ſi dignitatem cognitionis urinæ ſpectemus inveniemus, haud dubie urinarum

ſpeculationem, pulſus notitiam antecellere, ac antiquiſsimam eſſe, ut habemus apud Ariſtophanem, comicum antiquiſsimum, qui Medicos antiquos deridebat, quod ſtercora, & urinas inſpicerent. At pulſus notitiam, novam eſſe, negare non poſſumus: Hipp. enim pauciſſima, eaque obſcuriſsima de pulſibus ſcripſit, Ariſtoteles etiam, ejus ſequax, ita obſcuriſsimè de pulſibus loquutus eſt, ut horum notitia, ejus tempeſtate, ignota viſa ſit. Si etiam certitudinem utriuſque conferamus, dubium non eſt, quin cognitio morborum, certior ex urinis habeatur, quam ex pulſibus; namque pulſuum notitia, adeo incerta ſemper eſt reputata, ut Herophilus, qui primus omnium, pulſuum notiā ſcriptis tradidit, propter rei dificultatem, à diſcipulis fuerit deſertus, ut refert Plinius lib. 11. c. 17. Gal. etiam docet, ſe plurimis annis, in ſola ſyſtole dignoſcenda, elaboraſſe. At vero urinarum cognitio, magis certa eſt, conſtans, ac permanens, cum ex earum inſpectione, morbos omnes, ac præcipuè venoſi generis, certius dignoſcamus. Cum igitur tot bona ex urinæ notitia expectentur, digna ſane eſt, ut ſuma diligentia ab omnibus memoriæ commendetur.

Primum autem omnium, animadvertere oportet, aliquos falſo hunc librum Galeno aſcribere, ea ſolum de cauſa, quia ſcilicet Gal. commentario in lib. Hipp. de humoribus, fatetur ſe librum de urinis ſcripſiſſe. Quæ ratio frivola ſanè eſt, cujus falſitas facile cuivis patere poterit, qui vel mediocriter erit in lectione Gal. verſatus; nam liber ille, de humoribus, inter legitimos Gal. libros, non adnumeratur, cùm aliqua contineat, quæ e diametro ipſi. Gal. repugnent, & Potius Arabicam ſectam referre videantur, quam Gal. dogmata. Tum etiam, quia in hoc libello, de urinis, multa falſa reperiuntur, & Gal. repugnantia, quale eſt, inter alia, illud quod legitur cap. 4. Vrinam, ſcilicet flavam fieri ex mixtura coloris flavi, & rubicundi, quam ſplendicantem Gal. appellat, lib. 1. de criſib. Quod falſum eſt, cum neque id verum ſit, neq. 1. de criſib. legatur: imò verba illa apertè indicant, non eſſe Gal. librum, cum ibi Auctor, ipſius Gal. mentionem faciat. Quare libellus hic de urinis, non erit recenſendus inter veros, ac legitimos Gal. libros, falſoque ab aliquibus ipſi adſcribi.

Ferdinandus Mena in Procœmio ſui Comentarij, in hunc librum, Auctorem hujus lib. affirmat eſſe Ætium: hoc autem parum refert cujuſcumque Auctoris ſit, dummodo quæ Tyronibus ſunt neceſſaria ad diſputationem de urinis, debito ordine, cum hoc incerto Auctore explicemus, cùm alius liber non inveniatur, de hoc argumento ſcriptus, qui breviter omnia quæ ad urinas pertinent complectatur. Hipp. enim, & Gal. ſparſim ea reliquerunt ſcripta, in libris ſcilicet Prognoſticorum, Epidemiorum, & Aphoriſmo-

morum, & Gal. in eorum commentarijs; tum etiam 4. ſanit. tuend. cap. 4. 3. de cauſ. ſymp. cap. 2. & 1. de criſib. cap. 7. & 12. quæ omnia loca, nos diligenter obſervabimus, ut veritatem in propoſita diſputatione adinveniamus.

Inſtitutum hujus Auctoris eſt, proponere omnes differentias, & cauſas urinarum, oſtendereque etiam qua ratione ex urina prædicendum ſit, quod ad imitationem Gal. in vaſto illo, ac magno de pulſibus opere, præſtitit. Nos itidem ipſius ordinem ſequuti, id præſtabimus, tradentes prius urinæ notionem, atque eſſentiam, tùm etiam aliqua præcepta, ſeu obſervationes in medium proponentes, ut commodius Tyrones, ad urinarum differentias dignoſcendas abſque ullo errore accedant. Deinde oſtendemus differentias ſimplices urinarum, poſtea compoſitas, tum cauſas ſimplicium differentiarum, poſtea compoſitarum, & tandem in calce lib. agemus, cum Auctore, de ſanorum urinis, quamvis præſtitiſſet primo loco, urinam ſanorum proponere, veluti Hipp. in prognoſticis facit, poſtea differentias aperire.

Ex his quæ hactenus dicta ſunt, ſatis manifeſtè conſtare arbitror, maximam eſſe hujus diſputationis utilitatem, eſt namque ad omnes fere medicinæ partes utilis urinarum ſcientia. Imprimis maximi momenti eſt ad partem medicinæ ſalubrem, tum etiam, & dignoſticam, quoniam cùm urina indicet affectus venarum, & hepatis, coctionemque, & cruditatem oſtendat: hinc fit, ut ad cognoſcendum corpus ſanum, lapſum, & ægrum, maxime fit utilis: cognoſcimus enim per eam, corpus quod ſanum eſt, & veſicæ, renumque ulcera, intemperiem etiam hepatis, & renum, cacochymiam humorum, febrium differentias, & tandem febrium putridarum tempora. Eſt etiam utilis, & neceſſaria urinarum cognitio, ad partem medicinæ prognoſticam, etenim urina, fidele ſignum eſt, ac certum, ex quo morbum brevem, aut longum futurum eſſe cognoſcimus, ſalubrem etiam, ac lethalem, coctionemque, & cruditatem, quæ omnia ars prædicendi docet. Tandem maxime utilis eſt urinarum ſcientia, ad partem medicinæ curatricem: nam docet nos, qua ratione morbos, & eorum cauſas dignoſcamus, à quibus initium curationis incipit. Vnde fit, ut non ſolùm in affectibus venerarum; ſed in alijs etiam affectibus medici atente conſiderent urinarum differentias, quod indicavit Gal. 3. epi. part. 2. con. 6. dicens. *In morbis ventris; thoracis pulmonis, & nervorum, ſemper inſpiciendas eſſe urinas: nam bonæ ſi appareant, magnum præbent momentum ad ſalutem, contra ſi prava, amplificant ſimul ægri periculum.*

DE VRINÆ NOTIONE, generatione, atque essentia.

ANtequam ad hujus libeli explanationem accedamus, ut hæc nostra disputatio debito ordine procedat, dilucidiorque, ac clarior evadat: non inutile visum fuit nonnulla prius de urinæ notione, generatione, atque essentia, in medium adducere, & dubitationes, quæ ex his emergere videbuntur, discutere: ijs namque ignoratis, neque differentias, neque causas imò neque urinarum prognostica, discernere poterimus. Imprimis illud quod mingendo excernitur, urina, seu lotium comuniter ab omnibus appellatur. Hæc est notio urinæ. Circa ejus vero generationem, atque essentiam, variæ fuerunt antiquorum sententiæ: namque Heraclitus, Philosophus antiquissimus ut refert Arist. 14. sect. problematum, prob. 6. estimavit urinam eodem modo in nostro corpore gigni quo pluviæ in universo mundo generantur, nam quemadmodum observamus in hoc mundo, vapores ex ipsa terra elevatos in summa aeris regione concrescere, & in aquam converti sic similiter in nostro corpore, continuos vapores elevari, qui in vesicam delati, ubi in urinam concrescunt. Quam sententiam, Asclepiades quoque secutus est qui putavit, potum omnem qui intra corpus assumitur, in halitum, & vapores converti, qui postea vesicam permanentes, ibi, concrescunt, tandemque in urinam transmutantur. Hanc sententiam tribus possimum rationibus refellit Gal. 1. de facult. natural. cap. 12. Ideoque nos in præsentia, nihil immorabimur in illius refutatione.

Cæterum, ut comodius, atque exactius; urinæ generationem, & naturam Tyrones intelligant, aliqua snnt prius præmonenda. Sciendum itaque primo est ex Gal. 1. sanit. tuend. cap. 3. Quod cùm assidue, & quotidie singulis animalibus, propter insitum partibus calorem, multa substantiæ portio defluat, ac dissipetur, necessum fuit hujusmodi dissipationem naturam restaurare, quod nulla alia ratione præstare potuit, quam opera cibi, & potus: proindeque factum fuit, ut partes alimento destitutæ, naturali quodam appetitu, ad quærenda alimenta moveantur, aliæ ex alijs, donec sensus ille succionis, & rei deficientis, ad ventriculum perveniat; ventriculus vero, cum aliam non habeat partem, nisi ipsius orificium, attrahit ex illo: illud vero, cùm exquisitissimo sensu sit præditum, propter sextum par nervorum, fere totum in ejus substantiam disseminatum; ut docet Gal. 4. de usu part. cap. 7. movetur ad quærenda alimenta; cumque alimenta ipsa, & potiones, non omni ex parte concoquantur, & corpori assimilentur, hinc necessario excrementorum generatio sequuta est, & natura, ne hujusmodi excre-

cre-

crementa aliquam molestiam, vel periculum corpori adferant, non solum ipsius excludendis, excernendisque instrumenta fabricabit; verum etiam ipsis instrumentis facultates inservit, quibus incitat quædam ad se trahunt, quædam alijs transmittunt, quædam, excrementa expellunt; ita Gal. 1. sanitat. tuend. cap. 3. & 12. & 1. de facultat. natural. cap. 10. exemplo coctionis ventriculi, & hepatis demonstraverat.

Sciendum etiam est, alimenta postquam in ventriculum ingesta sunt, à proprio illius calore, alterari, & in substantiam quandam albam, ac liquidam transmutari, quæ Græce, chylus, dicitur, & hæc dicitur prima concoctio. Deinde hac facta alteratione, ventriculus, partem chyli sibi convenientem apponit, & assimilitat, atque ea verè nutritur, docente Gal. 3. de facultat. natural. cap. 7. & 13. quo tempore, quod inutile est, quodque nullam potest recipere coctionem, secernitur, & segregatur, & ad ipsa intestina expellitur ut sunt fæces quæ cotidie per alvum deijciuntur; quod vero utile est per venas mesaraicas ad jecur defertur, ibique propriam formam sanguinis acquirit. Atque hæc dicitur secunda concoctio. Tandem sanguis hic in jecore elaboratus, ad gibbam ejus partem ascendit, & per venam cavam, veluti per quendam aquæ ductum, in dextrum, ac sinistrum cordis ventriculum defertur, & per venas pene infinitas, ad omnes corporis partes distribuitur: quodque ipsis partibus simile est, ac familiare, illud sibi attrahunt, assimilant, & apponunt; quæ tertia concoctio appellatur. Cæterum quia neque alimenta in ventriculo, neque chylus in jecore, neque sanguis in singulis corporis partibus, ita possunt à natura concoqui, ac superari, quin aliqua semper remaneant, quæ ad hujusmodi concoctionem sint inepta, propterea fit, ut in singulis concoctionibus, varia consurgant excrementa. Igitur cum ex sententia Gal. tres tatummodò sint concoctiones in nostris corporibus, & in singulis, varia generentur excrementa, urinaque, ex omnium Medicorum sententia, nostri corporis sit excrementum, dubium sane est, cujusnam coctionis excrementum appellatur.

DVBITATIO PRIMA.

Cujus coctionis excrementum, dicatur urina.

VT hujus dubitacionis solutio commodius inquiratur, tradenda prius est urinæ diffinitio, & essentia illius explicanda. Imprimis Hippocr. lib. de alimento vehiculum alimenti appellat urinam. In hanc etiam incidit sententiam Gal. 4. de usu part. cap. 5. docens usum urinæ: nam si ipsa deficeret, passim fierent in venis hepatis obstructiones. Autor. lib. definitionum, sic defi-

definit urinam, dicens, esse serositatem à sanguine percolatam, & ad vesicam transmissam, hic certè auctor vera dicit: non tamen rectè explicat totam materiam urinæ, cum præter serum, bilem contineant, qua tingitur, & contentum, quod innatat, aut subsidet. Hanc eandem definitionem videtur Actuarius tradidisse, cum 1. lib. de diff. urinarum, cap. 4. Sanguinis colaturam etiam nominet, quoniam, inquit, renes seroso sanguine delectantur.

Verum supradictæ diffinitiones, cum non integre urinæ essentiam explicent, prætermittendæ sunt, aliaque erit adducenda, quæ commodius id præfert: est autem hujusmodi. *Vrina, est serum humorum, à renibus attractum, indeque per vreteres ad vesicam percolatum, ut utile fiat sanguis animalibus nutrimentum.* Quam diffinitionem probamus, quia explicat materiam, instrumenta, & usum urinæ materiam quidem, cùm dicimus: *Esse serum humorum*, siquidem urina, ex substantia præcipuè serosa humorum constituitur, ut latius postea ostendemus. Instrumenta itidem proponuntur in hac diffinitione cum dicimus: *Indeque per vreteres ad vesicam percolatum*, namque, ut Gal. ostendit 2. lib. de facultat. natural. renes facti sunt à natura, ut instrumenta sin secretionis urinæ, quam attrahunt, & expurgant à sanguine similitudine totius substantiæ; quemadmodùm enim lien attrahit, familiaritate substantiæ, sanguinem melancholicum ex jecore ad sui nutritionem, & quod sibi inutile est, ad fundum ventriculi expellit: eodem etiam modo renes, ex vena cava sanguinem serosum attrahunt, & à massa sanguinaria separant, non temere, sed similitudine substantiæ, ut eo sanguine nutriantur, abundeque nutriti, serum redundantem, & inutilem, per vasa quædam, quæ vreteres appellantur, ad vesicam expurgant, quod serum, urina dicitur.

Tandem traditus fuit, in prædicta diffinitione, usus propter quem in vena cava separatur serum à massa sanguinaria, nimirum, *ut sanguis toti corpori nutriendo utilis reddatur*: nam substantia serosa, inutilis est, inutilemque sanguinem reddit ad partes corporis nutriendas, ideoque expurgari debet, ut consistens magis sanguis, ab omni excremento purus, & defæcatus solidas partes commode nutriat; expurgatur verò sanguis ab hoc excremento seroso, in vena cava (non antea, qui vehiculum alimenti prius fuit, cum chylus, hoc vehiculo indigeat, ut per angustissimas venas miseraicas, ad hepar deducatur, ne passim fiant obstrucciones) à vena vero cava, per meatus parentes, ad omnes partes corporis nutriendas distribuitur ille sanguis, licet aliqua portio humoris serosi cum eo deducatur; nam licet sanguis ex sua natura, sit fluxilis; qui tamen aliquando penetrare debet angustissimos

mos meatus, opus fuit alio vehiculo: tum etiam ut restauretur in singulis corporis partibus serosa humiditas, à principijs nostræ generationis innata, ex seroso humore cum sanguine distributo, serum vero quod distributioni sanguinis inutile remanet, tanquam superfluum, à renibus attrahitur, sicque expurgatus sanguis à bile flava, tractione vesicæ, & à succo melancholico, tractione lienis, & à seroso humore, tractione renum, eo modo omnes partes corporis nutrire valet.

Quibus ita explicatis, quæ necessaria erant ad propositam dubitationem commodius intelligendam, in qua quærebatur, cujusnam coctionis excrementum diceretur urina. Sunt qui existiment, urinam esse excrementum tenue primæ coctionis, veluti stercus excrementum crassum; id autem ostendunt prius loco quodam Gal. desumpto ex 1. lib. de facult. natur. namque cúm ibi ostendat, cujusque coctionis duplex esse excrementum, unum tenue, & aliud crassum, & hoc, cúm fæces sint, illud urina esse debet. Deinde id probant hac ratione. Vrina, vel est excrementum primæ coctionis, vel secundæ; non vero tertiæ: nam nemo fuit qui hoc ausus sit asserere; atqui non potest esse secundæ coctionis excrementum: ergo erit primæ. Minorem probant ex Gal. qui loco citato asserit, secundæ coctionis tenue excrementum, esse biliosum humorem: crassum verò succum melancholicum: ergo, &c. Hæc tamen sententia, falsa omnino est; namque cum urina nullo modo separetur, ac secernatur loco, antequam ad venam cavam perveniat, ut antea dicebamus tunc temporis non adhuc excrementum dicetur, nisi ad ipsum hepar perveniat. Illud etiam quod asserunt, nullum excrementum tenue reperiri, preterquam urinam, falsum quoque est: excrementum enim tenue primæ coctionis, pituita est: ergo non urina, ut falsò isti asserunt.

Alij dicunt, urinam esse excrementum separationis venæ cavæ, quod probant hac ratione, excrementum, illius partis excrementum esse dicitur, in qua fit separatio, & secretio: sed separatio urinæ fit in vena cava: ergo erit excrementum separationis venæ cavæ.

Alij tandem asserunt, nullius coctionis excrementum esse urinam; non quidem primæ, nam non separatur in prima coctione; non secundæ, quoniam si hoc ita esset, vel esset excrementum tenue, vel crassum; sed non est tenue, quia esset bilis, neque crassum, quia esset succus melancholicus: ergo non est secundæ coctionis excrementum, nisi dicamus, duo excrementa, tenuia nasci in secunda coctione, quod est maximum absurdum. Tandem, neque tertiæ coctionis: nullus enim est qui hoc admittat, igitur nullius coctionis excrementum erit urina. Id itidem probant hac alia

ratio-

ratione: urina in nulla coctione separatur: ergo nullius coctionis excrementum dicetur. Confirmant demùm suam sententiam auctoritate Gal. qui 4. sanit. tuend. cap. 17. Vrinam vocat excrementum venarum, & arteriarum, quasi docens, nullius coctionis esse excrementum, lib. etiam 1. de usu partium, cap. ultimo, asserit Gal. urinam esse excrementum potionis: ergo urina, nullius coctionis erit excrementum. Hæc est varietas opinionum, circa dubitacionem propositam, nosque in præsentia, examen dictarum rationum prætermittimus, ne longior quam par sit nostra disputatio evadat, cum earum solutiones, ex his quæ in nostra sententia proponentur, facile innotescant.

Quare, ut totam dubitationem propositam diluamus, sciendum prius est quid appelletur excrementum, & quid excrementum coctionis. Excrementum vocatur à Gal. quidquid à nostro corpore est alienum, quibus verbis, duo significat: primum est, excrementum non esse partem corporis; alterum vero est, excrementum esse alienum à partibus, hoc est, ineptum ad partes ipsas nutriendas; per alienum ergo intelligimus, id omne quod ad nutriendum corpus ineptum est, sivè utilitatem aliquam præstet, sivè non. Hoc autem alienum; aliquando generationem accipit intra corpus; aliquando extra corpus advenit, ut ferrum devoratum in ventriculo excrementum diceretur, etsi exterius adveniret, quoniam ad partium nutritionem ineptum esset. Excrementum quod in corpore generationem accipit, aliquando est pars corporis, aliquando alimentum, nonnumquam genitum est per coctionem, vel corruptionem, vel aliquam alterationem: ut quando frustrum aliquod ossis separatum est à toto, excrementum fit; & quando sanguis, aut bilis, ob aliquam scilicet alterationem, veluti calfactionem, aut concretionem, aut putrefactionem, fiunt inepta ad nutritionem, nomen excrementi merentur. Tandem ea quæ in coctionibus orta sunt, quæ ad partium nutritionem sunt inepta, vocantur etiam excrementa, & hæc dicuntur excrementa coctionis, quæ varia in nostris corporibus generantur, nempe fæces, pituita crassior, bilis, succus melancholicus, sudor, sordes, & alia.

Sciendum etiam est, non omnia excrementa excerni extra corpus eo in loco in quo generationem acceperunt, unde fit, ut possint duarum partium appellari excrementa, ejus scilicet partis in qua generantur, & ejus partis à qua excernuntur extra corpus; v. g. bilis potest dici excrementum intestinorum quando excernitur per intestina, & excrementum cutis quando per cutem excernitur, cùm re vera sit excrementum coctionis hepatis.

Ex his quæ dicta sunt, facile erit ostendere, quomodo urina sit excrementum, & cujusnam coctio-

nis

nis excrementum dicatur, nam quatenus urina inepta est ad corpus nutriendum, merito excrementum appellatur; & quatenus generatur in jecore, est excrementum jecoris, scilicet secundæ coctionis, quia in tali coctione nascitur tale excrementum. Hæc sententia, nulla indiget probatione, cum ex his quæ dicta sunt, per se fiat manifesta.

Sed sunt aliqua argumenta pro contraria parte, quæ labefactare videntur nostram sententiam. Primum argumentum est, si urina esset excrementum secundæ coctionis, sequeretur, in una coctione, plura quam duo excrementa oriri posse; sed hoc dicere est absurdum: ergo, & illud ex quo sequitur. Huic argumento respondemus, nullum esse absurdum in Philosophia, ut in una coctione nascantur plura quam duo excrementa, & ex consequenti, sit duplex genus excrementi tenuis, vel duplex genus excrementi crassi; quoniam potest reperiri varietas substantiarum in tali coctione, quæ alienæ sunt à natura rei, & hæ possunt esse tenues comparatione facta, cum succo qui propriè concoquitur: aut crassæ; & eodem modo fieri potest ut in una coctione oriatur duplex genus excremēti tenuis, aut crassi. Hoc autem, licet experiri in succis plantarum, quorum excrementum tenuè, aut crassum, si diligenter intueatùr, varietatem continet sustantiarum, etsi tenuis utrumque sit, aut crassius quàm succus qui concoquitur: verum in illis mixtæ remanent illæ substantiæ diversæ, quoniam non est usus excrementorum, nec sunt partes quæ familiare excrementum attrahere valeant. In nostro vero corpore, cum excrementorum aliquis esset usus, & essent partes ad eorum expurgationem, à natura fabricatæ, loco separatæ: ideo excrementa, distincta, & loco separata inveniuntur.

Secundum argumentum est. De ratione excrementi est, ut separetur in ea coctione, cujus est excrementum, sed urina non separatur in secunda coctione, igitur non erit excrementum illius. Majorem non probant, sed tamen ex eo videtur habere vim, quod cum proprium sit caloris, omogenea, ab ætherogeneis separare, sequitur inde, ut quod diversum est à natura succi qui conquoquitur, debeat in coctione separari, sed tale est excrementum: ergo excrementum separandum est in ea coctione cujus est excrementum. Sunt aliqui qui respondent huic argumento, dicentes: Separationem urinæ fieri in secunda coctione, sed in ea varias partes, seù gradus reperiri; & ideo non statim urinam secerni, scilicet in prima parte secundæ coctionis quando fit massa sanguinaria; sed potius in secunda parte, seù gradu, dum separatur in vena cava, pro indeque ajunt, hoc genus excrementi ad secundam coctionem esse referendum.

Hæc tamen ſolutio, licet ingenioſa ſit, & maximam in ſe veritatem contineat: nihilominus tamen, nos veritatem argumenti altius perpendentes reſpondemus diſtinguentes primã propoſitionem, quæ eſt hujuſmodi. De ratione excrementi eſt, ut ſeparetur in ea coctione cujus eſt excrementum vox enim illa, ſeparari, duobus modis poteſt ſumi, au pro eo quod eſt excerni, aut ſejungi loco ſimul, ab eo quod vere coquitur, veluti ſubſtantia ſtercoris ſeparatur, in coctione quæ abſolvitur in inteſtinis, à vero chylo: & ſuccus melancholicus ſeparatur, in coctione jecoris, ab optimo ſanguine: quoniam hæc excrementa ſecluduuntur ab alimento, & ſejungitur loco. Aut per ilud, verbum ſeparari, intelligimus opus caloris coquentis, qui congregat in unum omogenea, & ætherogenea ſeparat: in hac enim ſeparatione, ſatis eſt, ut excrementum non miſceatur totum per totum cum eo quod vere coquitur, quamvis non ſeparetur loco; ut quando coquitur cibus in ventriculo, ſubſtantia ſtercoris ſeparatur in coctione chyli licet confuſa quodam modo relinquatur cum ſubſtantia chyloſa, neque manifeſto ſecernatur loco, donec deſcendens ad inteſtina attrahatur chylus ab hepate per venas meſeraicas. Quibus poſitis diſtinguimus primam propoſitionem nam ſi per ſeparari, intelligamus non miſceri cum eo quod vere coquitur, prima propoſitio vera eſt; ſed ſecunda eſt falſa, ſi vero per ſeparari, intelligamus ſecerni loco manifeſto, & ſejungi omnino eſt falſa illa propoſitio, ut ex propoſitis exemplis conſtat. Vera igitur erit ex noſtra ſententia, urinam eſſe excrementum ſecundæ coctionis, & ex his quæ dicta ſunt, facile intelligetur, non poſſe dici excrementum primæ coctionis, aut tertiæ, cùm ſubſtantia illa ſeroſa, aut bilis, non generetur in prima coctione, aut tertia.

Quod ſi aliquis objiciat, quod cum ſudor fiat ex eadem materia, atque urina, dicetur etiam excrementum ſecundæ coctionis quemadmodùm urina. Huic reſpondeo, ſudorem aliquid diſtinctum obtinere ab urina, quod in tertia coctione generationem accipit, & ideo non poſſe dici excrementum ſecundæ veluti urinam, quæ nihil continet ex tertia coctione, ſed ſolùm quod naſcitur in ſecunda, quæ à jecore fit: non tamen ſtatim ſeparatur à ſanguine in ipſo jecore, quoniam non eſt aduc locus accomodatus ſeparationi, & cum hoc excrementum ſeparetur à ſanguine, jam exiſtente in venis, & arterijs, hinc fit ut dicatur etiam à Gal. urina, excrementum venarum, & arteriarum. Dicitur quoque urina excrementum potionis, quoniam major portio urinæ in ſanis, eſt aqua epota aut ſubſtantia aquoſa alimenti, quæ à potu natura non diſtinguitur. Sed de hac dubitatione, ſatis.

DVBI-

DVBITATIO SECVNDA.

Ex qua materia, urina componatur.

DVbitare etiam solent hoc loco Interpretes, an scilicet materia urinæ, sit solus potus quem bibimus, cum bile; an humorum serum; an serum simul, & potus, quibus aliquid bilis sit permixtum; utrum vero sit, certum quoddam excrementi genus in jecore genitum, cujus partes, nobis sint ignotæ. Quidam existimant, materiam urinæ, esse solum potum cum quadam bilis permixtione. In quam sententiam ducti sunt, quibusdam Gal. auctoritatibus decepti, nempè 10. lib. simpl. cap. 13. libro de atra bile, cap. 2. & 4. de usu part. cap. 5. ac præcipuè, loco quodam de prompto ex lib. 1. de facult. natur. cap. ultimo, ubi ait Gal. *Quod in urinam feratur id totum, quod bibimus, nisi, &c. Ostendit plane, ejus quod quotidie mejimus copia:* Hæc autem sententia, unico solum argumento potest confutari: fœtus namque in utero, nihil potat, nihilominus mingit per urachum: nonnulla etiam sunt animalia, quæ mingunt, & non potant, ex quorum genere sunt cuniculi, quorum urina non potest ex potu generari. Neque Gal. loca, aliquid concludunt; verum namque est, majorem portionem ejus quod bibitur, ferri per urinam: non tamen inde sequitur, ejus, quod mingitur, esse solam aquam, epotam; solùm enim colligendum erit portionem alimenti aquosam ferri in urinam, cum plus mingant hi, quibus in usu sunt alimenta aquosa.

Sunt alij qui affirmant, urinam, non solo potu bili admixto constare, sed potu simul, & sero humorum quam sententiam probant prius Gal. auctoritate desumpta ex lib. 1. de sanit. tuend. cap. 7. ubi sic scribit Gal. *Venarum, & arteriarum excrementum, tale est, quale in lacte concreto serum.* Quibus verbis ostendit, non solùm potum, esse materiam urinæ, sed certum quoddam excrementi genus. Hanc sententiam confirmant itidem aliquibus rationibus, quarum prima est. Si ex solo potu fieret urina, non apareret tenujor, aut crassior, pro diversis temporibus coctionis hepatis; sed si mingatur ante perfectam coctionem jecoris, est tenuis; si absoluta coctione, est crassa: igitur non ex solo potu fiet urina. Secunda ratio, si urina ex sola aqua fieret, non liceret colligere in morbis, qualis esset coctio venarum, ex urina; sed experientiam contrarium ostendit: ergo non ex sola aqua fiet. Tertia ratio. Verisimile est, cum in corpore animalium reperiatur quoddam serum humorum, simul cum potu, serum humorum deferri: ergo urina, non ex solo potu constabit, sed potu simul, & sero humorum. Hæc est communis fere omnium Medicorum opinio; qui existimant quoque, serum hu-

morum, substantiam esse diversam à potu, & habere generationem in hepate; quoniam quemadmodùm lac totum generatur ex sanguine in mammis; constat tamen substantia serosa distincta à caseosa, & butyrosa: eodem etiam modo humores, generantur ex chylo in jecore: constant tamen portione pingui, crassiori, & serosa quæ portio serosa, materia est urinæ, & sudoris. Vlterius etiam progredientes, asserunt, hoc serum peculiare esse cujusque humoris, bilis scilicet, pituitæ, & succi melancholici, quod diversam habet naturam, pro diversa natura humoris cujus est serum.

Nos autem, ut circa hanc dubitationem, nostram sententiam proponamus, supponere prius debemus: fieri non posse, ut in generatione sanguinis, diversa sera procreentur, sed ex omnibus simul humoribas, unum tantum serum oriri: hocque diversum nomen sortiri, variumque apparere in corporibus animalium, propter diversam portionem humoris, quam secum abradit: namque si deferat secum aliquid bilis, dicetur serum biliosum: si abradat aliquid pituitæ, dicetur serum pituitosum; si aliquid succi melancholici, dicetur serum melancholicum. Hoc autem serum, quod in sanguinis generatione reperitur, nihil aliud esse existimamus, quam aquosam substantiam alimenti, & potus, & hoc serum ex sua natura perlucidum esse.

Quo posito, sit prima conclusio. Materiam urinæ, non esse solum potum, nec in omni animali, urinam constare, potu, & sero humorum, quia sunt quædam animalia quæ mingunt, & non bibunt. Sed urinam in omni animali, ex substantia sanguinis serosa componi, sive hæc substantia serosa, nascatur ex sola portione alimenti aquosa, sive potus; non enim possumus aperte explicare, qualis naturæ sit hoc serum; scimus quidem esse aquosum, & per lucidum: fierique ex portione potus, & cibi aquosa, quæ vehiculum fuit alimenti in transitu per venas capillares hepatis, ne alimentum in detentum obstrueret; cæterum quale sit hoc serum, exacte verbis imprimere non possumus: videmus enim esse sapore salsum, quod non fieret ob solam portionem aquosam, neque etiam ob bilis portionem quam habet admixtam; cum experiamur in rebus externis, si aliquid amarum, multa aqua diluamus, non fiat salsum. Igitur, quod urina fiat ex substancia sanguinis serosa; certum est: qualem autem naturam hoc serum habeat, non omnino cognoscimus, ideoque aliqui, non immerito asserunt, esse certum quoddam excrementi genus aquosum: quasi indicantes, sequi constitutionem temperamenti partium, & coctionem; nam quemadmodum quælibet pars, familiare sibi attrahit alimentum: sic similiter potest, certum quoddam excrementi genus procreare. Quod

ergo

ergo urina, facta sit ex substantia, sanguinis serosa, libentèr admittimus; verum hoc serum, existimamus habere, certam quandam constitutione temperamenti, quam accipit à temperamento, & constitutione hepatis, & ejus coctione. Quod autem urina, ex serosa sanguinis substantia, sit facta, hac ratione possumus probare: quoniam si attente perpendamus, quæ in corporibus animalium reperiuntur, nihil aliud reperiri posse adinveniemus quod possit, urinæ materiam præbere. Igitur urina, ex substantia sanguinis serosa constabit:

Secunda conclusio. Vrinam sanorum (de hac enim loquimur) non constare ex sola serosa sanguinis substantia; sed ex quadam bilis portione admixta: quoniam cùm urina sanorum, vel subpallida sit, vel subruffa, vel subflava, & hic color non sit innatus sero, cum sit pellucidum, consequens est, ut dicamus, urinam ex sero, & bile esse compositam: nullus enim alius humor in corpore invenitur, tali colore præditus. Neque deficit alia ratio ad id ostendendum, quia urina mutationes patitur quæ proportione respondent ipsi bili: nam quando bilis acrior, fit urina, intensionem versusflavum, accipit colorem. quando vero bilis imminuitur, remissiorem colorem accipit versus subpallidum: igitur urina, ex substantia sanguinis serosa constabit cum aliqua portione bilis admixta. Habet etiam urina aliud præter hæc: apparet enim interdum sedimentum quoddam album, quod urinam innatat, vel in medio, vel infundo apparet quoque aliquando, veluti pingue quoddam, telis aranearum simile, quod Græce, appellatur, *graphs*, fit etiam nonnumquam, ut sola urina tali colore tincta, in sanis appareat, circa sedimentum. Sed jam æquum est, quæstionem illam breviter attingamus, qua quæritur, utrum urina sit signum pæstantius pulsu in morbis profligandis; an verò è contra.

DVBITATIO TERCIA.

Vtrum urina sit signum præstantius pulsu, in morbis profligandis.

QVia ferè omnes Interpretes, statim in fronte libri, hanc exagitant quæstionem, multas adimplentes paginas: proinde æquum mihi visum fuit, breviter hujus dubij solutionem attingere, ut nihil intactum in hac disputatione relinquam, quamvis melius fuisset, nihil de eo disserere; tum quia ejus veritas non potest comparari, nisi ab eo qui tractationem de urinis, & pulsibus recte calluerit, tum quia Logica sane est quæstio, ac parvi momenti; nullamque præbet utilitatem ad finem Artis; ac tandem, quia nihil certi de ea statui potest, nisi adhibitis pluribus distinctionibus. Hæc quæstio suscitata primum est à Medicis Arabibus sophystis, &

Logi-

Logicarum quæſtionum inventoribus. Cui, ut breviter ſatisfaciamus, ſupponendum primo eſt, dubitationem procedere, de pulſu, & urina ægrotantium, non vero ſanorum. Secundo ſupponendum eſt, ex pulſu poſſe cognoſci morbum, cauſam morbi, partem affectam, coctionem, & cruditatem, poſſe etiam prædici morbi longitudinem, & brevitatem, ſalutem, & mortem. Tertio ſupponendum eſt, ex ſignis quædam nobis magis eſſe nota, alia vero majori cum difficultate cognoſci. Deinde, ex ſignis, quædam magis certa eſſe; alia vero minus. Ac tandem, ex ſignis nonnulla poſſe plura ſignificare; alia pauciora.

Quibus ita ſuppoſitis, facile erit intelligere, pluribus diſtinctionibus opus eſſe, ut diſolvi poſsit hoc dubium: pro varijs enim ſignificationibus, diverſo modo eſt reſpondendum: etenim, ſi inquirat aliquis, quale ſignum ex his faciliùs à nobis dignoſcatur? Reſpondebimus, urinam, quia pulſuum differentiæ vix poſſunt dignoſci, niſi à Medicis valde peritis, & maximè exercitatis. Deinde ſi inquirat aliquis, quodnam ſignum ex his indicet plures partes affectas, pulſus ne? an urina? Huic reſponſum dabimus, pulſum. Quod ſi, quodnam certius indicet? Reſpondemus, urinam: quoniam ex ea, poſſumus, certa habere ſigna renum ulceratorum, aut veſicæ: an vero ex pulſu, non ita certiſsima ſigna deſumere poſſumus ad dignoſcendas partes affectas, quas indicare ſolet. Vrina igitur, in eo quod attinet ad dignotionem affectuum, & partium affectarum, præſtantius erit ſignum ipſo pulſu. Neque dubitationem aliquam parit, coctionem, & cruditatem, certius deſumi ab urina, quam à pulſu, ſiquidem vrina, affectus venarum, & earum partium per quas tranſit, in quibus coctiones, & cruditates fiunt, denotat: negandum tamen non eſt, pulſum, illud obtinere, ut in multis partibus poſsit eam oſtendere; quoniam ſi reperiatur abſceſſus aliquis in aliqua parte, & ibi humor coquatur, ex pulſu dignoſcetur, cum urina ſolum hepatis coctionem, & venarum oſtendat. Circa prognoſticum etiam, eodem modo debet fieri comparatio, pulſus namque, in omnibus fere affectibus poteſt ſalutem, vel mortem denunciare; at urina in ſolis, hepatis, & venarum affectibus. Ergo cum tot, tantæque limitationes ſint neceſſariæ ad hujus dubij ſolutionem, quæ ex integra harum diſputationum cognitione, ſunt deſumendæ vobis hortor, ac conſulo, ut ab hac contemplatione, quantum poſsitis, abſtineatis; erit enim fruſtra tempus conterere; oleumque, & operam conſumere.

DE OBSERVATIONIBVS IN VRINÆ ſpeculatione conſiderandis.

QVoniam plures ſalent contingere deceptiones in dijudican-

candis, diſcernendiſve urinarum differentijs; ideo antequam de illis diſſeramus, placuit prius; nonnulla præcepta in medium adducere, ut Tyrones abſque ullo errore, ad eas dignoſcendas accedant. Octo itaque ſunt obſervanda præcepta, ad hoc ut rectum, exactumque judicium, facere poſsimus, de urinarum differentijs. Primum præceptum pertinet ad tempus in quo debet ſumi urina; commodiſsimum igitur erit tempus, ut ſumatur, perfecta, & abſoluta ſecunda coctione; namque ſi urina indicat ſecundam coctionem, & eſt excrementum illius, neceſſe quidem eſt, ea perfecta ſit: aliter enim non licebit nobis judicium ſumere ex urina; & quamvis non poſsimus certò aſsignare, quale ſit tempus in quo ſecunda coctio jam eſt abſoluta; id tamen conjectura artificioſa ſolemus dignoſcere: varium namque eſt tempus in hominibus pro vario temperamento, ciborum quantitate, vel qualitate, & pro vario corporis ſtatu: propter quam cauſam, opportunius tempus nobis videtur, ut ſumatur urina abſoluto jam ſomno nocturno, hora ſcilicet matutina: nam tunc temporis, certum eſt abſolutam eſſe primam, & ſecundam coctionem. Hoc autem quod dictum eſt, non ſemper eſt obſervandum: ſunt enim quidam affectus in quibus oportet quovis tempore urinas inſpicere, ut in febribus continuis, ulceribus renum, & veſicæ, quia differentiæ urinarum quas inſpicere debeums, quo vis tempore nobis ſeſe offerunt conſpiciendæ; quando autem dicti affectus non ſunt, peracta ſecunda coctione, urina erit contemplanda; quod obſervavit Gal. 1. de criſib. cap. 22.

Secundum præceptum eſt, ut ſervetur tota ea urinæ quantitas, quam unica vice minxerit ægrotus: quoniam ſolent aliquando mulierculæ, aliquam portionem urinæ ejicere, ne jumentis videantur aſsimilari; ratio eſt, quia ex majori, vel minori urinæ quantitate, ſæpè aliquid prædicere ſolemus; tùm etiam, quia effundi poteſt aliquod contentum, ex quo fieret judicium. Præterea urinæ pluribus vicibus mictæ, non debent permiſceri, ſed quælibet earum in ſuo proprio vaſe reponi debet: quoniam ſolet una magis eſſe cocta, quam alia, & in mixtione confunduntur, & eorum judicium obſcuratur: niſi id aliquando ob certum judicium oportuerit, ut fit in ſtranguria, ſeù urinæ ſtillicidio.

Tertium præceptum pertinet ad locum: locus enim in quo debet conſpici urina, medius eſſe debet inter ſplendidum, & obſcurum: radij enim ſolis, ſæpe, & colorem, & contenta urinarum perturbant; aer ſit idem cui propinqua ſit res aliqua rubra, aut virides appareant.

Quartum præceptum eſt, ut vas, ſeù matula in qua urina conſpicitur, ſit perlucida, & quantum fieri

posſit, tenuis, & ex vitro facta: nam ſi matula, craſſa fuerit, quam par ſit, aut aliquo colore prædita, colorem, & conſiſtentiam urinæ maxime perturbabit. Fundum etiã matulæ, debet eſſe rotundum, & anguſtum in infima parte; nam ſic, craſsitiem, levitatem, & quantitatem contentorum, ac præcipuè ſedimenti; cognoſcemus.

Quintum præceptum eſt, ut vas in quo urina continetur, minimè agitetur: poteſt enim agitatio, conſiſtentiam urinæ, tum etiam, & locum contentorum immutare.

Sextum præceptum eſt, ut in affectibus venarum inſpiciatur bis urina: aliter enim non poterunt cognoſci illæ differentiæ in quibus urina, ex tenui fit craſſa, aut ex craſſa tenuis.

Septimum præceptum ſit, ut diſtinguamus cauſas externas propter quas urinarum judicium poteſt perturbari: vigilia namque poteſt urinæ judicium perturbare, tum, & uſus aliquarum rerum: nam uſus aſparagorum, urinam fœtidam reddit, medicamenta etiam purgantia, & ea quæ urinas movent, judicium perturbant; unde accidit, ut acceptorhabarbaro, ſoleant urinæ craſsiores apparere; judicium etiam perturbat, vitium renum, aut viſicæ.

Octavum, & ultimum præceptum eſt, ut ſi ſedimentum adeo fuerit tenuè, ut vix intueri poſsit, in parte poſteriori matulæ, admoveatur res aliqua valde oppaca, ut palium, aut manica; nam ſic, facilius videbitur ſedimentum, etſi tenuè appareat. Atque hæc ſunt præcepta in urinarum contemplatione animadvertenda. Et hæc de præfatione ſint dicta.

DE DIFFERENTIIS URINARUM.

CAPVT PRIMVM.

Vrinarum differentiæ multæ quidem particulatim exiſtunt: primæ tamen, ac præcipuæ ſunt duæ humor ſcilicet, & ea, quæ humori inhærent, &c.

EXPLANATIO.

POſtquam de generatione, atque natura urinæ ſatis ſuperque in ſuperioribus præfatum fuit. Jam ad ipſius differentias explicandas accedamus cum noſtro Auctore, animadvertentes prius Authorem hujus lib. valdè brevem eſſe in docendo, & ordinem accomodatum non ſervare; propter quam cauſam cogimur multa addere, adcomodum, & utilitatem auditorum, ex Hipp. Gal. & alijs præcla-

clarissimis Medicis deprompta. Imprimis ex methodis Logicis exploratum habemus res compositas dividendas esse ex componentibus, ut observatum est à Gal. lib. de difficultatib. respi. proindeque Auctor primum omnium partes, seù res componentes urinam statuit, ut postea differentias adinveniat. Dividitur itaque urina ab ipso, in humorem, & ea quæ humori inhærent, id est in fusuram, & contentum. *Fusuram* appellant Interpretes liquorem, seù humorem, substantiamve aquosam, vel serosam; *contentum* vero est substantia quædam à fusura distincta, quæ ipsi fusuræ inest, aut per eam innatat.

In his partibus urinam componentibus, duo considerantur ab Auctore, substantia scilicet, & color: quid color sit, postea dicemus: substantia vero seu consistentia dicitur qualitas illa, vel potius modus substantiæ à quo res crassæ, aut tenues appellantur. Alia etiam permulta possunt in urina considerari, præter substantiam, & colorem, nempe sapor, odor, sonus, ejus quantitas, & modus excretionis: sapor, & sonus nullius sunt utilitatis in urina: odor sub colore forsan comprehenditur ad Autore. Ex quibus colligitur in omni urina, tria præcipue esse consideranda à Medico, nimirum liquorem, liquoris colorem, & id quod liquori inest: vel, ut clarius loquar, substantiam, colorem, & contentum, ita Gal. 4. sanit. tuen. cap. 4. *Æstimare, inquit ipse, urinæ, tum consistentiam, tum colorem oportebit, sed nec quæ in ea pendent, aut subsident prætermittere conveniet sed omnia perpendere.* Ex colore igitur tam liquoris, quam contenti urinæ, variæ desumuntur simplices urinarum differentiæ, quas suo loco recensebimus: ex modo vero substantiæ, tum liquoris, tum etiam contenti solùm tres desumi possunt differentiæ, tenue scilicet, crassum, & mediocre: mediocre illud appellatur, quod in homine temperato invenitur, qualecumque illud sit: tenue vero dicitur, quod est tenujus mediocri, & crassum, quod est crassius.

Ex modo substantiæ liquoris urinæ, de qua modo agimus tres itidem differentiæ ortum ducunt, à quibus frequenter solemus totam urinam denominare: nempe urina tenuis, crassa, & mediocris: mediocris urina illa dicitur quæ in homine temperato invenitur: tenuis vero appellatur, quæ tenujor est mediocri, & crassa, quæ est crassior, quamvis mediocris urina interdum in doctrina Hippocr. tenuis dicatur; aliquando vero crassa, non simpliciter, sed per abusionem: nam mediocre comparatum ad maxime crassum, tenujus illo est, & idem comparatum ad maxime tenue, crassius illo est, atque ita urinæ quæ mediocritatem habent in substantia, crassiores sunt tenuibus, & aquosis: tenujores vero crasis ita Gal. 4. aphor. com. 69. in hunc modum scribens. *Quæ enim urinæ secundum naturam sunt, non simpliciter tenues consistunt, sicuti neque crassæ sed medium tenent inter utrumque excessum, & cum mediocri-*

tatem habeant, crassiores sunt aquosis: tenuiores vero grumosis. Sumitur etiam aliquando urina crassa pro mediocri; ita docet Gal. 4. aphor. com. 77. dum habet. *Quando urina tenuis fuerit aut secundum naturam urinæ se habent: cum vero non tenuis extiterit, sed mediocrem habuerit substantiam, in quo significato crassa, accipere oportet, &c.* Ergo urina crassa aliquando sumitur pro mediocri, & e contra.

Cæterum cúm urina crassa apud Gal. eadem sit cum confusa aut perturbata, & urina tenuis eadem cum perspicua, & diaphana: cognoscetur urina crassa, ex eo quod difficilius penetrent per eam radij visorij, quam in urina mediocri; nihilque aliud erit urina crassa, quam minus perlucida; & urina tenuis, quæ magis est perlucida, quam mediocris: in quibus est maxima differentia ratione majoris, & minoris; ex crassis namque quædam sunt magis oppacæ; aliæ multo magis: aliæ maxime oppacæ, & densæ, adeo ut nullatenus penetrent per eas radij visorij, & quod magis est, fluxibilitatem deperdant. Idem judica de urinis tenuibus.

Ex quibus intelligetis, quam sint in maximo errore positi Aviceniſtæ, qui urinam crassam a perturbata distinguunt: namque, cum videant in rebus externis hæc omnia differre: idem judicant in nostris corporibus; oleum enim, inquiunt ipsi, crassum est, sed est perlucidum, tum etiam, & vinum: nam ista omnia crassa sunt, non tamen turbida: crystallus quoque crassa est, non tamen turbida. At non est æqualis ratio in partibus nostri corporis, atque in rebus externis, quia urina talis fit agente calore, & permiscente: nam calore agente, fit tenuis, & fit etiam crassa, quod animadversum fuit à Gal. 1. de crisib. cap. 12. & 4. aphor. com. 70. Tum etiam ij maxime discedunt à consuetudine loquendi Gal. nam ut colligitur ex 1. crisi. cap. 12. urina crassa nihil aliud est quam perturbata. Igitur maxime decipiuntur Avicenæ sequaces dum urinam crassam à perturbata distinguunt.

Præterea hæ tres differentiæ urinarum ex modo substantiæ petitæ, non omnes subdividi possunt: nam moderatam, seu mediocrem, ut inquit Auctor, non licet dividere: quoniam cùm hæc naturalis sit, & perfectior ratione aliarum urinarum, nullam divisionem patitur: quod enim moderatum est, unum est, ut docet Oribasius libro suo de urinis, cap. 1. aliæ vero differentiæ, nempe tenuis, & crassa, varijs modis dividuntur: unus est ratione majoris, & minoris; nam ex tenuibus urinis, alia est magis, alia vero minus tenuis: ex crassis etiam, quædam magis crassa est; alia vero adeo est crassa, ut sit veluti jumentorum: alia multo crassior, & quæ inæquale habet sedimentum, ut grumosa. Alius vero est modus divisionis quem tradit Gal. varijs in locis, qui maximam præbet utilitatem ac dignoscendam varietatem temporum morbi, aut majorem, vel minorem actionem naturæ, qui modus talis est. Vrina tenuis, aut

min-

mingitur tenuis, & remanet tenuis: aut mingitur tenuis, & postea fit crassa, hocque vel statim, vel longo post tempore. Crassa quoque urina, vel mingitur crassa, & remanet crassa: vel mingitur crassa, & postea fit tenuis, & hoc, vel statim, vel longo post tempore (quamvis Gal. 1. de crisib. cap. 12. aliam statuat differentiam urinæ crassæ, nempe, quæ tenuis mingitur, & postea fit crassa) hæc tamen, secunda est differentia urinæ tenuis, proindeque sub illa comprehenditur à nobis.

Sed rogabit aliquis, an quemadmodúm urina tenuis, & crassa solent immutari postquam emissæ sunt è corpore; eodem etiam modo urina mediocris, alia eadem maneat: alia vero vel incrassetur, vel attenuetur. Cui respondeo, non esse eandem rationem urinæ mediocris, ac tenuis, & crassæ: nam, quæ tenuis est, aut crassà potest in se habere causas transmutationis, vapores scilicet mixtos, & non satis à calore naturali elaboratos, aut humores crassos cum urina descendentes, urina vero quæ mediocris est non habet in se principium hujus transmutationis, nec potest habere: natura enim urinæ mediocris non id patitur, quoniam urina mediocris ea appellatur in unoquoque homine, quam ipse emittit quando sanus est, & liber ab omni mutatione insigni, quo tempore coctio hepatis perfectissimè fit. Igitur si urina mediocris nascitur ex coctione perfecta: tenuis vero, & crassa, ex imperfecta, propterea tenuis, & crassa urina habebunt in se causas à quibus transmutentur: non autem mediocris.

Iterum rogabis an quemadmodúm urina tenuis, aliquando manet tenuis: aliquando crassa fit, & quæ crassa mingitur, aliquando remanet crassa, aliquando tenuis redditur; ita etiam tenuis, & crassa possint fieri mediocres. Cui breviter satisfacio, non esse impossibile, ut quæ urina tenuis mingitur, postea tantam crassitiem acquirat, quantam habet mediocris: & quæ crassa mingitur, tantam mediocritatem, quantam mediocris solet obtinere: immò existimo sic esse explicandas prædictas differentias, ut quando dicimus, ex crassis quædam mingitur crassa, & manet crassa: alia mingitur crassa, & postea fit tenuis, per tenuem intelligere possimus mediocrem, ut antea dicebamus cum Gal. 4. aphor. com. 69. Idem judica de tenui quæ crassa redditur.

DE URINÆ TENUIS, ET CRASSÆ SIGNIFICAtionibus.

CAPVT SECVNDVM.

¶ *Prior quidem, extremam indicat cruditatem, natura enim non dum coctionem tentavit: altera autem quæ ex tenui reddita est turbida, indicat naturam jam primo aggressam esse coctionem. Et tenuis quidem urina ita dividitur, jaque quod dicimus significat.*

EXpositis jam urinarum differentijs ex modo substantiæ desumptis, agit Auctor de earum significationibus. Primum autem docet, urinam quæ tenuis mingitur, & talis semper perseverat, extremam cruditatem significare: indicat enim naturam non aggressam esse ebullitionem, atque coctionem; quoniam cùm ea quæ concoquuntur, crassiora evadant, eo scilicet tempore quo concoquuntur. (Nam post coctionem aliqua remanent crassa, alia vero tenuja pro diversa partis dispositione) proindè fit, ut urina quæ tenuis semper remanet, naturam non aggressam fuisse coctionem significet, quia si eam aliquo modo aggrederetur, crassa, & non tenuis fieret: quod visus est insinuare Gal. 1. crisi, cap. 12. dum inquit. *Id proinde fieri quia talis urina nondum in humores sit conversa.* Quasi dicat, talem urinam significare, humores non recte concoqui. Idem etiam docuit 2. progn. com. 32. dum sic habet. *Vrinæ aquosæ, tenues quidem consistentià, colore candidæ sunt, summam indicantes humorum cruditatem, & coctricis facultis debilitatem:* ita Gal. 4. sanit. tuend. cap. 4. Id autem quod de urina tenui diximus, intelligendum venit ablatis causis externis: solet enim aliquando propter causam aliquam externam, talis urina tenuis, & aquosa apparere; quod colligi videtur ex Gal. 6. epid. parte 5. com. 15. dum sic scribit: *Quando igitur lotium, rei epotæ colorem obtinuerit, si aquæ, aut alicujus tenuis albique vini potio fuerit, aqueum, albumque conspicitur.*

Sed objiciet aliquis, sanguis in hepate semper concoquitur, licet urina appareat tenuis: igitur urina tenuis non indicat, non adhuc esse in humorem conversam, ut antea dicebamus cum Gal. Cui respondemus dicentes, quod quando coctio hepatis imminute fit, non permiscetur substantiæ aquosæ talis, & tanta portio excrementi, quin semper ea tenujor mediocri relinquatur: neque enim per ea verba docet Gal. nullo modo, aut nullam partem chyli converti in sanguinem, sed non esse talem coctionem quæ posit excremento

to mediocritatem tribuere, quia non totus humor fervet, aut non adeo fervet quantum opus est.

Obijcies secundo, in his qui hydrope laborant est imbecillitas coctionis hepatis; atqui in his non apparet urina tenuis, sed crassa, & subrubra: igitur imbecillitas coctionis hepatis non indicabit tenuem urinam. Respondemus, in hydrope laborantibus majorem esse inæqualitatem, quam requiratur ad urinæ tenuis generationem: non enim potest facultas jecoris concoctrix serum à sanguine segregare, atque secernere, proindeque urina non fit tenuis propter defectum ebullitionis, & coctionis, sed major noxa reperitur, qua scilicet facultas jecoris non probe secernit, ideoque urina crassa, & subrubra remanet.

Altera differentia tenuis urinæ est, quæ tenuis mingitur, & postea fit crassa, seu perturbatur: sed quid significet talis urina, explicat acurate Gal. 2. de crisib. cap. 12. sic scribens: *Quæ tenues sunt urinæ, tales manentes, aut perturbatæ, omnes cruditatem demonstrant: eo tamen differunt, quod altera nondum concoqui cœpit: alteri vero quoniam flatuosi spiritus permixti sunt, perturbatio quædam veluti in novis vinis adhuc ferventibus adest.* Vnde colligimus; urinam quæ tenuis mingitur, & postea fit crassa, alicujus coctionis notam esse; quoniam si Gal. comparat illas duas differentias urinarum, nempe quæ tenuis mingitur, & talis remanet: & quæ tenuis mingitur, & postea turbatur; habet postea: prior nondum naturam aggressam esse coctionem significat; secunda vero perturbationem humoris, & flatuosi spiritus permixtionem: igitur opponitur hæc secunda primæ; sed in prima nondum natura aggessa est coctionem: ergo secunda, quæ tenuis mingitur, & perturbatur, significat aliquam sumpsisse naturam coctionem. Id autem apertius explanaverat Gal. 4. sanit. tuend. cap. 4. inquiens. *Si cùm mingitur, protinus turbetur, jam crudi succi coctionem naturnm aggressam esse significat: ac si interposito tempore, non protinus, sed post aggressuram coctionem insinuat.* Indicat itaque tennis urina quæ postea fit crassa, aliquos vapores excitari in hepate qui propter exiguitatem non perturbant, nec crassam reddunt serosam substantiam: egressi autem ex corpore, occurrentes aeri minus calido, concretionem accipiunt, ut experimur in adipe, cujus concretio citra multam frigiditatem fit in nostro corpore; & quanto citius crassa reddetur urina, tanto majorem copiam vaporum indicabit.

Observare autem oportet hoc loco, concurrere frequenter crasitiem cum congelatione: nam illæ causæ quæ necessariæ sunt ad incrassandam urinam, si cum maximo frigore eveniant, urinam congelatam faciunt; licet in vehementi frigore gelentur etiam urinæ, quæ absque maximo frigore non concrescunt, & urinæ quæ ex sua natura crassæ sunt, ratione congelationis valdè crasiores evadant. Vnde excitatur illa quæstio

qua

qua dubitatur, utrum à frigiditate externa possint urinæ perturbari.

DVBITATIO VNICA.

Vtrum à frigiditate possint incrassari urinæ extra corpus.

Dubitatio hæc solùm procedit, de urinis quæ tenues minguntur: postea vero incrassantur extra corpus. Hieremias Brachelius 4. aph. com. 70. existimat, urinas tenues perpetuo crassiores fieri ab aere ambiente frigido, proindeque Gal. ipsum reprehendit, qui putavit, urinas tenues, quæ statim crassæ redduntur, futuram coctionem ostendere. Præcipua autem ratio qua suam sententiam confirmat, hæc est. Ea quæ extenuantur calore, frigore concreverunt: sed urina perturbata liquatur, & extrenuatur calore, si igni admoveatur: ergo perturbatur, & concrescit à frigore. Hæc tamen sententia, falsa est: nam non solum extenuantur, & liquantur calore ea quæ à frigore sunt concreta: sed etiam quia habent partes dissimiles inter se confusas, ac permixtas; proprium enim est caloris ætherogenea separare. Præterea extenuantur calore, ea quæ incrassantur à vaporibus densatis, quodquidem caloris est proprium extenuare, & flatus discutere, ac vapores, ut accidit in aere nubiloso, & obscuro à calore solis. Quapropter urinæ turbatæ, non extenuantur à calore, quia sunt concretæ à frigiditate; sed quia calor, partes urinæ confusas, & sibi invicem dissimiles separat: tum etiam, quia flatulenti spiritus extenuantur, & discutiuntur, à quibus præcipue urina recipit crassitiem.

Actuarius lib. de differ. urinarum, cap. 10. contrariam sententiam sequutus est: affirmat enim, urinas nullo modo incrassari à frigiditate. Quam sententiam pluribus rationibus conatur ostendere. Prima est; si urinæ incrassarentur à frigore, omnes urinæ, etsi tenues sint, concrescerent ubi multa est frigiditas: sed quæ tenues valde sunt, aut in quibus exacta est victoria naturæ, non concrescunt, licet aeri frigidissimo sint expositæ: igitur urinæ non fiunt crassiores à frigore. Secunda ratio, experimur eodem tempore ex urinis ejusdem hominis, quasdam incrassari, alias tenues remanere, etsi sint aeri frigidissimo expositæ: ergo verisimile non erit incrassari à frigore. Tertia ratio, contrariorum contrariæ sunt causæ: ergo si tenues incrassantur à frigore, quæ crassæ sunt extenuarentur à calore: sed hoc est falsum; nam hyeme minguntur, & apparent urinæ tenuissimæ: vigente vero canicula crassissimæ: ergo, &c. Quarta ratio, si urinæ incrassarentur à frigore, corruent omnia præcepta nostræ artis, & prorsus tolletur judicium quod fit ex urinis crassis; sed hoc dicere est absurdum: ergo, &c.

Nos autem, ut nostram de hac re proponamus sententiam, advertere prius debemus, non esse idem urinam crassam reddi, & congelari, ac con-

concrescere: nam tunc congelari urinam dicimus, quando à vehementi, & valido frigore incrassantur; si tamen vehemens frigus non adsit, non fiet hæc urina; verum ad congelationem desiderari dispositionem materiæ, quo jam plures sunt urinæ, quæ etsi multum detineantur in aere frigidissimo, non concrescent, neque aliquam crassitiem acquirent, quales sunt quæ omni vapore sunt destitutæ, aut habent sedimentum perfecte elaboratum, & extenuatum à natura. Vnde nos non loquimur de hac crassitie quam acquirit urina congelata, quia hæc multam frigiditatem expostulat: sed potius de ea crassitie quam acquirit urina citra vehementem frigiditatem, quam etiam adepta est ex frigiditate; sed non indiget tanta, quanta urina congelata: nam tempore caniculæ, crassæ etiam redduntur urinæ; hæc autem incrassatio nascitur ex dispositione materiæ, quoniam vapores permixti serosæ substantiæ dum calorem conservant, rari sunt, & tenuem faciunt urinam: ubi autem extra corpus cum urina egrediuntur, occurrentes aeri qui perpetuo vaporibus frigidior est, crassitiem accipiunt, & urina perturbata, seù crassa redditur.

His positis, dicimus veram esse Actuarij sententiam fatemurque urinas quæ tenues minguntur nullatenus à frigiditate exterua immediate posse crassiores redi nam licet verum sit tempore hyemis urinas perturbari, cum id etiam verum sit vigente canicula, propterea non erit hæc causa propter quam, perturbationem urinæ frigitati externæ tribuamus: non diffitemur nos alicujus momenti esse, & aliquid præbere frigiditatem externam ad urinam perturbandam, & crassam reddendam: sed tamen proximam causam huic non tribuimus, sed dispositioni materiæ in vasis cum urina mixtæ, est enim frigiditas externa, externa causa, & hæc nullo modo potest agere absque internæ causæ dispositione, & rursus internæ, & externę non possunt agere sine dispositione materiæ, quæ vel est inequalis agitatio, aut vaporum permixtio: atque ita fit, ut propter hanc dispositionem urina crassa reddatur. Ergo ea urina quæ tenuis mingitur, & postea incrassatur, seù perturbatur, fiet propter dispositionem materiæ, quam in vasis contraxit.

Sed advertere oportet vulgarem eorum errorem, qui perturbatam urinam igni admovent ut tenuis reddatur. gravissimus sane error, quia calor ignis non potest proportionari gradui caloris nativi, cujus beneficio tenuitatem habuit urina: nam si urina, verbi gratia, mingatur in duobus gradibus, tenuitatis qua ratione poterimus calorem ignis temperare, ut solum efficiat substantiam similem quam calor natibus fecerat? Præterea, vel calor ignis major est gradu calore, à quo nacta fuit talis substantia vel minor; si minor, nequit urinam dissolvere: si major, omnia quæ sunt permixta in urina dissolvet. Igitur ridiculum erit asserere, urinam igni admotam tenuitatē acquirere. Tandem

dem neque videc Hipp. & Gal. hujus placiti mentionem fecisse de urina perturbata quæ igni admota, tenuis reddatur: quemadmodum de urina quæ tenuis mingitur, & postea turbatur: nam hujus urinæ dignotio ad tempora morbi dignoscenda, apprime necessaria est. Hoc loco oportet distinctionem observare: vel urina mingitur tenuis, & statim incrassatur: vel longo post tempore: si mingatur tenuis, & statim incrassatur, hæc igni admota similitudine aquæ tepidæ solet tenuis, & pura reddi: quia talis urina fit propter inæqualem turbulentiam, & vaporum permixtionem, quibus dissipatis, vi, & calore ignis, tenuis, & pura remanet, quod unusquisque potest experiri. Si vero longo post tempore incrassetur: vel crassa mingatur, & talis perseveret, numquam extenuabitur vi caloris: quoniam tales urinæ fiunt ob permixtionem humorum crassorum qui à calore ignis nequeunt dissipari, ac dissolvi, quemadmodum vapores. Atque hæc sufficiunt de hac dubitatione.

¶ *At grossa simili modo aut mingitur grossa, & permanet grossa: aut mingitur grossa, sed redditur tenuis, &c.*

Traditis jam significationibus tenuis urinæ, restat modo agamus de urinæ crassæ significationibus, Gal. 1. crisi, cap. 12. tres adducit urinæ crassæ differentias, urina enim crassa, vel crassa mingitur, & talis perseverat: vel crassa mingitur, & postea atenuatur, aut statim, aut longo post tempore: vel tenuis mingitur, & postea incrassatur, hanc autem ultimam differentiam ad urinam tenuem reduximus, cum sit eadem cum secunda ejus differentia. Prima differentia, nempe quæ crassa mingitur, & talis perseverat, significat maximum fervorem, & agitationem humorum crassiorum in venis contentorum. Secunda vero, scilicet quæ postea extenuatur, indicat, aliquid parum super esse fervoris, & turbulentiæ sanguinis, & crassiorum humorum, incipereque eorum secretionem, ut docet Autor.

Has significationes clarius multo tradidit Gal. 1. crisi, cap. 12. & 4. sanitat. tuend. cap. 4. nam primam differentiam, scilicet quæ crassa perseverat, debilem, & ocultam coctionem demonstrare scribit: aliam vero quæ postea extenuatur, coctionem ostendere manifestam, & cum hæc, ut advertit Gal. 4. sanit. tuend. vel statim, vel longo post tempore extenuetur: urina, quæ statim crassitiem deponit, perfectiorem coctionem ostendit; at quæ multo post extenuatur, minus perfectam. Vnde 1. crisi, cap. 12. crassarum urinarum, pessimam esse, docebat Gal. quæ post mictionem turbatur: saluberrimam vero quæ post mictionem extenuatur; & mediam naturam optinere quæ crassa mingitur, & talis perseverat; hæc namque quantum malitia differt ab ea quæ postea incrassatur, tantùm bonitate distinguitur ab ea quæ postea extenuatur.

Colligitur ex dictis, urinam quæ crassa mingitur, & postea extenuatur, sig-

ſignificare æqualem quendam in humoribus fervorem, & manifeſtam coctionem peccantium humorum in venis: nam quo tempore manifeſtè concoquuntur humores, tunc multi vapores, & tenues ex his humoribus elevantur; ſed urina quæ poſtea extenuatur apparet, quia hi vapores multi, & tenues elevantur: igitur hæc urina manifeſtam coctionem indicabit, major propoſitio certa eſt, nam quo magis æqualis, & perfecta eſt humorum coctio, eo vapores magis tenues, & cocti excitantur, & multi quando non eſt abſoluta coctio; minor etiam eſt manifeſta, nam quia multi ſpiritus flatulenti miſcentur urinæ, ideo mingitur craſſa, & propterea urina manifeſtam oſtendens coctionem, in principijs febrium, & affectuum venarum non redditur, ſed in incremento; & quo citius extenuabitur, eo perfectiorem coctionem oſtendet, quoniam turbatur à tenujoribus, & paucioribus ſpiritibus qui citius diſsipantur.

Conſtat etiam ex dictis, urinam craſſam mictam, & quæ talis perſeverat, indicare inæqualem fervorem, & agitationem vigore in humoribus craſsis, & in his occultam, ac debilem fieri coctionem, quia talis urina turbatur à multis, & craſsis ſpiritibus; nam quando multi iſti vapores, & craſsi elevantur, natura incipit alterare, & concoquere humores, licet imperfecte, & evidenter, ut ex his vaporibus colligitur: ubi vero manifeſta eſt coctio, vincit calor nativus, & tunc tenues; & multi vapores excitantur; atqui apparente urina quæ craſſa perſeverat, multi, & craſsi ſpiritus ex humoribus ferventibus, & agitatis elevantur, ab his enim hæc urina perturbatur; nam quoniam ſunt multi ſpiritus, craſſa mingitur: & quia ſunt craſsi, & non diſſipantur, urina craſſa perſeverat: ergo hæc urina craſſa perſeverans, inæqualem fervorem, ac debilem coctionem humorum peccantium in venis indicabit: & cum debilis coctio intra latitudinem cruditatis contineatur, ſemper apparebit hæc urina in principio febrium, & affectum venarum, non vero in incremento. Vnde conſtat, hanc urinam minorem oſtendere cruditatem, quam ea quæ poſtea turbatur; & minorem coctionem, quam ea quæ poſtea attenuatur, ideoque mediam obtinere naturam inter has duas urinas craſſas, quia non eſt perinde mala, ac urina quæ poſtea incraſſatur, nec ita ſalubris, ac ea quæ poſtea extenuatur, ut rectè dictum fuit à Gal. 1. criſi, cap. 12. Atque hæc de ſignificationibus urinarum tenujum; & craſſarum.

DE CAVSIS, ET PROGnoſticis ſupradictarum urinarum.

CAPVT TERTIVM.

EGimus in ſuperioribus de differentijs, & ſignificationibus urinarum quæ ex modo ſubſtantiæ deſumuntur. Reſtat modo, ut cauſas, & prognoſtica harum urinarum adducamus, ut finem huic primæ parti in

urina considerandæ imponamus. Auctor hujus lib. non adducit causas urinarum tenujum, & crassarum, forsan tanquam notas eas prætermisit, cum ex dictis per se sint manifestæ. Nos vero ordinem aliorum Interpretum insequentes, de illis in hoc 3. cap. Disputamus, agentes prius de causis urinarum tenujum. Dictum autem fuit cap. superiori, urinam tenuem indicare, naturam non adhuc aggressam esse coctionem, & ebullitionem, aut non tantam, quantam ad urinæ mediocritatem desideratur: ergo omnia illa quæ id prohibebunt, causæ erunt urinæ tenuis; quæ omnia ad duo capita revocari possunt, ad causas scilicet externas, & internas. Externæ causæ duæ sunt, largus scilicet, & ingens aquæ potus: & vinum album copiosum assumptum, ita Gal. 6. epide. part. 5. comm. 15. nam largus potus aquæ, cum non vincatur, nec supperetur, neque à natura concoquatur, talis excernitur, qualis fuit assumptus, proindeque urina tenuis ad modum aquæ apparet. Vinum autem album, quia medicamentum est movens urinam, statim ad instrumenta urinæ pervenit, & cum serosa humiditate mixtum evacuatur, sicque urina tenuis apparet. Ad has causas revocantur alimenta in multa quantitate assumpta crassa, & frigida, vigilia, imaginatio, & alia quæ etiam solent urinam tenuem efficere.

Iam internæ causæ urinæ tenuis sunt, venarum scilicet, & jecoris cruditas, & obstructio. Imprimis hepatis, & venarum cruditas, seu potius frigiditas, urinam tenuem efficit, quia non rectè procedit humorum generatio, nec separatio excrementorum probe fit, sicque humoribus incoctis, tenuis urina excernitur. Hæc autem frigiditas, vel provenit ratione temperamenti, vel ratione ætatis, vel ratione sexus: ratione temperamenti, cum frigidum sit: ratione ætatis, cum puer aut senex fuerit: ratione sexus, num fœmina, an vir existat: in his enim variatur urina in tenuitate in quibus ad frigidius inclinat temperamentum, sexus, vel ætas: & in his crassiores redduntur urinæ in quibus ad calidijs fit inclinatio.

Quod autem frigiditas tenuem reddat urinam, ratio ipsa demonstrat, quoniam frigiditas non potest humores cum serosa substantia permiscere, quia mixtio fit a calore. Vnde construo argumentum, urinæ crassæ fiunt ex permixtione serosæ substantiæ cum humoribus; sed talis mixtio non potest fieri à frigiditate: ergo frigiditas non reddet urinam crassam, sed tenuem. Quod si accidat aliquando in vehementissimo calore, qualis accidit in febribus ardentibus, urinas tenues apparere, hæc urinarum tenuitas non debetur calori, sed potius frigiditati, quia hic calor in his febribus dissipat calorem nativum hepatis, quod dissipato, & imbecillo reddito fiunt urinæ tenues: quemadmodum ex febribus ardentibus docebat Hippoc. 2. prog. sent. 1. fieri hydropes, dissipato à calore febrili

innato

innaro calore; sic similiter contingit in febribus ardentibus. Possumus etiam dicere, tales urinas posse aliquando contingere in febribus ardentibus, propter summam obstructionem, quod, signum est exitiale: minime vero fieri tales urinas à calore ingentissimo.

Ex quibus constat, senes qui natura frigidi sunt, urinas habere tenues; contra vero pueros quia calidiores, crassiores habere urinas. Vnde intelligimus locum Hippoc. 2. sentent. 33. *Sunt autem in viris quidem, & mulieribus, urinæ nigræ, in pueris vero aquosæ, deterrimæ*: id autem dictum fuit, quia tales urinæ contrariam maxime habent naturam cum naturis propositis, ut Gal. in com. docet.

Altera causa interna tenuis urinæ est obstructio, renum potissimum, vreterum, vesicæ, aut meatus pudendi, & precipuè si ortum habeat ex lentitie humorum: nam fieri solet obstructio ex crassitate, & multitudine, quæ non redet urinam ita tenuem, quemadmodum illa quæ orta fuit ex lentitie humorum, quia quod lentum est, partibus ipsis hæret, sicque urina quæ ex hac causa fit, percolabitur ejus pars tenujor, crassa remanente. Quod intelligimus hoc exemplo nam quemadmodum solemus aquas turbidas per vasa fictilia, aut linteola percolare, ut earum pars crassa ibi remaneat, & percoletur tenujor: sic similiter existente obstructione in aliqua ex partibus supradictis, cum non pateat additus liber ipsi urinæ, ideo fit ut transcoletur ejus pars tenujor, crassa ibi remanente; idque etiam experimur in principio doloris nephritici in quo urinæ tenues, veluti aqua, percolantur: postea vero cessante jam dolore crassæ, & sabulosæ excernuntur, quia scilicet causa obstructionis fuit simul cum urina excreta.

Obstructio etiam hepatis, urinas tenues efficere potest, non percolatione, ut antea dicebamus, sed quia ab obstructione, intemperies frigida in hepate excitatur. Quo loco animadvertere oportet Vallesij errorem, qui 3. lib. contro. cap. 24. existimavit, obstructionem causam esse non posse tenujum urinarum, quin hepatis, & venarum cruditas sit adjuncta: cum contrarium quotidie experiamur in obstructione renum, vreterum, aut vesicæ urinam tenuem excerni nulla existente in hepate cruditate; verum quidem illud est, quando obstructio est in hepate, non posse reddi urinas tenues citra ipsius jecoris cruditatem; at vero cùm obstructio hæc reperiri posit in illis partibus, ut dictum est, proinde poterit tenuis urina excerni, nulla existente in hepate cruditate, ideoque falsa erit illius sententia.

Jam de prognostici urinarum tenujum agamus. Prædicet Medicus, interdum salutem, interdum mortem, morbi longitudinem, & brevitatem, vel excretionem aliquam futuram, Gal. 1. crisi, cap. 12. urinam tenuem morbi longitudinem, aut perniciem indicare ostendit; nam si vires sint robustæ, morbi longitudinem: si ve-

ro maxime postratæ fuerint, mortem prænuntiant. Vnde fit ut in febribus ardentibus, talis urina lethalis, admodum sit, quia in his febribus vires, admodum sunt exolutæ. Sed cum urina tenuis à varijs causis nascatur, & non omnes causæ aliquid faciant ad prædictionem, ideo non semper ex urina tenui aliquid prædicemus. Si fiat ob colliquationem in febre ardenti, malignitatem denotat, timebisque malum futurum. Vrina quæ tenuis mingitur, & postea incrassatur, si cum signis coctionis adveniat, salutem portendit; cum exitialibus vero, mortem docente Gal. 2. prog. com. 34. ista ergo urina abscessum denuntiat, cum hac tamen animadversione, quod si morbus sit longus, speretur abscessus ad partes internas ob crassitiem materiæ, & virium imbecilitatem quæ spatio temporis languidiores redduntur.

Explicatis causis, & judicijs urinarum tenuium, restat agere de causis urinarum crassarum, agentes, postea de earum prognosticis. Prima causa urinæ crassæ, est imperfecta sanguinis concoctio, quam maxima agitatio, & perturbatio consequitur ex qua flatulenti spiritus, & vapores excitantur qui cum substantia serosa permixti, urinam crassiorem reddunt: qui vapores, si pauci sint, & exigui, non statim efficiunt urinam crassam, sed postea; si vero permulti sint, & crassi, tunc statim urina crassa apparebit: quod significavit Hipp. 4. aphor. sent. 70. dum habet. *Quibus febricitantibus urinæ turbatæ sunt quales jumentorum, ijs dolor capitis, vel adest, vel aderit*, Gal. in com. rationem reddit, dicens: quia ex nimio humorum crassorum fervore multi flatus elevantur, & ex his qui miscentur urinæ, ipsam valde turbant: qui vero feruntur ad caput, dolorem capitis excitant.

Secunda causa urinæ crassæ est maxima imbecilitas caloris hepatis, qui non potest recte humores attenuare, & serum à sanguine separare: proindeque fit ut in hydrope soleat apparere urina crassa, & subrubra, quia calor, propter imbecilitatem, nequit serum a sanguine segregare, atque secernere.

Tertia causa est, permixtio humorum crassorum cum urina, quod fit citra vitiatam hepatis coctionem, aut aliquo modo læsam, idque varijs modis contingit: aliquando propter crisim, expellente natura humorem ad renes, veluti accidit in fine quartanæ, in qua succus melancholicus jam victus, ac superatus à natura, simul cum urina excernitur eam crassiorem reddens: nonnumquam citra crisim, si abundent in venis multi humores crassi, & excernantur à natura. Fit etiam aliquãdo urina crassa propter imbecilitatem renum alijs partibus ad renes transmittentibus humores crassos. Tandem potest fieri urina crassa propter apertionem aliquam venæ in renibus, aut propter ruptionem alicujus abscessus in partibus quæ ad viam urinæ pertinent.

Ex his quæ dicta sunt, facile erit intelligere quid judicare possimus ex uri-

urinis crassis. Solent Medici prædicere mortem aut salutem, morbi longitudinem, vel brevitatem, modum crisis, vel morbum aliquem futurum. Ex urina igitur crassa qua talis perseverat, si cum virium roborare accidat in febre putri, ejus longitudinem prædicemus; quod si cum virium imbecillitate accidat, mortem judicabimus: si vero sit valde crassa veluti jumentorum, idem etiam prædicemus, sed amplius, nempe capitis dolorem: ita Hipp. 4. aphor. sent. 70. Si vero non solum crassa sit, sed etiam appareant in ea notæ coctionis contrariæ proxime quidem, morbi malignitatem judicabimus: & ex comparatione cum alijs signis possumus mortem prædicere. Ex urina crassa quæ ob crisim talis apparet, si prius coctionis signa præcesserint, salutem statim futuram indicat; si vero absque notis coctionis excernatur, mala perpetuo erit. Si urina crassata talis non perseveret, sed attenuetur, mediocritatemque habeat substantiæ, & optimum sedimentum, salutem futuram ostendit, & humorem superandum esse à natura, morbique etiam brevitatem indicat; quod observatum fuit ab Hipp. 1. epid. part. 2. sent. 45. & à Gal. etiam 4. aphor. com. 22. & 29. cum inquit: *Coctiones celeritatem judicij ostendere, & morbi securitatem.* Vrina tenuis quæ postea fit crassa, idem ostendit, quod urina quæ propter fervorem remanet crassa: imò, quoniam majorem cruditatem ostendit, majorem quoque morbi longitudinem, & majus periculum indicabit, quam urina quæ crassa mingitur. Atque hæc de differentijs, significationibus, causis, & prædictionibus urinarum quæ ex modo substantiæ desumuntur.

DE DIFFERENTIIS URINARUMQUE EX COLORE desumuntur.

CAPVT QVARTVM.

¶ *Cum vero in priori partitione mentionem etiam fecerimus differentiarum, quæ à coloribus capiuntur, tam deinceps eas exponamts, &c.*

ABsoluta jam disputatione de substantia urinæ, disputat Auctor de coloribus urinarum: & licet interpretes varia, in præsentia, de coloribus differant: cùm tamen id præter rem videatur, propterea nos diffinitionem coloris solum proponemus, ut commodius differentias ab eo petitas deprehendamus. Ex permixstione itaque lucidi cum oppaco nascitur quædam qualitas visu perceptibilis, quæ color appellatur, unde color diffinietur, qualitas, visibilis in extremitate corporis oppaci, & hinc

fit,

fit, ut primum quod videatur, color ſit. Plato in Timeo colorem nominat, flamulam quamdam à corpore, emanantem, & habentem partes accomodatas viſui ad ſentiendum, & Ariſtot. libr. de ſenſu, & ſenſili, colorem, inquit, eſſe extremum in corpore terminato.

Colores in urinis varijs modis dividuntur ab Auctoribus. Imprimis Auctor hujus libri ſex ſtatuit differentias colorum in urinis, album ſcilicet, pallidum, flavum, ruffum, rubeum, & nigrum. Gal. 1. criſi, cap. 12. duas addit differentias, nempe lividum, & viridem. Actuarius lib. different. urin. cap. 8. decem adducit differentias, nimium, album, ſpiceum, aureum, croceum, rubeum vineum, paſſeum, venetum, viridem, & nigrum; quæ omnes differentiæ ſub illis octo comprehenduntur. Ex quibus colligimus octo eſſe colorum differentias in urina contemplandas: album ſcilicet, palidum, flauum, ruffum, rubrum, viridem, lividum, & nigrum. Has differentias colorum, in rebus externis demonſtremus: fit urina alba, ut ſuo loco dicemus, vel privatione rei tingentis ipſam, vel permixtione: urina alba quæ fit permixtione, aſsimilatur illi ſubſtantiæ admixtæ: quæ vero fit privatione, ſimilis eſt aquæ, pallidus color aſsimilatur vino albo tenui, ſive paleis maturis: ruffus color ſimilis eſt auro: flavus croco: ruber colori ſanguinis aſsimilatur, vel ceraſorum acidiorum.

Præterea unuſquiſque horum colorum habet magnam latitudinem; à Medicis tamen ſub duobus gradibus comprehenditur, nempe pallidus, & ſubpalidus: ruffus, & ſubruffus: flavus, & ſubflavus; namque color ille qui naſcitur ex croco infuſo in pauca aqua, eſt flavus; quod ſi diluatur hæc aqua, fit ſubflavus: ſi magis diluatur, ruffus: ſi amplius, ſubruffus: ſi multo magis, pallidus: & ſi maxime ſub pallidus: à quo, ſi excedat, aqueum colorem obtinebit id totum quod diluetur. Lividus color dicitur ille, qui aſsimilatur plubo: viridis, & niger color, quales ſint perſpicuum eſt licet in uno quoque varietas reperiatur, & ratio majoris, & minoris. Ex his coloribus, alij ſunt extremi, alij medij: extremi colores, ſunt albus, & niger: alij vero ſunt medij, quia participant ab extremis: nam proximus colori albo, eſt pallidus: proxime vero accedit lividus color ad nigrum: reliqui vero colores non ita proxime ad extrema accedunt, ſed poſt pallidum, ſequitur ruffus, deinde flavus, poſtea rubeus licet hic magis ad nigrum accedere videatur. Hæc de colorum differentijs in urinis.

DVBITATIO VNICA.

Vnde urina ſuum colorem accipiat.

VErtitur hoc loco in dubium, unde nam urina ſuum colorem accipiat, & à quo tingatur. Quidam ſunt qui exſtimant, urinarum colores, per ſolam alterationem à nuda intemperie provenire, quod aliquibus

bus

bus rationibus videntur confirmare. Prima est, omnes Medici concedunt, ex coloribus album, lividum, & nigrum quando provenit ex livido, caloris extinctionem in urinis ostendere, & contra, colorem flavum, rubrum, viridem, & nigrum ex transitu viridis, sequi ad intemperiem calidam, ut monet Gal. 1. de crisib. cap. 12. de quibusdam coloribus: ergo colores urinarum à nuda intemperie proveniunt. Secunda ratio, si aliquis homo plus justo se exerceat, aut inediam patiatur, & multo tempore urina detineatur, excernere solet urinam magis accensam propter majorem calorem adquisitum: ergo color urinæ sequitur ex certo qualitatum temperamento.

Hæc tamen sententia Philosopho, & Medico indigna videtur: Philosopho, quidem, quia urina ex se nullum habet colorem: est enim urina, materia potulenta ab omni colore denudata: ergo sola alteratio à nuda intemperie proveniens non poterit urinæ, colorem tribuere. Repugnat quoque hæc sententia Medico: quia Medici, colores urinarum permixtioni humorum tribuunt, ducti Hippocr. auctoritate 6. epide. parte 5. sentent. 14. ubi habet. *Lingua ut lotium significat, &c.* Gal. in com. quod diximus de lingua, idem de lotio, scilicet de urina intelligendum est: nam linguæ colores humores in nostro corpore redundantes demonstrant, ita ut pallida lingua, bilem redundantem significet: idem dicendum est de lotio. Ita Gal. 1. aphor. com. 2. *Color etiam similis efflorescit in cute, si humores intro non regurgitaverint.* Idem etiam docet 1. aphor. com. 12. & 4. sanit. tuend. cap. 4. *Color à succis provenit, non à solidis animalis partibus, ut que cum se succi in altum non receperunt.* Quæ ultima verba ostendunt, colorem provenire propter humorum præsentiam, & eorundem absentiam: proindeque excitatur color albus in cute in animi pathematis, cum humores intro se receperunt; ita Gal. 3. de humo. com. 25.

Quare asserendum erit, solam alterationem ab intemperie nuda provenientem, non esse causam colorum in urinis; sed potius humorum permixtionem; quod in hunc modum ostendimus. Primo, quoniam si id verum esset, tenuis urina nullo esset colore prædicta, sed aliquando optimum servat colorem, ergo urinæ color non fiet à nuda intemperie. Secunda ratio, si urinæ color non nasceretur ex permixtione alicujus humoris, non posset urina redundantes humores in venis ostendere, atqui redundantiam humorum demonstrat: ergo urinarum color fiet ex permixtione humorum: major proposito per se est manifesta: nam ex eo ostendit urinæ color redundantem humorem, quiat ingitur à portione ejus humoris qui in venis redundat, & cum urina expurgatur, minor vero probatur ex Gal. 1. de crisib. cap. 12. 4. sanit. tuend. cap. 4. & alijs locis, qui scribit, ex urina colligendam esse redundantiam cujusque humoris: ergo, &c.

Ad primam rationem pro contraria parte positam, respondemus, illos colores nempe viridem, & nigrum, caloris extinctionem ostendere, aut sequi ad intemperiem calidam, non quod à frigida, aut calida, intemperie urina tingatur, sed quia qualitates hæ, aut frigidos, aut calidos generant humores, qui cum urina permixti, eam tingere solent. In secunda ratione concedimus, per inediam, vel exercitationem, & similes causas caloris adaucti, intendi colorem in urina non proxime, sed mediante humore bilioso qui adquiritur, & cum urina permiscetur. Ex quibus concludendum erit, colorem in urinis non fieri ex alteratione ab intemperie nuda proveniente, nec sequi immediate ad corporis temperiem, sed potius ad alicujus humoris permixtionem.

DE COLORIBVS VRINArum secundum naturam.

ANtequam de causis urinarum præter naturam agamus, tradendi sunt prius colores urinarum secundum naturam, quod maxime est necessarium ad dignotionem causarum, & ad urinas præternaturam cognoscendas. Colores urinarum in hominibus secundum naturam se habentibus, varij sunt: immò, quod magis est, unus, & idem homo pro diversa ætate, variam urinam excernere solet in colore; unde pene infinitæ resultant colorum differentiæ urinarum in hominibus secundum naturam se habentibus: cæterum quia ars, infinita non tractat; proinde ab omnibus Medicis, sub tribus capitibus comprehenduntur: est enim color urinarum secundum naturam, vel subpallidus, vel subruffus, vel subflavus; quod colligi videtur ex Gal. de crisib. cap. 12. qui ex humore bilioso, urinam secundum naturam tingi affirmabat: neque immerito, quoniam cùm sola bilis, cum ipsa urina excernatur, ut ipsemet docet 5. de usu part. cap. 6. nihil mirum, si ex sola bile urina suum colorem naturalem accipiat, proindeque vel sub pallida, vel subruffa, vel subflava reddatur. Fit urina subpallida, in illis ætatibus, & temperaturis inquibus bilis pallida generatur: subruffa, in quibus bilis ruffa, & subflava, in quibus bilis flava, quia solum hæ tres bilis differentiæ repериuntur in hominibus secundum naturam se habentibus, ut docet Gal. 2. de facult. natural. nam in temperàtis, bilis ruffa, in frigidioribus pallida: in calidioribus vero flava bilis repiritur. Ex bile flava ortum ducit urina subflava, cocta bile, & diluta simul cum serosa substantia. Idem judica de pallida, & ruffa.

In his coloribus malta est latitudo: nam color bilis palidæ in aliquibus magis est intensus: in alijs remissus: in alijs vero mediocris. Idem de colore ruffo, & flavo dicendum est; & quemadmodum color bilis pallidæ, ruffæ, & flavæ, magis, & minus suscipit: sic similiter color urinæ subpallidæ, subruffæ, & subflavæ, magis,

gis, minusque suscipiet: nam in quibus generatur bilis secundum naturam remisse pallida, in illis erit urina remisse subpallida; & in quibus est bilis magis pallida, in his urina magis erit subpallida. Cum autem color subpallidus, subruffus, & subflavus urinarum, ortum ducat ex coctione bilis unicuique colori respondentis, idcirco fit, ut quæcumque urina hominis secundum naturam se habentis, vel fit subpallida, subruffa, & subflava: non autem potest esse pallida, ruffa, aut flava: quoniam si talis urina esset, imperfectam coctionem hepatis demonstraret, & non probè esse factam, sed majorem bilis copiam fuisse in jecore genitam, aut aliunde provenisse, quam posset dilui, & ad mediocritatem reduci; ita Gal. 2. prog. com. 30. dum inquit, urinam naturalem esse modice pallidam, quoniam fit ex humore cocto, cui parum flavæ bilis sit admixtum: quo in loco, per pallidam, vere pallidam, ruffam, aut flavam intelligit Gal. quamadmodum per flavam bilem, pallidam quoque, & ruffam. Est itaque urina naturalis, modicè pallida, ruffa, aut flava, quod idem est, ac subpallida, subruffa, vel subflava.

Sed objicies contra hæc quæ dicta sunt, serum refert colorem ejus humoris cujus est serum: ergo urina hominis secundum naturam se habentis, erit rubra, cùm serum sanguinis, quantitatem aliorum humorum superet, igitur non erit subpallida, subruffa, vel subflava. Huic objectioni, varij varia respondent. Nos autem illi satisfacimus ex principijs superius propositis, negantes multiplex esse serum in nostro corpore: nam unicum revera est, & id ex sua natura perlucidum; igitur cum ex se sit perlucidum, nullo colore erit præditum, quod si referat colorem humoris biliosi, id propterea fit, quoniam bilis in hepate vehementer confunditur, ac permiscetur cum sero, confuseque descendit cum eo quando renes per venas emulgentes serum attrahunt.

Obicijs secundo, Gal. 1. crisi. cap. 12. inquit, pallidam urinam quoad colorem, esse coctam; ergo præter dictas urinas, datur alia naturalis, nempe pallida. Respondemus Gal. non dixisse simpliciter urinam pallidam esse naturalem, sed collatione facta cum alijs, quæ cruditatem significant urinam pallidam coctam esse in colore, quasi significet, non absolute dici naturalem, quia urina pallida indicat plus bilis esse genitum, quæ non potuerit coctione jecoris dilui, & ad mediocritatem reduci.

Obicies tertio, Gal. 1. de crisib. cap. 12. duas tantum urinas naturales statuit, nempe subruffam, aut subflavam: ergo falsum erit decretum, tres esse bilis naturalis differentias, Huic objectioni respondent aliqui dicentes: Gal. loco citato loqui de homine temperato in quo generatur bilis ruffa, & fit urina subruffa, & propter hanc causam non meminisse subpallidæ. Quod si illis objicias, cur fecerit mentionem urinæ flavæ? Res-

pondent, quia homo temperatus si calfiat, urinam subflavam excernit. Hi autem maxime dicipiuntur, primum quia cum homo temperatus faciat urinam subpallidam, quando refrigeratur, debuisset etiam Gal. mentionem facere subpallidæ. Deinde quia si homo temperatus calfiat, non faciet urinam subflavam, sed potius ruffam, aut flavam. Quare respondemus nos dicentes, subpallidam urinam prætermissam fuisse à Gal. tanquam notam, & certam: nam qui mentionem facit urinæ subruffæ, & subflavæ, tacitè etiam subpallidam comprehendit, cum in corporibus secundum naturam se habentibus generetur bilis pallida, non secus, ac ruffa, & flava, ut colligitur ex Gal. 4. sanitat. tuend. cap. 4. ubi bilem ruffam appellat, *ochroxanton*, quasi ex pallido, & flavo compositam.

Vltimo loco videre oportet, an in coquendis urinis, prius adquiratur color, quam bona substantia, aut è contra. Hæc dubitatio ortum duxit ex Arabibus controversiarum omnium parentibus, qui existimant, urinam in coctione prius acquirere substantiam, quam colorem: quam sententiam pluribus sophismatis confirmant, quorum examen prætermittitur à nobis in præsentia, ne nimis quam par sit, nostra disputatio procedat. Cujus dubitationis solutio, ut comodius intelligatur, animadvertenda sunt ea quæ superius dicebamus de urinarum coloribus, hos scilicet mixtione fieri, non vero alteratione, quo posito, solutum remanet dubium: quoniam si urinarum colores mixtione fiunt, fieri potest ut prius bonus color, quam bona substantia acquiratur, aut e contra: igitur potest fieri ut tenui existente urina fluat aliqua portio bilis, quæ eam tingat, & sic prius color, quam bona substantia acquiratur. Pari etiam ratione, potest prius bona substantia, quam color acquiri, si non descendat bilis quæ ipsam urinam tingat, illa tamen mediocris sit in substantia, prius acquiretur tunc temporis substantia, quam color: quod intelligendum est; quatenus potest bonus color cum tenui substia reperiri, docente Galeno 1. epid. parte 3. com. ultimo.

Plura etiam sunt apparentia quæ id confirmant: nam in morbis biliosis in quibus urinæ color flavus est, passim experimur mutari colorem absque substantiæ mutatione; quod observatum fuit à Gal. 1. crisi. cap. 17. cùm dixit: *In morbis biliosis natura superante, satis est mutari colorem urinæ.* Potest etiam urina tenuis, & alba, fieri subpallida, & tenuis, quod colligitur ex Gal. de crisib. cap. 12. cum loquens de urina pallida, dixit: *Hæc vero quantum ad colorem attinet, jam coquitur, &c.* Quare dubium non est, quin possit urina mutare colorem citra substantiæ mutationem.

DE

DE CAVSIS, ET PROGnosticis colorum præter naturam urinarum, & primum de urina alba.

QVamuis noster Auctor, nihil de causis: & prognosticis colorum præter naturam urinarum attingat: nihilominus tamen nos, quia hoc valde utile, ac necessarium esse videmus ad effectus præter naturam dignoscendos, propterea de illis in præsentia disputamus. Ex coloribus urinarum præter naturam, primus se offert color albus in urinis, contemplandus: cum autem urina alba, vel tenuis sit, vel crassa, variabitur ejus causa pro varia differentia urinæ albæ. Vrina alba tenuis, vocatur alio nomine perspicua, ita Hippoc. 4. aphor. sentent. 72. ea autem appellatur quæ colore caret, & quæ non est crassior mediocri: hæc semper fit, & apparere solet propter bilis defectum, à qua urina suum colorem accipit: bilis autem deficit, primo quia non generatur, ut accidit in his in quibus calor hepatis est languidus: quod fit, vel propter aliquam causam externam, ut refrigeratione facta à largo potu aquæ gelidæ, aut ab alimentis frigidis, aut nimia vigilia: vel propter ætatem, ut in senibus, vel propter humorum crassorum, & frigidiorum præsentiam. Secundo deficit bilis, quia non permiscetur cum serosa substantia, ut accidit in his qui diabete laborant. Tertio deficit bilis, quoniam licet generetur, non fertur ad vesicam, sed alio rapitur bilis, ut quando confluit ad cerebrum per febres ardentes: rursus quando fertur ad cutem, ut in morbo regio: videmus enim in hoc affectu urinam albam; quamvis id non absolute intelligatur, sed collatione facta ad urinas mediocres, & naturales. Quarto deficit bilis, quia quamvis generetur, non potest cum urina permeare, quoniam viæ sunt obstructæ, & ita sola aqua percolatur, remanetque humorum serum simul cum ipsa bile, quæ secundum naturam tingere solet urinam, proindeque sola aquosa substantia percolatur propter dictam viarum obstructionem: non tamen omnes partes per quas urina transit, possunt adeo obstrui, ut urinam tenuem, & albam reddant, sed soli renes, vreteres, & partes inferiores: nam venæ emulgentes, cum magnam, sive amplam habeant cavitatem, non possunt ita obstrui, ut intercludant aditum bilis ad ipsos renes. Solus itaque humoris biliosi defectus, urinam albam tenuem reddere solet.

Alia dicitur urina alba crassa, quæ semper fit propter permixtionem alicujus substantiæ albæ tingentis ipsam: hæc autem substantia duplex esse potest, pituita scilicet, & pus: ad pituitam revocamus succum crudum, quoniam frigidus est, & humidus quemadmodum pituita, excernitur autem pituita, aut succus crudus, vel propter maximam quantitatem succorum crudorum in illis partibus coacervatam, & cum urina permixtam, ut accidit in pueris in quibus

propter voracitatem multa pituitosorum excrementorum copia colligitur, quæ à facultate eorum robusta, simul cum urina permixta excernitur. Vel excernitur pituita propter crisim, superante, natura, & expellente humores crassos genituræ similes, ut docet Gal. 6. epid. part. 2. com. 27. humores autem similes genituræ, nihil aliud sunt, quam pituita vitrea sic à Praxagora nominata. Distinguemus autem pituitam à succo crudo hac ratione, quod succus crudus non habet tantam humiditatem, ac pituita, quia incoctus est: tum etiam quia non possunt excitari flatus ab eo, sicuti ex pituita, cùm flatuum generatio, aliquem calorem expostulet, & in succo crudo non sit tantus, ut ex eo flatus eleventur, ita Gal. 4. sanitat. tuend. cap. 4.

Altera substantia quæ urinam albam crassam reddit, dicitur pus, ad quod revocantur ichores quidam purulenti quos excernere solent fœminæ in quibus sunt ulcuscula in vesicæ collo, & cervice uteri; & viri in quibus in interna parte penis, ulcuscula generantur, qui affectus genorrhæa gallica appellatur. Solet excerni pus per urinam, rupto aliquo abscessu, vel in parte sima hepatis, vel in partibus vicinis quæ per renes sunt expurgandæ: quod cognoscemus, si aliqua signa suppurationis præcesserint, & ex fœtore etiam urinæ; quibus notis distinguemus urinam albam quæ fit à pure, ab ea quæ fit à pituita. Distinguitur etiam ab urina alba quæ fit ex ichoribus illis, quoniam tunc ex ichoribus est alba, quando quod subsidet in urina, non est crudum, quemadmodum ex pure. Hæc de causis urinæ albæ.

Jam de prognosticis urinæ albæ agamus. Prædicemus ex urina alba tenui in morbis cum virium robore apparente, ipsorum longitudinem: si vero languidæ, ac nimis prostratæ fuerint, mortem judicabimus. Quod si urina alba, & crassa fuerint cum virium robore, longuitudinem etiam predicemus: si vero languidæ fuerint vires, mortem, nisi signa coctionis præcesserint; si autem post coctionem appareat, & in multa quantitate, crisim, seu judicium naturæ, & victoriam ostendit; ita Gal. 1. epid. part. 2. com. 45. Vrina quæ in febribus ardentibus, alba, & tenuis subito apparet, magnum raptum bilis primo, & per se denotat: secundario vero phrenitidem subsequuturam ostendit; quoniam cùm bilis humor sit acris, & tenuis, potius caput petet, quam alias partes, & inflamationem faciet, propterquam causam Gal. 4. aphor. com. 72. inquit, ex his phreneticis qui urinas albas habuerunt, se nullum vidisse servatum: neque immerito, quia quando magnus est raptus humoris ad caput, natura cerebri non potest discutere humorem in eo contentum, proindeque necesse est calidum innatum cerebri extingui, & ex consequenti ægrotum interire. Ex urina alba, & tenui in febre ardente subito apparente, non colligemus raptum humoris ad caput, sed magnum humoris raptum ad partes distantiores.

Sed

Sed obijcies, Gal. 4. aphor. com. 72. docet aquosas urinas magnam cruditatem ostendere, & flavam bilem ad caput solummodo rapi: ergo falsum est quod diximus, urina alba apparente, posse deferri bilem ad alias partes. Respondemus Gal. locum intelligendum esse de delirantibus, quoniam si ægrotus deliret, & urina aquosa sit, signum est nihil bilis descendere cum ipsa, sed ad caput solum totam deferri; non tamen proinde negat quin posit alio ferri in febre ardente, urina aquosa apparente, & alios morbos generare.

DE CAUSIS, ET PROGNOSTICIS urinæ pallidæ, ruffæ, & flavæ.

SEcundo loco agendum est de tribus coloribus urinarum præternaturam, nempe de urina pallida, ruffa, & flava, quæ tres differentiæ sub uno genere comprehenduntur à veteribus, cum ab eodem humore generentur, videlicet biliosо. Habet autem quælibet harum differentiarum maximam latitudinem, nam pallida urina, vel est simpliciter pallida, vel intensè pallida, vel remissè pallida. Idem intellige de ruffa, & flava, quæ solum majoris minorisque ratione inter se distinguuntur. Imprimis fit urina pallida simpliciter ab immodica bilis pallidæ permixtione: quod si ejus quantitas sit major, fit intensè pallida: si vero modica fit ejus portio, fit urina subpallida, seu remissè pallida: quoniam retunditur bilis color à serosæ humiditatis permixtione, quæ ultima differentia naturis frigidis est familiaris. Vrina etiam ruffa simpliciter, fit ex multa permixtione bilis ruffæ: quod si major sit ejus quantitas, fit intensè ruffa: si vero mediocris, fit urina subruffa, quæ in naturis temperatis, reperitur. Idem judica de urina flava, quæ intensior, vel remisior fit pro majori, aut minori bilis flavæ quantitate cum ea permixtæ.

Explicatis causis harum urinarum, agendum est de earum judicijs, seù prognosticis. Vrina subpallida, cùm naturis frigidis familiaris sit, si in morbis acutis appareat, & in naturis quæ bilem ruffam, aut flavam generare solent, præternaturam est, & venarum cruditatem ostendit, non omnimodam, quoniam incipientem coctionem ostendit talis urina. Vrina etiam subruffa, cum naturalis sit naturis temperatis, si in corporibus appareat frigidioribus, excessum caloris demonstrat: in calidioribus vero, lapsum versus frigiditatem. Idem collige de urina subflava, quæ calidioribus naturis est familiaris; proindeque si in naturis frigidis, & temperatis reperiatur, præternaturam erit, quia caloris excessum indiat, quod si flava sit, & in ipsismet naturis calidis reperiatur, calorem excedentem insinuabit. Vrina quæ intensè est flava, in febre ardente si paulatim remittat colorem, & non subito, & cum signis abscessus, victoriam naturæ ostendit, ut colligitur ex Gal. 1. de crisib. cap. 12.

DE

DE CAVSIS, ET PROGNOSTICIS urinæ rubræ.

QVinta differentia urinarum præter naturam, eſt urina rubra, Gal. 2. prorrhet. comm. 25. dividit hanc urinam, in rubram ſimpliciter, ſubrubram, & prærubram, ſeù intenſe rubram; perruber color appellatur à Gal. 1. prorrheti. com. 31. cruentus, ſeù ſanguinolentus, qui in ſanguine ipſo invenitur: per ſanguinem vero non intelligo bilem rubram, nempe ſerum ſanguineum, ſed potius ipſummet ſanguinem ex quatuor homoribus compoſitum. Subruber color dicitur ille qualis in bolo armeno invenitur, & ruber color, qui cerafis accidis, ſeù pomis maturis aſsimilatur. Vnde intelligemus quæ dicatur urina ſubrubra, rubra, & prærubra, ſeù intenſe rubra, quam ſanguinolentam, vel cruentam poſſumus appellare, cum à ſanguinis colore non differat.

Harum urinarum cauſas attingemus ſi Gal. conſulamus 6. epid. part. 5. com. 14. *Non poſſumus (inquit ipſe) diffiteri, rubrum colorem ab aliquo poſſe fieri, niſi a ſanguine: nam color, humorum exſuperantiam demonſtrat, potiſſimum a ſero ſanguinis, cum multum eſt.* Ita idemmet Gal. confirmaverat 2. prog. com. 27. *Quoties ſanguinis ſerum pariter cum urina deſcendit, colore ſubrubra apparet.* Idem etiam docet 1. de cr. lib. cap. 12. Ex quibus omnibus locis colligitur, quæ ſint cauſæ urinæ rubræ, prærubræ, & ſubrubræ: omnes enim fiunt à ſanguine cum ipſa urina deſcendente, vel à ſanguinis ſero; namque in corpore humano nulla alia ſubſtantia rubra reperitur, quæ urinam hoc colore tinctam reddere poſsit.

Commune eſt omnibus his differentijs, ut à ſanguine fiant rubræ: diverſo autem modo deſcendit ſanguis ad urinam rubram, prærubram, & ſubrubram: nam urina prærubra fit in nephriticis in quibus renes imbecilles ſunt, quæ proportione reſpondet, valde rubenti proluviei ventris, & eodem modo generatur, ut docet Gal. 1. prorrhet. com. 2. nam quando venæ partis gibbæ jecoris, maximam humiditatem in ſe continent, propter quam non poſſunt retinere, vel quantitatem alimenti, vel humorem acrem, à quibus irritetur facultas, excernitur ſanguis ante perfectam coctionem, & fiunt dejectiones ſimiles loturæ carnium recenter mactatarum, ſic ſimiliter quando renes imbecilles ſunt, nec poſſunt tanto tempore detinere ſanguinem quanto indigent ut ſibi apponant, expellunt eum ſimul cum urina, & fit urina prærubra. Quo loco animadvertendum eſt, urinam hanc prærubram non eſſe ſimilem cuique ventris proluviei, ſed illi ſolum quæ valde rubens eſt, propterquam cauſam diſtinguentur hæ urinæ à rubris, & ſubrubris. Vrinæ prærubræ fieri etiam ſolent citra renum affectum in febribus continuis eodem modo quo fiunt rubræ, & ſubrubræ: ideoque urinæ prærubræ non ſemper renum affec-

tum

tum indicabunt.

Fiunt etiam hæ urinæ rubræ differentiæ propter ſerum ſanguinis cum urina excretum: excernitur autem quando multum eſt, aut licet non ſit multum, ſi ſit valde permixta portio ſanguinis cum ſeroſa ſubſtantia. propter quam cauſam, inquit Gal. ſignificare, ſanguinem non eſſe optime confectum. nam ſi optime eſſet confectus, ſeparata fuiſſet ſubſtantia ſanguinis à ſero: hoc autem accidit nonnumquam propter ſanguinis multitudinem in venis hepatis contenti, ſivè ferveat ſanguis, ſivè non: proindeque fit ut infebribus ſynochis, & in alijs etiam febribus poſsint apparere urinæ rubræ differentiæ. Nonnumquam etiam accidit, ut jecur adeo ſit imbecille, & frigidum, ut ne minimam alimenti portionem concoquere exacte poſsit, nec excrementa à ſanguine ſeparare; ideo in hydropicis ſolent apparere urinæ ſubrubræ, quod Medicos imperitos decipit, exiſtimantes naſci ex ſanguinis multitudine.

Illud autem non eſt ſilentio prætereundum, non eſſe idem urinam cruentam ſeù intenſe rubram, & profluvium ſanguinis per urinam: in ſanguinis enim pro fluvio, non ſolum excernitur ſerum cruentum, ſed ſubſtantia etiam ipſius ſanguinis non permixti, proindeque à diverſis cauſis naſcitur: nam primo fieri poteſt, expurgante natura per urinam maximam ſanguinis copiam, ut accidit in his quibus aliquod membrum eſt abſciſſum: ſecundo, propter alicujus venæ inſignis eroſionem tertio, ob ruptionem: quarto propter apertionem, ſeù laxationem orificij venarum quæ in renes finiuntur, ut accidit in his qui immodico venereis uſu utuntur, aut quibus lumbi calefacti nimis ſunt, & renes ex longo equeſtri itinere.

Tandem de prognoſticis urinæ rubræ agamus. Omnes differentiæ urinæ rubræ in univerſum, morbi longitudinem, ſed ſecuritatem demonſtrant, quod particulatim oſtendit Hippoc. 2. progn. ſentent. 27. dicens: *Si urina ſubrubra fuerit, ac ſedimentum ſubrubrum, & læve: diuturnior eſt hic morbus, ſed admodum ſalutaris.* Diuturnior quidem, quoniam hæc urina ſubrubra, vel à multo ſero ſanguineo naſcitur, vel ex permixtione modicæ quantitatis ſanguinis ſeroſi, & quodam modo crudi, qui, ut perfecte concoquatur, aliquod tempus expoſtulat: nam multa ſeri ſanguinei redundantia, crudum fieri ſanguinem demonſtrat; eſt tamen admodum ſalutaris, & ſecurus, quoniam ſanguis ex ſua natura familiaris eſt, & benignus, comparatuſque cum reliquis humoribus, facilius vincitur, & ſuperatur à natura quam alij (quamvis ex urinis rubris aliquando poſsit ſequi mors, quia ſanguinis multitudine poteſt obrui calor nativus, quod præcipue accidit ex prava curatione.)

Illud autem quod de morbi longitudine ex urina rubra dictum eſt, non eſt ſimpliciter, & abſolute intelligendum: nam Hippoc. non ſimpliciter

citer ſcribit, urinam ſubrubram cum ſedimento ſubrubro, longitudinem morbi ſignificare: id autem falſum eſt, cum febres ſynochi, ſeù continentes, urinam habeant rubram, & diuturnæ non omnino ſunt, ſed ſatis breves: ſed comparat eo loco Hipp. urinam rubram cum alijs urinis quarum ſuperius fecerat mentionem, aitque, diuturniorem morbum ſignificare, quam priores: neque immerito, cum in illis jam appareant ſigna coctionis: in hac vero urina adhuc non apparent. Quod autem urina rubra morbi etiam longitudinem, & ſecuritatem oſtendat, docet Gal. 3. epid. part. 1. comm. 5. & de omni urina rubra in univerſum 2. prorrhet. com. 25. quamvis benigniſsima ſit inter has differentias urina ſubrubra, quia naſcitur ex ſero ſanguineo, & ex modica ſeroſi ſanguinis quantitate: minus benigna eſt rubra, quia fit ex majori copia ſanguinis ſeroſi: & multo deterior eſt prærubra, quoniam ex majori redundantia ſeroſi ſanguinis ortum ducit.

DE CAVSIS, ET PROGNOSTICIS urinæ viridis.

SEquitur ordine agamus de ſexta differentia urinæ præternaturam, nempe de urina viridi: cujus cauſa eſt permixtio ſubſtantiæ viridis cum ſeroſa ſubſtantiæ ex venis deſcendentis: cum autem in venis nullus alius humor viridis reperiatur præterquam bilis æruginoſa ſeù porracea, proinde certum erit urinam viridem naſci ex permixti one hujus bilis viridis; bilem hanc æruginoſam, ſeu porraceam ab ingenti calore ſemper provenire exiſtimamus, ideoque urina viridis ingentis caliditatis erit ſoboles, aduſtionemque maximam ſignificabit, quod indicavit Gal. 1. criſib. cap. 12. & 2. progn. com. 47.

Cæterum huic decreto videtur contrariari locus Gal. qui legitur 1. prognoſt. comm. 7. ubi inquit. *Colorem viridem nigriorem eſſe rubeo principiumque eſſe nigri, & libidi coloris quem frigus efficit, &c.* Quæ ultima verba aperte videntur demonſtrare, colorem viridem frigiditatis eſſe ſobolem, quemadmodum nigrum, & lividum. Sed tamen hic locus ſic debet interpretari, ut ultimam dictionem ad lividum referamus, ita ut hic ſit ſenſus: color viridis eſt initium nigri libidique quem frigus efficit, colorem ſcilicet lividum, veluti, & nigrum.

Sed remanet adhuc difficultas, qua ratione viridis, color ſit principium lividi, cum color lividus ſolius frigiditatis ſit indicium, & viridis perpetuo à caliditate ortum ducat. Reſpondemus, Gal. non loqui de colore viridi excrementorum, ſed de colore viridi faciei qui ex ſanguine propter frigiditatem reddito nigriori contingit, atque ex eo, & bile ruffa ægrotantis facies tingebatur: nam ſic pictores ſolent conſtruere colorem viridem ex ruffo, & nigro. Vel reſpondere poſſumus, viridem colorem principium eſſe nigri, & lividi, non quod à frigiditate oriatur quemadmo-

modum lividus, & niger: nam semper excedentem calorem ostendit: sed principium esse dicitur nigri, lividique coloris successione, ita ut post viridem, niger, aut lividus sequatur: nam fieri potest ut post viridem colorem, quia incipit extingui calor, lividus sequatur, sicuti etiam niger solet accidere.

Ex his quæ dicta sunt, facile intelligemus quid de urina viridi prædicendum sit: namque si hæc in febribus apparuerit maximam adustionem demonstrabit, proindeque malignitatem morbi, & aliquando insaniam prædicemus, præcipue si vires fuerint imbecilles, & non corrigatur ejus color.

DE CAVSIS, ET PROGNOSTICIS urinæ lividæ.

IAm de urina livida est agendum. Duas causas colligunt Interpretes ex varijs Gal. locis ipsius urinæ lividæ: quarum prima est, caloris nativi extinctio ab ingenti frigiditate ortum ducens; id autem confirmant ex Gal. 1. crisib. cap. 12. ubi ad hunc modum scribit: *Color autem lividus, frigiditatis effectus est.* Idem etiam docet 1. epid. parte 2. com. 75. inquiens. *Quod vero excremitatis livescerent, neque eis amplius calor rediret demori eas indiact, &c.* Tandem id confirmant ex Hipp. 2. prog. sent. 8. dicente: *Si vero præter gravitatem ungues quoque, ac digiti lividi fiant, expectanda mors continuo est,* Gal. in com. sic habet: *Livescere, signum est extingui calorem innatum, qui de corde emanat.* Igitur constat ex his omnibus locis, urinam lividam fieri propter extinctionem caloris nativi. Quod si Gal. 3. epid. parte 2. com. 5. dicat. *Extremas partes lividas in acuto morbo lethales esse, quia fiunt ex nimia inflammationis viscerum magnitudine, vel nativo intereunte calore.* Ibi, per inflamationem non intelligit Gal. distinctam causam ab exintione caloris nativi: nam propter magnitudinem inflamationis suffocatur calor, & frigiditas in partibus introducitur, ut passim experimur in gangrenis quæ magnitudinem inflammationis sequuntur, docente Gal. 2. ad Glauco. cap. de gangrena. Quare extinctio caloris nativi prima erit causa urinæ lividæ.

Hæc ab omnibus Interpretibus recepta sunt de urina livida: vellem autem, diligentius perpenderetur, ipsius urinæ lividæ generatio: quoniam difficile videtur, ac pene impossibile, substantiam serosam, & bilem à frigiditate talem colorem accipere: imò in hepate in quo calor nativus adeo est extinctus, non erit bilis quæ permisceatur sero, & solum serum accipere debet liborem à frigiditate. Quare dicendum est (ut initio hujus disputationis dicebamus) urinam, non solum aquosa substantia constare, sed esse tale genus excrementi, ut ejus sapor demonstrat, in quo quædam partes terræ repetiuntur quæ propter frigiditatem condensatæ, oppacitatem accipiunt, & proinde lividum colorem.

Altera causa urrinæ lividæ, est permixtio humoris melancholici cum urina in pauca quantitate, quod significavit Gal. 2. prognost. comm. 22. quod etiam in extremis partibus nostri corporis contingit, quæ ex multo humore nigro descendente fiunt nigræ ex pauco vero lividæ: excernitur autem multus aliquando victus, & superatus à natura: paucus vero cintra victoriã naturæ, proinde Hipp. 2. prognost. sentent. 9. scriptum reliquit; in febribus acutis, minus esse perniciosum si pedes nigrescant, quam si livescant, cum livor ex naturæ irritatione, nigredo vero ex victoria ipsius sequatur.

Sed videtur obstare Gal. locus qui legitur 1. crisib. cap. 12. quo loco habet: *Livida urina solius frigiditatis est soboles.* Neque meminit alterius causæ, scilicet permixtionis succi melancholici in exigua quantitate, quemadmodum fecerat 2. prognost. ergo vrina livida à sola frigiditate ortum ducet. Respondemus, Gal. 1. crisib. antequam de urina livida disputasset, prius ægisse de urina nigra, & hanc à calore, & frigiditate fieri affirmavit: deinde vero habet: *Livida urina solius frigiditatis est soboles:* quasi dicat, hæc non fit à duplici intemperie, quemadmodum nigra, & proinde dixit, solius frigiditatis esse sobolem: non tamen proinde negat fieri ab exigua permixtione succi melancholici, ut docuit 2. prognost. com. citato.

Sed percontraberis, si urina livida à duplici causa ortum ducit, est ne forsan aliquod signum quod has duas causas distinguat: Respondemus quod sit: hoc autem signum desumitur ex signis salutis, & mortis: namque si signa mortis appareant, & livida excernatur urina, tunc propter caloris nativi extinctionem fiet: signa vero mortis sunt veluti mente non constare, nec bene se habere ad ea quæ offeruntur, anxios esse ægrotantes, & alia quæ traduntur à Galeno in libris prognosticorum, si vero signa non ita mortifera, ac perniciosa appareant, signum erit fieri urinam lividam ex permixtione succi melancholici.

Sed jam ad prognostica urinæ lividæ descendamus. Ex urina livida à quavis causa fiat, semper malum prædicemus: quoniam si à frigiditate ortum ducat lethalis est: caloris enim nativi extinctionem demonstrat; si autem ex modica permixtione succi melancholici fiat, mala quoque est, quia indicat languidam esse facultatem expultricem, quæ non potest totum humorem evacuare: quod autem hoc verum sit, deducitur ex Gal. 1. epide. part. 2. com. 75. ubi sic habet. *Quin etiam stillasse nares, quod perniciosum est signum, cum in alijs, tum maxime in febribus ardentibus, ait: nam ardentibus febribus hoc perniciosissimum esse patet, siquidem eis est familiarissimum sanguinis eruptio.* Idem stillatio sanguinis quia sensim fit, mala est. Id autem apertius explanaverat idemmet, Galenus 4. acutorum comment. 67. ubi inquit. *Novimus enim, quod sanguinis è naribus stillatio-*

nes malum semper quippiam esse, ait, propterea quod natura quidem concupiat, quod superfluum est excernere; sed ob propriam imbecillitatem nequeat, vel sanguinis crassitiem, vel partium densitatem, vel quadam ex his, vel propter omnium concursum. Vnde colligo, evacuationem modicè factam perpetuo malam esse, & multo melius esse si non fieret, quam si inceperit, & desinat: quare si modica evacuatio mala est, ergo livida urina, quæ fit ex modica permixtione succi melancholici, mala quoque erit, quoniam indicat naturam propter illius imbecillitatem non potuisse multam humoris quantitatem foras evacuare.

Sed videtur hæc sententia manifeste repugnans ijs quæ docuit Hipp. 4. aphor. sentent. 47. ubi ait: *Excretiones in febribus non intermittentibus, lividæ, cruentæ, fœtidæ, & biliosæ, omnes malæ. Et si bene exeunt, sivè per alui excretionem, sivè per urinas, bonæ:* Ergo male diximus nos, malam esse perpetuo lividam excretionem. Respondemus, quod quando inquit Hippoc. loco citato, lividas excretiones bonas esse, hoc intelligendum est, ut causas, quoniam per eas evacuatur aliqua portio humoris peccantis; non tamen esse bonas, ut signa, quia imbecilitatem naturæ indicant, quæ non potuit omni ex parte humorem peccantem exsuperare, & excernere. Vel aliter respondemus, quod Hippoc. dum damnavit illas evacuationes lividas, cruentas, &c. habet postea tradens notas optimæ evacuationis in universum, *si bene exeant, bonæ sunt*: quasi dicat, trado generale præceptum evacuationum: *Si bene exeant, bonæ, non cruentæ, non fœtidæ, &c.* Quia hæ non possunt fieri cum bona tolerantia, & ex consequenti non possunt bene exire.

DE CAVSIS, ET PROGNOSTICIS urinæ nigræ.

AGendum tandem est de ultima differentia urinæ præter naturam, nempe de urina nigra. Hæc autem, interdum fit propter permixtionem humoris nigri cum urina descendentis: qui humor, vel est succus melancholicus, vel atra bilis exquisita: quæ potest cum urina excerni, vel irritata natura ab ejus multitudine, aut malignitate; vel superante natura, & vincente humorem, ac ipsum cum urina expellente: propter quam causam accidit aliquando ut in fine quartanæ excernantur urinæ nigræ expellente natura humorem noxium per urinam, quæ interdum fiunt cum commodo animalis, docente Gal. 4. aphor. comm. 21. Accidit etiam sæpius, ut in mulieribus quibus menstrua sunt suppressa, comode, & citra noxam excernantur tales urinæ, atque hac ratione fuit liberata mulier 3. epid. part. 3. sentent. 73. In illis itidem quibus hæmorrhoides sunt suppressæ, & in quibus non recte expurgatur, succus melancholicus à liene solent urinæ nigræ apparere. Ac tandem in principijs febrium malignarum, si aliquo modo redundet in illis atra bilis, urinæ nigræ solent

apparere, vel sedimentum nigrum, vel simul urinæ nigræ, & sedimentum nigrum.

Altera causa quæ potest urinam reddere nigram, est ingens caliditas, seù maxima adustio, adusta scilicet ea bile quæ secundum naturam excerni solet per urinam; quod potest confirmari pluribus Gal. auctoritatibus: nam exustus sanguis à nimio calore, nigrescit, ita Gal. prognost. com. 29. Præterea qui in sole æstivo diutius commorantur, nigrescunt. In carbunculis etiam pustula illa nigra apparet, ergo illa à calore urente partem fiet. Idem docet Gal. 1. epid. part. 2. com. 75. *Vrinæ, quæ nigræ erant, tenues, & paucæ: nigræ quidem, utpote adusto jam bilioso humore, &c.* Quia tunc atræ bilis nigredinem obtinet: fit enim ex adustione bilis flavæ, vel succi melancholici, ex qua adustione, nigrities, & splendor in ea remanet.

Cæterum, si rem exacte perpendamus, maxima adustio, seù caliditas non erit causa propterquam urina nigra reddatur, verum quidem est, aliquo modo concurrere, & esse causam, cur flava bilis quæ cum urina permiscetur degeneret à natura bilis, vel sanguis etiam à nimio calore exustus, à sua natura recedat, & in atram bilem exquisitam convertantur: attamen hæc atra bilis, si cum urina permisceatur, causa erit ob quam illa, nigra reddatur, & ex consequenti urinæ nigræ causa, sola permixtio erit humoris nigri, sive sit atra bilis exquisita: sive humor melancholicus naturalis: nam quemadmodum urina viridis caliditatis est soboles, & nihilominus fit semper à substantia viridi cum urina permixta, nempe bile porracea, non tamen à caliditate; sic similiter licet urina nigra, quæ ex permixtione atræ bilis exquisitæ ortum ducit, ingentis caliditatis fit indicium, quia fit à calore excedente: non tamen proinde erit verum dicere ab ingenti caliditate ortum ducere. Quæ sententia colligi videtur ex Gal. loco superius citato, nempe 1. epid. part. 2. com. 75. ubi habet. *Vrinæ quidem nigræ erant, &c.* Legite locum.

Præterea si illud esset verum, sequeretur inde colorem in urinis posse fieri per alterationem ab intemperie nuda provenientem, cum autem hoc fit falsum, ut superius dicebamus, falsum quoque erit asserere, urinam nigram ab ingenti caliditate ortum ducere. Quid quod, colores urinarum ex permixtione humorum nascuntur, igitur urina nigra ex sola permixtione humoris nigri fiet sicuti rassa, & flava ex permixtione bilis rustæ, & flavæ.

Sunt qui etiam tertiam addant causan urinæ nigræ, ingentem scilicet refrigerationem: quod confirmant exemplo sanguinis qui à frigore nigrescit, & concrescit: exemplo etiam partis demortuæ in qua perijt calor nativus, quæ primum livida, postea vero nigra apparet. Ego autem vix unquam mihi potui persuadere, ex sola refrigeratione absque humoris nigri permixtione, substantiam serosam posse nigram reddi. Quare po-

tius

tius existimarem, urinæ nigræ unicam tantum esse causam, nempe humoris nigri permixtionem, sivè sit humor melancholicus naturalis, sivè atra bilis exquisita.

Tandem de prognosticis urinæ nigræ est agendum. Vrina nigra varia habet prognostica: nam si fiat ex permixtione humoris atrabiliarij, pessima semper erit, & maligna, quod colligi videtur ex Gal. lib. de atrabile, cap. 3. ubi atram bilem semper lethaliter excerni affirmat. Si vero urina nigra fiat ex permixtione humoris melancholici, aliquando est lethalis, aliquando mala, sed non lethalis, aliquando vero bona; lethalis quidem est quando apparet ante signa coctionis, in principijs scilicet morborum acutorum qui non sunt facti ex suppressione mensium, quoniam tunc temporis omnes evacuationes nigræ malæ sunt, ut docet Gal. 4. aphor. com. 22. omnes enim evacuationes nigræ, & aliæ in principio malæ sunt, quia vires frangunt, & non possunt juvare. De his etiam intelligendus est Gal. 1. cris. cap. 12. qui scribit, nullum se vidisse servatum qui urinas nigras habuerit; quod si aliquis liberatus sit cum urinis nigris ante signa coctionis apparentia, veluti contingit Heropyto, cujus meminit Hippoc. 3. epid. part. 3. sent. 80. & 1. epid. part. 3. sent. 20. in historia Herophontis, non proinde colligitur non esse verum præceptum: nam id, prodigium naturæ est, ut docet Gal. in comm. ars vero non docet quæ raro contingunt: quoniam potuerunt hi ægroti, adeo robustas vires obtinere, ut tanti morbi malignitatem resisterent, quod raro accidit, aut potuit vitium, ex imbecilitate renum nasci.

Aliquando urina nigra lethalis non est, sed non est bona; quoniam si in muliere febre continua laborante ex suppressione mensium appareat non est lethalis, quia solum indicat, naturam humorem per urinam excernere: non tamen adhuc erit bona, quoniam in principio morbi excernitur, & ante signa coctionis. Si autem urina nigra in febribus continuis, vel quartanis post signa coctionis appareat, optima erit, quoniam victoriam naturæ ostendit, & expulsionem accommodatam causæ morbificæ. Distinguemus autem quando urina nigra fiat ex permixtione atræ bilis exquisitæ, vel succi melancholici naturalis, in hunc modum, quoniam si lethalia signa præcesserint, & urina nigra perluciditatem quandam obtinere videatur, signum est fieri ab atra bile exquisita, cùm atra bilis, humor sit maxime splendens, ac perlucidus; at vero si non præcesserint signa ita lethalia, nec splendens apparuerit urina nigra, signum erit fieri ab humore melancholico. Solent Interpretes hoc loco exagitare controversiam, qua dubitant, quænam ex his urinis sit magis lethalis, livida ne? an vero nigra?

DVBI-

DVBITATIO VNICA.

Vtrum urina livida sit magis lethalis quam nigra.

QVidam existimant, urinam nigrã magis lethalem esse livida, primo quia niger color extremus est, non vero lividus. Secundo, quia perseverante morbo, & ex majori affectu nascitur color niger, quam lividus: ergo,&c. Tandem id confirmant ex varijs Hippoc. & Gal. locis in quibus potius damnatur urina nigra, quam livida, præsertimque ex lib. 4. aphor. sentent. 47. in qua lividas excretiones, cruentas, fœtidas, & biliosas, bonas esse scribit, si bene exeant, hoc est apparentibus signis coctionis, ut docuimus, non tamen id concedit de evacuationibus nigris: ergo urina nigra, lethalior erit livida.

Alij contra sentiunt dicentes, urinam lividã magis lethalem esse nigra, idque aliquibus rationibus probant. Prima est, urina livida numquam excernitur in crisi, seù morbi judicio; sed urina nigra multoties in morbi judicio apparet: ergo livida lethalior erit nigra. Secunda ratio, urina livida semper est soboles frigiditatis, id est extinctionis caloris nativi, atqui ubi est in corpore extinctio caloris nativi gravius est malum, quam ubi adsunt causæ à quibus fit urina nigra: ergo livida urina lethalior erit nigra. Tertio, id confirmant ex Hippoc. 2. prognost. sentent. 9. in qua, nigrum colorem in pedibus, minus malum significare docet, quam lividum: ergo urina livida magis erit lethalis quam nigra.

Nos autem, ut nostram de hac re sententiam proponamus, advertere prius debemus, dubitationem non procedere de quacumque urina livida, & nigra, utrum una sit magis lethalis quam alia, sed potius de urina livida quæ lethalis est, & de urina nigra quæ etiam est lethalis, ideoque ab hoc dubio excluditur urina quæ apparet in crisi, seu morbi judicio, & quæ fit ex suppressione mensium: excluditur etiam urina livida quæ fit propter permixtionem humoris melancholici: solum ergo comparatio est facienda ex urina nigra quæ apparet ante coctionis signa in principijs morborum acutorum propter maximam adustionem, aut permixtionem, atræ bilis cum urina livida quæ nascitur etiam ab extinctione caloris nativi.

Sciendum etiam est, aliud esse indicare semper malum, aliud vero non judicare: aliud vero esse magis, aut minus lethale; urina livida semper malum indicat: nigra vero non semper, sed non est magis lethalis semper livida, quam nigra: nam lethale in urinis dicitur, quatenus mortem significat: mortem autem significat, quatenus indicat naturam vinci ex morbo, igitur illud quod indicabit, naturam magis viencendam esse à morbo, dicetur magis lethale.

Quibus positis, dubitationi respondemus, si urina nigra, & livida fiant propter extinctionem caloris nativi,

tivi, magis lethalis erit nigra, quia majorem extinctionem significat; quod si urina nigra fiat propter adustionem, & livida ab extinctione caloris nativi, majorem noxam indicabit urina livida, quam nigra, quod ex dictis fit manifestum, proindeque nulla indiget probatione. Ad rationes etiam pro contraria parte adductas, facilis est responsio, quarum solutio pendet ex his quæ dicta sunt. Atque hæc de causis, & prognosticis urinarum præternaturam quæ à colore desumuntur.

DE DIFFERENTIIS COMPOSITIS URINARUM.

CAPVT V. VSQVE AD XI.

¶ *Sit igitur urina quoad substantiam suam minimè cocta, talis vero est tenuis: cui ita permanenti tenui, annectatur color exquisite albus, ut sit ea tenuis, & alba: hæc urina multa significat, &c.*

Expositis simplicibus urinarum differentijs, disputat jam Auctor de compositis quæ ex colore, & substantia desumuntur. Ex substantia, tres desumuntur differentiæ, tenuis scilicet, crassa, & mediocris: ergo si urina tenuis vel crassa cum differentijs colorum à nobis superius traditis conjungantur, octo erunt differentiæ compositæ urinarum, nempe tenuis alba, tenuis pallida, tenuis ruffa, flava, rubra, viridis, livida, & tenuis nigra; quemadmodum urinæ crassæ, si cum his coloribus conjungantur. Et ut ordine progrediamur agendum prius est de tenui substantia cum dictis coloribus conjuncta, si prius animadvertamus. Auctorem in præsentia non disputare de harum urinarum causis, cum ex differentijs simplicibus facile colligantur; sed solum significationes, seu prognostica harum urinarum adducere.

Imprimis urina tenuis, & alba, quam aquosam, seu perspicuam diximus vocari à Gal. 4. aphor. com. 72. imbecilitatem virtutis ostendit, ut docet Auctor, proindeque cruditatem, frigidamque intemperiem indicat, ut in senibus, quia calor naturalis non potest bilem generare, neque aliquid permiscere crassum à quo urina crassa fiat. Significat etiam aliquando renum obstructionem, vreterum, aut cervicis vesicæ, ut apparet in nephriticis in quibus repletis sinubus renum, aut vreteribus humoribus crassis, vel multis arenulis, aut lapide, percolatur urinæ pars tenuior, crassa ibi remanente. Indicat quoque hæc urina maximam humorum cruditatem, proterquam causam solet apparere urina tenuis, & alba in principijs quartanarum, & alijs etiam morbis ex humore melancholico factis. Imminentem quoque phreni-

tu-

tudinem poteſt etiam hæc urina indicare, præcipue ſi in febribus continuis appareat, quoniam magnum raptum humoris bilioſi ad caput denotat; quod ſi jam adſit phrenitis, & talis urina conſpiciatur, mortem denunciat, quia vires non poſſunt ſervari ob maximum humoris bilioſi impetum, & acrimoniam, cum maximè inflamatio augeatur.

Cæterum cúm urina tenuis, & alba duplex ſit, docente Gal. 1. criſib. cap. 12. alia quæ ſtatim à potu accepto mingitur: alia vero quæ non ſtatim, hæc, quæ non ſtatim mingitur, maximam imbecilitatem ſignificat (niſi à cauſa externa proveniat, potu ſcilicet multo, aut alimento, aut obſtuctione renum, aut raptu bilis) alia vero quæ ſtatim à potu accepto mingitur, ut accidit in diabete, deterior multo eſt priori, quoniam duas facultates læſas eſſe indicat, retentricem ſcilicet, & alteratricem: prior vero differentia ſolam alteratricem facultatem læſam eſſe demonſtrat. Illud vero prætermittendum non eſt, urinam tenuem, & aquoſam in pueris febre laborantibus lethalem eſſe, quoniam cùm pueri urinam craſſam ex ſua natura excernant, ſignum eſt maxime à ſua natura declinare, quod peſſimum eſt indicium, ut obſervatum fuit à Gal. 2. prog. com. 33.

6 ¶ *Sit iterum urina, quod ad ſubſtantiam cruda id eſt tenuis, &c.*

7 ¶ *Sit urina tenuis, cum anectatur color ruffus: talis melior quidem eſt priore: eſt tamen cruda, quoad ſubſtantium.*

Jam ſecunda, & tertia complicatio urinæ tenuis eſt, quando conjungitur cum pallida, ſeù ruffa. Vrina tenuis, & pallida, quatenus tenuis eſt, cruditatem demonſtrat multam, non tamen extremam, quoniam colore palido eſt tincta: hic autem color duobus modis naſci poteſt, aut ſi bilis pallida modum, & quantitatem exceſſerit; aut ſi permiſceatur ſincera, & non cocta: ergo quando urina erit tenuis, & pallida ſignificabit facultatem coctricem hepatis aliquid bilis generare, nam bilis eſt excrementum ſanguinis: ergo ſi bilis generatur, ſanguis etiam coquetur, ſed quia optima coctio non fit, proinde ex bile pallida non fiet urina ſubpallida, ſed pallida, quoniam facilius eſt adquiri colorem quam ſubſtantiam, ut inquit Auctor. Quod de tenui, & pallida urina dictum eſt, idem de tenui, & ruffa eſt intelligendum. Quæ omnia de prompta ſunt ex Gal. 2. prog. com. 30. ubi docet, quid ſit ex tali urina prædicendum; quoniam ſi tales urinæ in morbo aliquo diuturno appareant, maximum vitæ periculum, minantur, quod non de quovis morbo eſt intelligendum, ſed de morbis venarum, ut obſtructionibus quæ febres continuas excitant, in quibus tenuitas maximam cruditatem demonſtrat, ac precipue ſi æger vires languidas habuerit quoniam ſi languidæ non ſint natura poterit ſpatio temporis humorem peccantem ſuperare.

8 ¶ *Sit urina tenuis, & flava, &c.*

Quarta complicatio eſt nrinæ tenuis, & flavæ: quæ urina cruditatem

tem etiam significat, quoniam tenuitas, cruditatis semper est indicium, nisi propter bilis raptum, aut percolationem accidat; quoad colorem vero caliditatem ostendit, à qua bilis multa generatur, ut in febre tertiana, sive continua, sive intermittente apparere solet; quoniam in principio hujus febris, humor qui in foco putredinis reperitur, non superatur adhuc à natura, nec concoquitur, proinde urina tenuis redditur; & cùm nimis abundet, & à calore acrior fiat, non coquitur bilis, & urina flava apparet. Hæc etiam urina, si in sanis appareat, inediam indicat, vel curas, vel labores, vel vigilias, quoniam hæc caput calfaciunt, & inaniunt.

¶ *Proponatur iterum urina cruda, quo ad substantiam tenuis, &c.*

Sequitur ordine quinta complicatio, scilicet urinæ tenuis cum rubra: hæc autem cum posit esse subrubra, vel simpliciter rubra, vel intense rubra, concedit. Auctor subrubram tenuem esse posse, ut docet experientia: rubram vero, vel intense rubram non posse cum tenuitate conjungi, recte autem id advertit Auctor, sed male probat: nam rubra inquit, urina fit ex permixtione sanguinis, vel seri sanguinei, sed sanguis coctione fit, coctio autem substantiam incrassat: ergo urina tenuis, & rubra constare non poterit. Hæc autem ratio falso innititur fundamento, quoniam non ex eo quod sanguis crassus redditur coctione, proinde urina etiam crassa reddetur, quia urina non concoquitur, quemadmodum nec reliqua excrementa. Deinde falsum est, urinam rubram, & intense rubram semper fieri ex bono, & perfecte cocto sanguine, immo ex seroso quodammodo, & crudo sæpe nascitur, ut colligitur ex Gal. 2. prognost. com. 22. quando his sanguis in multa quantitate cum urina excernitur. Vnde non recte colligitur, urinas rubras crassas esse debere ex eo quod sanguis coctionem ostendat, immo etsi sanguis perfecte coctus sit, si non excernatur in majori quantitate, non reddetur urina rubra, sed potius subrubra. Quare verum erit, quando maxima copia sanguinis urinæ permiscetur, urinas crassas reddi, non tamen colligitur quod Auctor intendit probare.

Sexta complicatio est urinæ tenuis cum viridi, cujus, Auctor nullam facit mentionem: dubium autem non est quin hæc posit constare: nam cùm urina viridis fiat ex permixtione bilis porraceæ, si exigua hujus humoris quantitas ipsi misceatur, ut solum colorem modice viridem à bile accipiat, non vero consistentiam, proculdubio viridis urina tenuis asse poterit.

¶ *Vltima autem est connexio tenuis, & nigræ, &c.*

¶ *Quod autem tres quas diximus urinæ nigræ differentiæ grossam sibi substantiam vendicent, manifestum est: in remissione enim febris quartanæ, & solutione melancholiæ urinæ apparent nigræ. Reduntur autem nigræ propterea quod humor nigræ bilis per has expurgatur, qui sua substantia terreus est, &*

grossus: quare, & urinas efficit grossas. Simili modo, & hæ urinæ, quæ ex assatione adustioneque sanguinis nigræ fiunt, grossæ sunt. Si enim ustio nimiam exiccat humiditatem sanguinis, constat quod etiam grossam ejus substantiam: quare manifestum est quod, & urinæ grossæ fient à sanguine enim, & coloris immutationem accipiunt, & substantiæ usti sanguinis grossitiem referunt. Frigiditas vero quia ingrossat materiam, etiam urinæ substantiam faciet humorum similem. Ita igitur urinæ fiunt grossæ, ut docui.

Postrema complicatio est, urinæ tennis cum nigra, & livida: hanc autem non posse dari probat Auctor hac ratione. Permixtio humoris melancholici, aut atræ bilis, aut congelatio, non potest substantiam serosam urinæ tenuem relinquere, sed omnis urina nigra fit ab aliqua ex his causis: ergo nulla urina nigra potest habere substantiam serosam tenuem. Quæ sententia falsa omnino est: repugnat enim varijs Gal. locis, nam 1. epid. part. 3. sentent. 20. in historia Herophontis, in hoc ægrotante urinæ erant tenues, & nigræ. Talem etiam depinxit urinam 1. epid. part. 3. sent. 22. in historia uxoris Epicratis in qua urinæ erant tenues, & sub nigræ. Ita etiam 3. epid. parte 3. sent. 80. in historia Heropyti qui primo die habuit urinas tenues, & nigras. Et privatim Gal. 1. prorrehet. part. 2. com. in 17. sent. ostendit quomodo fiant urinæ negræ, & tenues ex permixtione scilicet succi nigri. Id etiam ex rerum externarum analogia possumus quoque ostendere, quoniam si exiguam attramenti quantitatem in aquam conijciamus fiet multa aqua nigra, non tamen crassitiem adquiret: sic similiter si exigua quantitas succi nigri cum urina permisceatur fiet urina nigra, & non crassa.

Quare rationi Auctoris respondemus concedendo à multo humore melancholico fieri crassam, & nigram urinam, sed tamen à sero nigro potest fieri tenuis, & nigra: quoniam exigua est humoris melancholici quantitas in hoc sero, aut atra bilis. Apparet hæc urina tenuis, & nigra in febribus in quibus propter causæ morbum facientis cruditatem, adhuc tenuis urina existit; verum simul est aliquid seri atræ bilis redundantis: hæc autem complicatio periculosa est, aut si æger servandus sit, longo tempore indiget. Ea quæ dicta sunt de urina tenui, & nigra ad lividam transferre possumus. Atque hæc de complicatione tenuis urinæ cum coloribus.

DE

DE COMPLICATIONE URINÆ CRASSÆ CUM coloribus.

CAPVT XII. VSQVE AD XV.

¶ *Et de connexione ſubſtantiæ tenuis cum diverſis urinæ coloribus, hæc quæ diximus ſuficiant. Supereſt ut de altera ſubſtantiæ differentia diſſeramus, &c.*

POſt quam egit Auctor de complicatione urinæ tenuis cum coloribus, agit jam his capitibus de urinæ craſſæ complicatione cum coloribus iiſdem præternaturam; ſed quia colorum differentiæ præternaturam octo ſunt, proinde totidem quoque erunt complicationes urinæ craſſæ cum his coloribus permixtæ, craſſa ſcilicet alba, craſſa pallida, ruffa, flava, rubra, viridis, livida, & craſſa nigra (quamvis Auctor ſex tantum adducat complicationes hujus urinæ quemadmodum etiam, & tenuis, ut ſuperius dicebamus.) Prima complicatio eſt, quando urina craſſa conjungitur cum alba, quam, inquit Auctor, magnam humorum crudorum copiam indicare: quæ itidem ruptionem alicujus abſceſſus in partibus ſuperioribus oſtendere poteſt, veluti in renibus, aut ſima parte jecoris; ex quo abſceſſu pus egreditur, & cum urina permiſcetur, eamque craſſam, & albam reddit. Hæc urina ſi in principio febrium contingerit cum virium robore, longitudinem prædicemus, cum imbecillitate vero, mortem, niſi vitio renum contingat, per quos excrementa pituitoſa expurgat natura, licet optima præceſſerit in hepate concoctiō. Solet etiam talis urina apparere poſt morbi judicium, ſeu criſim præcedentibus ſignis coctionis tuncque morbi ſolutionem indicabit, vincente ſcilicet natura, ac ſuperante humores peccantes, ut ſolet plerumque accidere in morbis pituitoſis: pituita autem quæ urinam craſſam, & albam reddit poteſt eſſe ſalſa, ut fit in ſtranguria ſeu urinæ ſtilicidio: poteſt etiam eſſe accida, & inſipida, & humor crudus cum quibus habet pus ſimilitudinem in colore, à quibus diſtinguitur fœtore, & quia notæ abſceſſus præcedunt.

¶ *Proponatur groſſa, & pallida hæc non poteſt in connexionem venire, &c.*

Deinde urina craſſa poteſt conjungi cum tribus coloribus inter ſe ſimilibus, nempe cum pallido, ruffo, & flavo; quamvis noſter Auctor exiſtimet, id nequaquam poſſe fieri, quod hac ratione demonſtrat: craſsities non fit propter defectum materiæ, ſed propter contraria, ſed color pallidus, ruffus, & flavus fiunt ob defectum materiæ: ergo nullus ex

his coloribus poterit cum crasſitie conjungi. Hæc autem ratio nihil valet, nam falſum eſt, craſsitiem fieri propter coctionem, quoniam ex craſſitie urina mediocris fit, non vero craſsior mediocri, nos autem loquimur de urina quæ craſsior eſt mediocri. Deinde falſum etiam eſt, illos colores fieri propter defectum materiæ, quoniam hi colores ſynceri dupliciter naſci poſſunt, vel propter bilem talem ſynceriorem, aut copioſiorem: ergo non repugnat copioſiore bile flava, aut ruffa deſcendente, urinam flavam, aut ruffam fieri: quare urina craſſa poterit conjungi cum experientia id paſsim oſtendat, & ratio quoque illud perſuadeat: quoniam nihil obſtat diverſos humores eſſe confuſos, ſive permixtos, ita ut ab uno craſſa, ab alio pallida, ruffa, vel flava fiat urina, igitur talis urina varietatem humorum indicabit, proindeque in febribus longitudinem ſignificabit, cum ſint diverſi humores qui coctione egent.

¶ *Sit urina groſſa, & rubra, hujuſmodi enim urina reperitur: ſignificet plenitudinem ſanguinis, ut fit in ſynochis febribus.*

Jam ſequitur complicatio urinæ craſſæ cum rubra, quam ſanguinis plenitudinem ſeu copiam indicare, docet Auctor; hic autem ſanguis poteſt cum urina deſcendere cum febre, vel ſine illa: cum febre quidem, ut apparet in febre ſynocho, ſeu continenti in qua urina rubra excernitur: quoniam ex ſanguine fervente tingitur ſeroſa ſubſtantia; aliqnando etiam citra febrem apparet hæc urina, ut experimento cognitum habemus in hydrope, ut ſuperius dictum fuit. Quod ſi urina cruenta excernatur, ſive intenſe rubra majorem copiam ſanguinis indicabit. Indicat etiam hæc urina ulcus renum, vel veſicæ.

¶ *Sit groſſa urina, & nigra: talis etiam reperitur, & ſignificat evacuationem humoris melancholici, &c.*

De complicatione urinæ craſſæ cum nigra, nihil eſt quod denuo in præſentia obſervemus, cùm omnia per ſe ſint manifeſta ex his quæ de urina nigra ſuperius dictum fuit: ſolum autem illud habet difficultatem explicare, quænam urina ex nigris ſit pejor, craſſa ne? an vero tenuis? Hanc difficultatem diſſolvit Gal. 2. progn. com. 32. inquiens. *Vrinas nigras, quod fuerint craſsiores, eo deteriores haberi obſervavimus.* Sed quare craſsiores, deteriores exiſtant explicat ipſemet Gal. 2. prognoſt.com. 38. in hunc modum. *Quin etiam ſynceri humores craſſiores exiſtunt pituitoſus quidem propter frigiditatem quaſi concretus; bilioſus vero propter exuperantiam caloris evaporatus, & tanquam aſſatus.* Cum autem urina nigra ab his duabus cauſis fiat, nihil mirum ſi quo craſsior fuerit, eo pejor exiſtat. Neque obſtat Gal. locus qui legitur 4. acutorum com. 30. ubi habet. Tenues, & nigræ urinæ deterrimæ ſunt. Ergo non nigræ, & craſſæ: quoniam Gal. hoc loco non facit comparationem ad extremum, ſed potius ad medium, & ita tenuis, &

nigræ

nigræ urinæ deterrimæ ſunt reſpectu mediocris: at vero reſpectu nigræ, & craſſæ, mitiores exiſtunt ut explicavit Gal. 2. progn. com. 32.

De urina craſſa viridi, tum etiam libida, quomodo complicentur, manifeſtum etiam eſt, quoniam bile porracea cum ſubſtantia ſeroſa ſpermixta fiet, urina craſſa, & viridis, ſi vero ſuccus melanch licus in pauca quantitate cum urina permiſceatur, livida apparebit. Atque hæc de complicationibus urinarum tenujum, & craſſarum cum coloribus.

DE URINARUM CONTENTO.

CAPVT XVI. VSQVE AD XXIV.

¶ *Eſto igitur primum album, ſuppremum locum occupans, planum, &c.*

CVm initio hujus diſputationis, urinam in tres diviſerimus partes, nempe in ſubſtantiam, colorem, & contentum;& de duabus prioribus ſatis copioſe in ſuperioribus fit diſputatum : merito nunc jam tempus expoſtulat, ut ad tertiam partem in urina conſiderandam accedamus. Agendum itaque eſt de urinarum contento,contentum appellatur quidquid in urina continetur præter liquorem, ſive bonum ſit, ſive malum, ſivè ſecundum naturam, ſivè præternaturam, ſivè in ſuperiori loco, aut infimo reperiatur. Sed antequam differentias contentorum adducamus, agendum prius eſt de contento, ſivè ſedimento quod in hominibus ſecundum naturam ſe habentibus apparet, hoc enim veluti regula eſt ad alias differentias contentorum præternaturam cognoſcendas, cujus comparatione de ægrotantium ſedimento exactum judicium facere poſsimus.

DVBITATIO PRIMA.

De ſedimento ſanorum.

DE ſedimento ſanorum, ex qua materia fiat, & in quo loco generetur, maxima eſt in controverſia poſitum apud Medicos. Quidam enim exiſtimant eſſe portionem excrementorum tertiæ coctionis quæ in ſingulis corporis partibus fit, veluti ſunt ſordes, & id quod per inſenſibilem tranſpiratum evacuatur, ideoque aſſerunt, tàm in ſanis, quàm in ægris eodem modo, & ex eadem materia generari ſedimentum. Id autem probant duabus pòtiſsimum rationibus: Prima eſt, tunc temporis urinam meliorem eſſe judicamus, & ſalubrioris affectionis ſignum, quo magis urinis ſanorum ſimilis exiſterit, ergo ex eadem materia fiet utrumque ſedimentum. Secunda ratio eſt, ſi febricitantes multa accipiant alimenta; copioſus habent ſedimentum, ſi vero pau-

pauca minus: ergo ex cibo inconfecto fiet sedimentum, & ex consequenti, sedimentum in sanis, & ægris ex adem materia fiet. Quod vero sit excrementum tertiæ coctionis, ex eo id probant, quoniam verisimile non est in sanis crudum semper chylum aliquem ex ventriculo ad jecur pervenire, atqui præter chylum nulla est alia substantia alba, nisi alimentum proximum partium spermaticarum: ergo sedimentum portio erit excrementorum tertiæ coctionis.

Alij, sedimentum generari putant ex ea portione materiæ quæ non potest accipere formam sanguinis, quia in ventriculo non recte fuit præparata: in chylo enim qui ad jecur deducitur diversæ sunt portiones, quemadmodum in alimento quod ventriculum ingreditur, nam quædam portio est crudior, alia magis elaborata, & ex hac, sanguinem, ex illla vero, sedimentum generari putant. Hi autem cum superioribus conveniunt, quoniam sedimentum eodem modo, & ex eadem materia, tam in sanis, quam in ægris, fieri affirmant, suamque sententiam eisdem fere rationibus confirmant, ac superiores.

Quare, nos existimamus, non ex eadem materia fieri sedimentum sanorum, & ægrotantium: sed sedimentum in urinis sanorum, esse eam portionem chyli crudi qui hepatis coctionem subterfugit: in ægrotantibus vero, ac præcipue febre putri laborantibus, esse portionem humoris intra venas putrescentis (quamvis etiam ortum ducat ex portione humoris fugientis hepatis coctionem, ut postea ostendemus.) Quod vero sedimentum sanorum ex tali materia generetur, confirmemus prius quibusdam Gal. autoritatibus, deinde vero ratione ex natura rei de prompta. Gal. enim 1. prognost. com. ultimo ita habet. *Quid quid alimenti in sanguinis generatione naturæ refugit confectionem, subsidet in urina, neque ut sanguis ab ea commutatum neque ut pus præternaturam causa particeps.* Qui locus, portionem chili crudam quæ fugit hepatis coctionem, sedimentum esse demonstrat. Idem etiam docet Gal. 1. de crisib. cap. 12. & 1. de aliment. facult. cap. 2.

Probatur de inde hæc sententia ratione ex Galeno ipso de prompta 1. crisib. cap. 12. namque in pueris qui voratiores sunt, & his qui ociosam vitam degunt, aut quo vis alio modo repleti sunt, multa sedimenti copia coacervatur in urina, quoniam in his omnibus, inquit Gal. plus est de inconfecto, & crudo humore; contra vero in illis qui inediam, aut laborem patiuntur, nullum, aut exiguum sedimentum colligitur, quia nulla remanet materiæ crudæ portio ad ejus generationem: ergo verisimile erit ex his, sedimentum in hominibus sanis, & secundum naturam se habentibus ortum ducere ex portione chyli cruda, & inconfecta.

Sed pro parte contraria sunt aliqua argumenta. Primum argumentum est, si sanorum sedimentum, esset portio chyli crudi, & inconfecti, urina, quæ omninò caret sedimento, ma-

majorem coctionem indicaret, sed contrario modo res se habet, nam urina quæ caret sedimento, cruda apparet, quæ vero sedimentum habet, est cocta: ergo sedimentum non erit portio chyli crudi, & inconfecti. Huic argumento respondemus, verum esse ubi exacta est concoctio nullum apparere sedimentum in urina, ideoque in naturis temperatis quia non appetunt plus quam concoquunt, docente Gal. lib. Artis Medicinæ, cap. 85. nullum est sedimentum in urina; quemadmodum in his qui partiori victu utuntur; falsum tamen est dicere, urinam quæ caret sedimento esse crudam, quoniam si optimum colorem habeat, & bonum substantiæ modum cocta erit, licet careat sedimento.

Secundum argumentum est, si sedimentum in sanis fieret ex portione chyli cruda, in principijs febrium, quia multa est humorum cruditas, & non optime fiunt coctiones, plus esset sedimenti: atqui in principijs febrium putridarum raro apparet sedimentum: ergo sedimentum in sanis non fiet ex portione humoris cruda. Huic argumento, varij varia respondent. Nos autem breviter respondemus dicentes in principijs febrium, licet ægrotus solitam alimenti quantitatem accipiat, non tamen apparere sedimentum, quoniam non fit exacta coctio in hepate, nec debita excrementorum separatio, quia perturbatur hepatis concoctio in febribus ab humore putrescente, cùm natura majori ex parte occupata sit in coctione humoris febrem efficientis.

Colligitur ex his quæ diximus, in urinis sanorum, & in eodem homine sano, varie apparere sedimentum pro vario coctionis tempore: nam quando sanguis concoquitur, multum habet sedimenti, perfecta vero, & absoluta coctione, parum remanet succi crudi, proindeque exiguum eo tempore apparet sedimentum, ita Gal. 1. de crisib. cap. 12.

Colligitur secundo, hyeme majorem sedimenti quantitatem colligi in urina, quam æstate: ratio est, quoniam hyeme, cum multa alimentorum copia assumatur, plurima excrementa coacervantur: tum etiam quia somni sunt longissimi, & ex longo somno, excrementa expelluntur nam, quæ tenujora sunt, per insensilem transpiratum evacuatur: quæ non [illegible] tenuja, contractione arteriarum expelluntur: quæ vero crassiora existunt, subsident in urina. Vnde hyeme non solum urinæ quantitas adaugetur; sed etiam ipsius sedimenti; contrario vero modo accidit æstate, quoniam bilis abundat.

Colligitur ultimo, in ijs qui vitam degunt ociosam, multam succi excrementij quantitatem colligi, proindeque plurimum in urinis subsidere, ita Gal. 1. cris. cap. 12. inquiens. *Qui in ocio degunt, & febricitant, si sanitati restitui debent, plurimam sedimenti copiam colligere debent: contra vero accidit in ijs qui se exercent, parum enim, aut nihil subsidet in urina: imò vero aliquando sola mutatio in colore nota coctionis existit.* Hinc nata est senten-

tia

tia Galeni in naturis biliosis sola mutatio urinæ in colore, sufficiens nota coctionis existit. Atque hæc de sedimento sanorum.

DUBITATIO SECUNDA.

De sedimento ægrotantium.

DE sedimento etiam ægrotantium, ac præcipue febre putri laborantium maxime quoque est controversum apud medicos ex qua materia fiat, an scilicet sit portio humoris putrescentis, & ex quasi humore putrescente substantia alba generetur. Dicendum itaque est, relictis aliorum sententijs, sedimentum in febricitantibus ex duplici materia constare, ex portione scilicet humoris coctionem hepatis fugiente, & ex portione humoris putrescentis in foco, & febrem efficientis, quæ puri proportione respondent. Hæc conclusio duas habet partes; parima pars, nempe quod hoc sedimentum fiat ex portione humoris fugientis hepatis coctionem probatur primo quibusdam Gal. testimonijs; namque crisib. cap. 12. agens de urinis puerorum, & adultorum, docet utrosque plurimam sedimenti copiam colligere; postea vero sic scribit. *Quecumque ex ocio, & repletione febricitant, si sanitati restitui debent, plurimum debet in urinis subsidere: contra vero qui ex inedia febricitant, minimum subsidet.* Ergo ex hoc loco manifeste colligitur, sedimentum febricitantium generari ex portione humoris fugientis hepatis coctionem: aliter enim non compararet Gal. sedimentum hominis febricitantis ex ocio, cum sedimento ex inedia febricitantis, lib. etiam 2. prog. com. 26. angens Gal. de morbis acutis, sic habet. *Urinæ quæ ex crudis humoribus traunt originem, copiosum habent sedimentum, minimum vero aut nullum, quæ ex biliosis.* Constat igitur ex hoc loco, Gal. voluisse significare, sedimentum in febribus ortum ducere ex portione succi crudi fugientis hepatis coctionem: quorsum enim diceret Gal. urinas quæ ex crudis humoribus trahunt originem copiosum habere sedimentum? conrra vero quæ ex materia biliosa fiunt, quia parum habent succi crudi.

Sed id etiam ostendamus ratione ex natura rei deprompta; ægrotantes necessario debent nutriri ad hoc ut vires conserventur, vel ad meliorem statum reducantur, igitur necessario in illis debet reperiri aliqua portio succi crudi quæ hepatis coctionem subterfugiat: probatur consequentia, quia sola natura temperata, est quæ nihil hujus succi crudi colligit, ut antea dicebamus: ergo in febricitantibus necessario debet reperiri aliqua succi crudi portio quæ fit principium materiæ sedimenti in ipsis; hæc autem portio varia est pro diversa natura ægrotantis, quoniam nonnulli majorem alimenti quantitatem assumunt, alij minorem: nonnulli habent partes ad coquendum paratas, alij non: unde in his variabitur sedimenti quantitas pro varia partium natura, & alimentorum assumptione.

Secun-

Secunda pars conclusionis, utpote quod sedimentum febricitantium ortum etiam ducat ex portione humoris putrescentis in foco, & febrem efficientis, ab omnibus fere Medicis conceditur, nihilominus tamen eam confirmemus Gal. auctoritate, & deinde ratione: Gal. namque 1. de different. feb. cap. 6. agens de febre putrida, docet superante natura materiam putrem quæ in venis est, quidpiam reperiri quod puri proportione respondet, quod subsidet in urinis: ergo quod subsidet in urinis; sive sedimentum, erit materia efficiens febris. Deinde id confirmatur alio quodam loco qui legitur 3. de præsaga. ex pulf. cap. 7. ubi sic habet. *Atque hic est vigor accessionum, ubi fuliginosum excrementum expiratione, & contractione arteriarum natura expellit, quod vero est veluti cineritium, non perinde, quia crassum est, potest excernere, sed per insignes quosdam meatus educit: hoc in partibus inflamatis pus est, in ipsis vasis sedimentum urinæ.* Ergo constat etiam ex hoc loco sedimentum febricitantium fieri ex portione humoris putrescentis in foco, & febrem efficientis.

Sed non desunt quoque rationes ad nostram sententiam confirmandam. Prima ratio est, ex omnium Medicorum consensu sedimentum, morborum tempora distinguit, quoniam ubi incipit apparere crescit morbus, & quando est perfectè coctum est morbi vigor: principium vero, & tempus cruditatis, est totum illud tempus in quo nullum apparet sedimentum; atqui has varias humoris dispositiones, & diversa tempora morbi non distingueremus ex sedimento, nisi ex portione humoris peccantis fieret, igitur affirmandum erit, sedimentum febricitantium fieri ex humore in foco putrescente. Secunda ratio, contenta in urinis proportione respondent colori humoris morbum facientis, ut colligitur ex Gal. 2. prog. com. 27. nam si sanguis ferveat sunt rubra: si bilis sunt pallida, aut flava, quin etiam in morbis biliosis, ad colorem croceum, &c. inquit Galen. ergo constat ex his sedimentum in ægris esse portionem humoris peccantis.

Illud autem prætermittendum non est quod dictum fuit à Galeno materiam scilicet sedimenti in ægris puri proportione respondere: hoc quidem verum esse sic ostendimus; nam quemadmodum pus fit à calore nativo, ita etiam sedimentum; & eodem etiam modo quo pus fit in materia, quæ non est omninò utilis, neque prorsus inutilis; sic similiter sedimentum fit ex sanguine non perfectè, neque omninò putrefacto, sed semi putri, & tandem quemadmodum pus fit in partibus quæ dum sibi alimentum concoquunt, materiæ puris imprimunt characteres, ita etiam sedimentum. Distinguuntur autem pus, & sedimentum, quod pus extra vasa generatur, in abscessibus scilicet, vel ulceribus: sedimentum vero intra vasa ortum ducit. Distinguuntur etiam, quia pus fœtidum est, licet parum: sedimentum

vero nullum habet fœtorem, cujus rei ratio est; quoniam intra venas est major vis, & copia caloris nativi qui magis laborat materiam quam in alijs partibus extra vasa, proindeque existimo non generari pus intra venas.

Sed sunt aliqua argumenta pro contraria parte quæ evertere videntur nostram sententiam. Primum argumentum est, si sedimentum in ægris esset portio humoris peccantis numquam fieret album, & leve, veluti pus; sed sedimentum in morbis album est, sicuti pus: ergo non erit portio humoris peccantis. Probatur antecedens materia febris aliquando est bilis, aliquando succus melancholicus; sed ex his non potest fieri sedimentum album, nam, ut diximus, sedimentum proportione respondet puri, pus autem non fit ex syncero humore: ergo sedimentum non erit portio humoris peccantis. Huic argumento respondemus in foco febrium numquam putrescere solam bilem, aut succum melancholicum; sed simul alimentum sanguineum, portio scilicet sanguinis putrescit, ex qua putrescente sedimentum generatur docente Gal. 8. apho. com. 59. materia ergo sedimenti non erit bilis sola alterata, aut succus melancholicus, sed semper materia sedimenti erit sanguis biliosus putrescens, aut melancholicus. Verum igitur erit, sedimentum in ægris esse portionem humoris peccantis, hoc est sanguinis putrescentis in foco, vel simul cum alio humore innatante, vel sine illo, ut in febre synocho.

Secundum argumentum est, si sedimentum in ægris fieret ex portione humoris putrescentis intra vasa, in febribus intermittentibus, cum humor extra vasa putrescat, & in habitu corporis, nullum appareret sedimentum, sed hoc dicere est absurdum, cum contrarium experiamur quotidie: ergo sedimentum in ægris non fiet ex humore intra vasa putrescente. Qui existimant focum putredinis in febribus intermittentibus esse extra vasa difficillimum visum fuit huic argumento respondere. Nos vero qui contrarium putamus, dicimus ex eadem materia, & in eodem loco, nempe intra vasa generari febres continuas, & intermittentes, & sola magnitudine causæ, & vasorum rubore distingui, proindeque nihil valere argumentum. Concludamus ergo, sedimentum in ægris duplicem habere materiam, portionem scilicet humoris peccantis, & portionem succi crudi hepatis coctionem subterfugientis. Atque hæc sint satis de sedimento ægrotantium.

DE DIFFERENTIIS contentorum.

INterpretes quatuor adducunt contentorum differentias; quæ desumuntur ex loco, colore, substantia, & ex tempore. Ex loco triplex nascitur differentia, vel enim est contentum in parte superiori matulæ, & Græce dicitur, *nephele*, Latine nubes, seu nubecula, vel est in parte media,

media, quod Græce dicitur *eneorema*, Latine suspensum, sive appendiculum, vel contentum in infima parte matulæ apparet, vocaturque Græce *hypostasis*, Latine vero sedimentum. Ex colore aliquæ etiam differentiæ desumuntur, vel enim est contentum album, pallidum, rubrum, viride, lividum, vel nigrum, quæ differentiæ communes sunt omni differentia contenti ex loco desumptæ, ita ut nubecula, vel suspensum, vel sedimentum, sit album, rubrum, vel lividum, &c. Vt ex varijs Hippocr. & Gal. locis colligere licet. Ex substantia quoque aliquæ petuntur differentiæ, vel enim contentum est læve, vel divulsum, & non coctum æqualiter, & omni ex parte: vel est ejus substantia tenuis, vel crassa, vel mediocris. Ad substantiam revocare possumus quantitatem, qualitatem, vel naturam contenti. Ex tempore duplex nascitur differentia: vel enim contentum est æquale, vel inæquale, æquale contentum appellatur quod ab initio à quo incipit apparere ad finem usque tale semper perseveret: inæquale vero contentum dicitur quod non semper æquale, & omni die tale semper perseveret, sed hodie appareat, mane vero non, & uno die diversum ab alio apparere videatur.

Cæterum antequam causas, & significationes contentorum preternaturam adducamus, agendum prius est de optimo sedimento quod in ægris apparet, & quod perfectam ostendit coctionem. Sedimentum itaque optimum, debet esse album, leve, æquale, & in fundo matulæ subsidere docente Gal. 1. prog. comm. ultimo, & 2. prognost. com 26. Imprimis sedimentum debet esse album, quod eadem ratione redditur album, seu tale redditur, quo pus in tumoribus præternaturam, & ulceribus album efficitur: namque, ut docet Gal. locis citatis, pus album redditur, quia in partibus solidis elavoratur, quæ albæ sunt; quoniam omne illud quod agit conatur id in quod agit in sui substantiam convertere, si materia sit similis, si vero dissimilis, inqualitatem, cumque natura puris dissimilis sit nostræ naturæ, illam mutat secundum qualitates, & sic faciens natura quod potest, cùm non possit illam in suam naturam convertere, remanet materia alterata imprimendo ei suos characteres, sicque alba efficitur, quæ victoriam naturæ ostendit. Eadem itidem ratione, sedimentum fit album, quia fit à partibus solidis, ut 1. progn. com. 42. Vnde insanis, etiam si materia sedimenti non sit humor semiputris, est tamen materia quæ subterfugit hepatis coctionem, & hæc similis non est omnino cum nostra natura, atque hæc est causa cur in nostram naturam non convertatur, sed potius formam accipiat in qualitate; nempe albedine, lævitate, & æqualitate: & hac etiam ratione semen in testibus album redditur, quemadmodum lac in mammis.

Distinguitur autem sedimentum à pure partim albedine, partim vero

fœtore: albedine quidem, quoniam cùm magis elaboretur sedimentum, accipit magis venarum effigiem, & fit magis album, quam pus: fœtore etiam cùm plus caloris fit in venis in quibus sedimentum generatur, vix fœtorem aliquem accipit, sicut pus quod extra vasa generatur in quibus partibus calor nativus languidus est. Tale itaque generatur sedimentum optimum urinarum in venis ex materia semiputri à facultate coctrice, non tamen appellatur à Gal. hæc victoria vere, & proprie *concoctio*, sed cum additione, nempe excrementorum coctio, quia alimentum partium est quod vere, & proprie concoquitur: excrementa autem quæ indicia sunt optimæ coctionis cocta dicuntur, aut cruda quatenus indicant veram coctionem probe, aut male factam, vel nullo modo.

Deinde optimum sedimentum debet esse læve; id est ejus substantia debet esse æqualiter permixta, & conjuncta, non autem divulsa, ita ut omni ex parte sit victum, & elaborarum, quoniam si tale non fuerit, non recte erit superatum à natura; quid autem sit non esse læve, id quidem in tumoribus apparet, qui veniunt ad suppurationem non exactam: nam quando rumpuntur, ægreditur una portio crassior, & albidior, alia tenuis, & minus alba. Idem accidit in sedimento, quoniam quando optime est superatum, & victum à natura, omnis portio materiæ quæ in urina coctione elaboratur, ibi æqualis apparet, mediocris scilicet consistentia, proinde læve appellatur ab Hippocrate tale sedimentum, quoniam aspero contrariatur: nam asperum dicitur quod habet inæqualem superficiem, læve vero contra, quando vero sedimentum non est exacte superatum, & victum à natura propter inæqualitatem, continuam non est, sed divulsum, & partes habens à se invicem distinctas, & separatas, quæ divulsio nascitur ex eo quod natura non potuit excrementum unius coctionis omnino superare, sed adhuc sunt flatus relicti, qui permisti illi materiæ eam dividunt, ac separant, proideque sedimentum apparet divulsum.

Præterea, ut sedimentum sit optimum debet esse æquale, æqualitas autem refertur ad tempus, id est, quod ab eo tempore quo incipit apparere sedimentum, tale semper perseveret, & eandem habet consistentiam: hæc vero æqualitas robur facultatis demonstrant, quæ singulis diebus potuit humores concoquere, non autem uno, aut alio die.

Tandem optimum sedimentum debet infundo matulæ subsidere, seù innatare, hoc autem non est simpliciter, & absolute intelligendum, namque in morbis qui ex humore bilioso ortum ducunt necessarium non est ut sedimentum descendat ad profundum, nam potest perfecta coctio in illis apparere remanente sedimento in parte superiori matulæ, quoniam cùm humor biliosus tenuis fit, potest à pauco flatu, & tenui in alto detineri; qua propter Gal. 1. cris. cap. 12.

do-

docet, non esse necessarium in morbis biliosis sedimentum spectare. Quare hæc ultima conditio solum intelligenda erit de morbis ex materia crassa dependentibus: in his etenim, nisi sedimentum infundo matulæ subsideat, imperfectam coctionem ostendet, quoniam indicat maximam copiam flatus, & crassi cum urina permixtam esse quæ in causa est ut sedimentum ad fundum non descendat, sed humorem elevatum sustineat.

Sed rogabit vestrum aliquis, cur inter condiciones optimi sedimenti non enumeratur alia quæ bonitatem illius ostendat? quemadmodum impure, nempe quod sit quam minimè fœtidum? quoniam ea quæ conveniunt in materia, & causa efficiente, debent communes notas obtinere; sed sedimentum ægrotantium, & pus conveniunt in materia, & causa efficiente, igitur easdem notas debent obtinere; sed puris nota est, quod sit quam minime fœtidum: ergo, & sedimenti. Huic satisfacimus distinguentes majorem propositionem, ea quæ conveniunt in materia, & causa efficiente communes habent notas, si nihil aliud proprium habent, verum est, si vero e contra, falsum; cum autem sedimentum aliquid habeat proprium, distinctum à generatione puris, nempe diversum locum, proinde pus fœtet, sedimentum vero nequaquam, nam sedimentum intra vasa generatur, in quibus copiosus calor reperitur proindeque fit ut si aliquid semiputris qualitatis in sedimento reperiatur, id quidem à calore secundum naturam copiosiori vincatur, ac superetur: at verò cùm pus extra vasa generetur, in quibus partibus exiguus calor reperitur, non valet in totum semiputrem illam materiam corrigere, proindeque fit, ut remaneat cum nota aliqua putredinis, nempe cum fœtore quam minimo.

Quibus ita explicatis, ad Auctoris contextum explanandum accedamus: docet autem his capitibus, quid significent eomplicationes sedimentorum, à quibus causis fiant: id autem non in omnibus eomplicationibus exercet; sed in aliquibus solum, ut sint veluti norma ad alias intelligendas. Prima complicatio quæ proponitur ab Auctore est, quando sedimentum album est, læve, & in profundo loco, non tamen æquale, ita ut coctum hodie appareat cras vero incoctum. Hoc sedimentum malum est: indicat enim naturæ imbecillitatem, quæ non potuit totum humorem æqualiter vincere, ac superare, non autem significat cruditatem humoris, neque malignitatem; sed solum imperfectam victoriam. Hæc autem debilitas naturæ potest accidere, vel propter inæqualitatem humoris morbum facientis, ita ut una portio crassior sit alia; vel propter humorem de novo ad partem fluentem: vel ob vitiatum partis temperamentum ab aliqua causa externa, ut ab immoderata vini potione, à vigilia, vel ab aliquo animi pathæmate.

¶ *Sit vero album quidem, & inferiorum locum tenes, &c.*

Est,

Est, & alia complicatio, quando scilicet sedimentum est album, & in profundo loco, non tamen læve, sed divulsum, & inæquale. Hoc sedimentum deterius est priori, nam cum sit divulsum, imperfectam naturæ victoriam demonstrat, quæ non potuit exacte vincere, ac superare eam humoris portionem quam unica vice concoquendam susceperat, quod accidit propter majorem humoris inæqualitatem, quam in priori quæ inæqualitas mala est. Id autem confirmat Autor similitudine autumni: nam quemadmodum autumnus malus est quia inæqualis: sic similiter morbus in quo inæquale sedimentum apparet malus erit, quoniam ex inæquali materia ortum ducit.

¶ *Sit igitur prius æquale divulsum, &c.*

Sit tertia complicatio, quando scilicet est æquale, & divulsum sedimentum: hæc quidem mala est, non absolute, & simpliciter, sed si comparetur cum duabus superioribus in quibus natura superabat, ac vincebat aliquando materiam peccantem; in hac vero quamvis natura aliquantulum materiam superet, quoniam sedimentum est album, non tamen valet coctionem ita absolvere, ac perficere, ut reddat sedimentum læve, sed perpetuo divulsum.

¶ *Sit aliud divulsum inæquale id est alio tempore tale apparens, &c.*

Sit alia complicatio in qua sedimentum est album, divulsum tamen, & inæquale; hæc quidem superiori melior est, quia minorem copiam flatum indicat, ideoque brevi tempore attenuandos esse à natura, quia divulsio in sedimento non perseverat, quemadmodum in superiori. Sed quia posset aliquis Auctori objicere, cur damnet hoc loco æqualitatem in sedimento divulso, quam antea in lævi laudaverat. Huic tacite respondens, inquit, æqualitatem in rebus malis malum esse, quoniam denotat robur, ac perseverantiam causæ morbificæ, summumque ejus vigorem ut vix posit evelli, at vero in rebus bonis æqualitas bona est, semperque desideranda, quod probat Auctor exemplo pulsus intermittentis: nam quemadmodum pulsus intermittens perseverans deterior est intermittente non perseverante, eodem etiam modo sedimentum divulsum perseverans, scilicet æquale, deterius erit non perseverante, nempe inæquali.

¶ *Sit autem alia complicatio, hæc Sedimentum quoad colorem sit coctum & sit album, &c.*

Aliæ etiam oriuntur complicationes contentorum quando scilicet variatur contentum ratione loci, ut si contentum sedimentum non sit, sed eneorema, vel nubecula. Sit autem talis complicatio, si contentum album sit, non tamen in fundo matulæ subsideat, sed in medio, læve & æquale tale quidem contentum denotat optimam fieri peccantis materiæ coctionem: albedo enim indicat robur facultatis alteratricis vasorum; lævitas vero, & æqualitas robur permanens facultatis ostendit, non tamen perfectam coctionem denotat

non

non enim locum ocupat qualem obtinere debet, cum in medio matulæ reperiatur, quod fit, quia nondum dissipati sunt flatulenti spiritus à calore, sed adhuc substantiæ urinę, sunt permixti, qui in causa sunt ut eneorema in media matulæ parte detineatur, cum flatuosi spiritus efficiant ut contenta diversum locum occupent. Hoc autem quod dictum est, non simpliciter intelligendum venit, sed solum verum erit in humoribus crassis, ut supra dicebamus; quoniam si humor ex quo contentum ortum ducit, fuerit biliosus licet in media parte matulæ reperiatur, potest nihilo minus perfectæ coctionis esse signum. Idem judica de nubecula quæ in superiori parte matulæ contineatur.

Illud autem non est prætermittendum quod, inquit Auctor, nempe ex loco, seù situ contentorum nihil posse nos colligere quam modum, & mensuram eorum quæ indicantur: quasi dicat, ex loco non posse nos indicare primo, & per se malignitatem, aut benignitatem, & coctionem aut cruditatem: sed si contentum malignitatem indicet, aut benignitatem, ex loco in quo est majorem, aut minorem benignitatem, aut malignitatem ostendet: & si contentum coctionem aut cruditatem significet, ex loco in quo reperitur majorem aut minorem coctionem, aut cruditatem indicabit. Hoc autem confirmat Auctor exemplo contenti nigri quod semper est malum, minus vero malum est si fit in parte media, & multo adhuc minus si fit in parte superiori matulæ docente Gal. 1. cris. cap. 12. quoniam contentum hoc nigrum si subsiderit, naturam nullam adhuc aggressam esse coctionem indicat, utpote quæ nullos adhuc flatus excitare potuit: si vero in media parte matulæ contineatur, aliquos flatus excitatos fuisse demonstrat; & multo plures si in superiori parte innataverit contentum.

¶ *Sedimentum rubrum fit à sanguine ichoroide, &c.*

Tandem noster Auctor, alias adducit complicationes quæ desumuntur ex coloribus contentorum, veluti cùm inquit, contentum rubeum fieri ex sanguine ichoroide, seù seroso: indicat enim coctionis defectum, seù cruditatem, proindeque morbi longitudinem, non tamen mortem, ut docuit Hipp. 2. prognost. senten. 27. ubi scribit. *Si urina subrubra apparuerit, ac sedimentum subrubrum, & læve: diuturnior hic morbus, quam primus, sed admodum salutaris est.* Ratio est, quia sedimentù subrubrum fit ex ichore sanguis, seù potius ex sanguine serosiori, ac humidiori, cum autem hic humor nostræ naturæ fit maxime similis, ac familiaris, proinde securitatem significabit hoc contentum rubrum. Quod vero cruditatem, seù morbi longitudinem denotet, ostendit Auctor ex generatione humorum: etenim humores, vel fiunt ante sanguinem, vel cum sanguine: ante sanguinem fit pituita quæ in ventriculo generatur, fit etiam ante sanguinem serosus sanguis, quia in venis meseraicis chylus rudem quandam sangui-

gui-

guinis formam adquirit: alij vero humores fiunt cum sanguine, veluti bilis, & succus melancholicus, qui excrementa sanguinis sunt, & secundæ coctionis quæ fit in jecore. Vnde colligit Auctor; sedimentum rubrum cruditatem indicare, cum à sanguine seroso generetur, qui ante coctionem fit.

¶ *Sedimentum autem nigrum aliquando frigiditatis est indicium, interdum caliditatis, &c.*

Vltima complicatio est, contentum nigrum aliquando caliditatem indicat, aliquando vero frigiditatem: tunc significat caliditatem, quando præcessit contentum croceum, aut pallidum cum virore, vel potius quando præcessit contentum flavum, quod caloris est soboles: si vero præcessit lividum contentum, frigiditatem significat lividum enim contentum, extinctionem caloris nativi indicat. Atque hæc de contentis quæ deficiunt à naturali in colore, loco, & tempore.

DE URINA OLEOSA.

CAPVT XXV.

25 ¶ *Ex oleaginis urinis alia est elæochroa alia elæophanes, alia elæodes, &c.*

NOster Auctor tres adducit urinæ oleosæ differentias, prima dicitur *elæochroa* Græce, quæ colorem olei repræsentat. Secunda, *elæophanes*, quæ refert substantiam similem oleo. Tertia, dicitur *elæodes* quæ substantiam simul, & colorem habet similem oleo. Prima differentia, inquit Auctor, colliquationis principium significat, nempe pinguedinis. Secunda, majorem colliquationem significat. Tertia, vero vigorem seú statum colliquationis denotat. Hæ autem urinæ fiunt ex colliquatione pinguedinis, quæ aliquando ex toto corpore, aliquando vero ex solis renibus colliquatur: qua autem ratione id distinguamus docuit Hippocr. 7. aphor. sentent. 35. inquiens. *Quibus insidens pingue, & simul totum, ijs renum vitium auctum significat.* Quibus verbis clare ostendit; qua ratione sit distinguenda pinguendo renum colliquata à pinguedine totius corporis: nam si subito, & in magna quantitate excernatur pinguedo, tunc signum est ex toto corpore excerni: quoniam cum materia quæ colliquatur per varias partes transeat, ipsis adhæret, proindeque in exigua quantitate excernitur: si vero excernatur pinguedo ex renibus, fit tunc simul totum evacuatio, id est in multa quantitate, quia non sunt multæ partes quibus talia materia in transitu posit adhærere. Hæc scribit Auctor de urinis oleosis.

Cæterum hæc Auctoris sententia consi-

constare nullo modo potest, multisque modis est erronea Imprimis errat Auctor, dum oleosam urinam non distingui ab urina pingui existimat, quod accurate explicat Gal. 3. epid. parte 3. comm. 72. ubi tradens Hippocr. historiam illius ægrotantis in Thaso, inquit: sexto die habuit urinas oleosas. Gal. in comm. docet, illam appellari ab Hippocr. urinam oleosam, quæ colore, seu consistentia, aut utroque simul, oleo assimilatur: hanc tamen non esse pinguem, inquit ipse, quoniam numquam se vidisse fatetur talem urinam quæ tota sui substantia esset oleosa: ex quibus Gal. verbis perspicuum fit oleosam urinam minime distingui à pingui, siquidem quod pingue est, læve est, & aerum, veluti oleum, proindeque semper debet innatare in urina, non autem in medio pendere, neque in infima parte matulæ subsidere: at urina oleosa illa dicitur quæ in colore, & substantia oleo assimilatur.

Errat etiam Auctor dum prognostica urinæ oleosæ adducit; neque immerito, nam cum erret in tradenda ejus generatione, necessario quoque in judicio debet aberrare: judicium ex cognitione causæ dependet: inquit enim, oleosas urinas semper colliquationem significare; quod falsum est, cùm Gal. prædicto commentario doceat, sæpe has urinas sine ægri detrimento redditas conspexisse, imò, è contra, morbi coctionem aliquando denotare docuit; hæc sunt verba Gal. *Vidi multoties excretas urinas oleosas sine incommodo animalis, & in morbi coctione.* Id etiam ratio videtur confirmare: etenim oleosa urina est similis oleo in colore, sed talis urina coctionem significat, quia talis color; scilicet olei, qui subflavus est, aliquando est color optimæ urinæ: igitur talis urina coctionem potest significare, & ex consequenti non semper colliquationem ostendet.

Sed objicies, Gal. 1. de crisib. cap. 12. asserit, urinas oleosas perniciosas esse, quia colliquationem signifiat, ergo falsum est quod diximus, posse aliquando coctionem ostendere, & posse ad bonum apparere. Respondemus Gal. locum intelligendum esse de urinis oleosis, quæ proxime accedunt ad pingues, & in quibus gutulæ aliquæ oleo similes in superficie innatantes conspiciuntur; hæ enim malæ sunt, quoniam significant aliquam fieri colliquationem propter adustionem à calore factam, at vero nos hic solum loquimur de urinis oleosis quæ colorem, ac consistentiam olei repræsentant, hæ autem urinæ perniciosæ non sunt, immo si cum signis coctionis appareant, sunt bonæ, cùm indicent humorem biliosum excerni qui morbum faciebat; at vero si ante signa coctionis appareant, cruditatem significant, non tamen proinde pernitiosæ censendæ erunt.

Sciendum autem est, has urinas oleosas evidentissimum esse signum morbi gallici, frequenterque hac nostra ætate apparere, præsertimque si nullus sit affectus, vel febris quæ hominem prehendat, certissime possumus colligere, hos homines morbo

gallico esse affectos, quod accidit ob bilis adustionem, quæ descendens cum urina facit olei colorem ad ruffum accedentem.

Sed quoniam mentionem fecimus urinæ oleosæ quæ proxime accedit ad pinguem, non erit extra rem, aliqua de urina pingui attingere, cum eam frequentissime in opere practico perspiciamus. Vrina pinguis talem appellationem obtinuit ab eo quod in ea supernatat, telis aranearum simile, quod in jure refrigerato solet apparere, ut docet Gal. 7. aphor. comm. 35. Hæc urina pinguis ex adipis colliquatione solet fieri, docente Gal. 3. epid. parte 3. comm. 72. & 1. cris. cap. 12. hæc colliquatio accidit ob ingentissimum, ac ardentissimum calorem, ut febribus ardentibus contingere solet in quibus primum colliquantur pinguedo, quæ minus est à colore elaborata, qua colliquata, aut per dejectionem excernitur, aut per urinam, & quando per urinam excernitur, in ejus superficie concrescit, fitque ex ipsa veluti tela, quædam aranearum quæ quidem appellatur *graphs*; licet aliquando, cum scilicet incipit fieri colliquatio, solum gutæ quædam similes gutis olei in ejus superficie appareant, & hac vocabat Gal. urinas oleosas, 1. cris. cap. 12. Hæc pinguedo quæ colliquatur, vel potest provenire ex toto corpore, ut in febribus colliquantibus: vel ex pituita aliqua parte, veluti ex renibus: qua autem ratione id distinguere oporteat, supra ostensum fuit cum Hippocrate.

Illud autem non est silentio obvoluendum quod inquit, Gal. 4. sanit. tuend. cap. 4. hanc, urinam pinguem non semper colliquationem significare, quod aliquando coctionem humorum crassorum ostendat: namque si in homine sano apparuerint signa potius humorum crassorum abundantium, & postea pingue illud contentum in urina excernatur, indicium erit humores crassos coctos esse, & in sanguinem conversos, cujus portio pinguis simul cum urina excernitur.

DE CONTENTO OROBINO, FARINACEO, laminoso, & fulfuraceo.

CAPVT XXVI. VSQVE AD XXIX.

¶ *Cum autem caro ipsa colliquatur, &c.*

PRæter contentum pingue, alia etiam contenta præternaturam ab Auctore adnumerantur, veluti contentum orobinum, farinaceum, laminosum, & furfuraceum. Contentum orobinum talem appellationem obti-

obtinuit propter similitudinem quam habet cum semine orobi, quod vulgo, sermoneque valentino, *veses*, dicitur. Hoc autem, falsum videtur, cùm Dioscorides lib. 2. de mater. Medica. Duas differentias orobi adducat, unam albam, aliam vero russam, & Gal. 1. de aliment facult. cap. 29. tria statuat ejus genera, album scilicet, pallidum, & russum. Si igitur hoc ita est, cui orobo simile erit contentum orobinum? Sane hoc contentum simile erit orobo russo, proindeque rotundum, ac quodammodo rubens apparet. Contentum farinaceum tale dicitur, quia crassiori parti farinæ assimilatur, quod Græce appellatur *crimnodes*, crimnon enim Græce est pars farinæ crassioris hordei.

Sed dubium maxime videtur, an contentum orobinum distinctum sit à farinaceo: etenim noster auctor, distincta facit hæc contenta, & sigillatim de ipsis disputat, docens farinaceum contentum omnium esse perniciosissimum, quia colliquationem partium sodidarum significat: orobinum non ita esse perniciosum, quoniam ex carnis colliquatione ortum ducit. Hanc eandem sententiam secutus fuit Actuarius, & omnes Arabum sectatores.

Cæterum si ea quæ ab Hippocrate, & Galeno scripta sunt perpendamus, inveniemus haud dubie hæc duo contenta revera à se invicem non esse distincta, sed Græce unam eamdemque appellationem obtinere; nempe, *crimnodes*; nullibi enim quod sciat, mentionem fecir Hippocr. contenti oroboni, licet multoties contenti farinacei, seu *crimnodes* meminerit, veluti legitur 1. epid. parte 3. senten. 29. in historia Sileni, 2. prognost. sentent. 28. & alijs multis in locis. Neque etiam Gal. distincta facit hæc duo contenta, ut colligitur ex 28. com. 2. prognost. tum ex 4. aphor. com. 76. qui eandem generationem, eandemque materiam tribuit contento orobino ac farinaceo; utrumque enim ex sanguine crasso assato fieri asserit: igitur ex sententia Galeni, hæc duo contenta non erunt à se invicem distincta.

Neque de est ratio ut id etiam ostendamus; si enim distincta essent hæc contenta, diversa quoque significarent, sed non diversa significant, ergo non erunt distincta. Probatur minor, nam Gal. utriusque contenti easdem adducit significationes: namque ut docet 4. aphor. comm. 76. contentum orobinum sanguinis crassi assationem significat, sed contentum farinaceum idem etiam significat, ut colligitur ex 28. comm. 2. prognost. & ex alijs locis igitur contentum orobinum, & farinaceum non erunt à se invicem distincta, cùm unam, & eandem rem significent, soloque nomine differant.

Hoc igitur contentum *crimnodes* seu orobinum, fit ob sanguinis assationem, vel carnis colliquationem ut accidit in febribus ardentibus propter ingentem earum caliditatem, hæ enim sanguinem adurunt, & nostri corporis partes colliquant, quo

tempore febres colliquantes appellantur, Vnde recte dixit. Gal. 1. crif. cap. 12. fieri hoc contentum ſanguine craſſo aduſto: ſi enim eſſet ſanguis tenuis, cito diſſolveretur, & per halitum digereretur: colliquatio enim fit, ita ut caro etiam vetuſta contabeſcat in colliquationibus nam quia id reperiatur, ut primo loco liquetur adeps tanquam molior, deinde durior, ac vetuſtior, poſtea nova, & recès caro, 4. loco veſtuſta, & ex hac carne vetuſta colliquata fiunt contenta orobina. Prædicemus autem hoc contentum orobinum, ſeù farinaceum, ſi cum bonis ſignis appareat, non poſſe breviter liberari ægrotum à morbo, ſed longo poſt tempore, docente Hipp. 7. aphor. ſent. 31. & Gal. in com. peſsimum vero eſſe, ſi prava ſigna ei adjungatur, tuncque mortem prænunciat, ita Hippoc. 1. epid. part. 3. ſent. 15.

Poſt contentum orobinum agit Auctor de contento laminoſo, & furfuraceo. Laminoſum contentum, alio nomine dicitur foliatum, ſeù ſquamoſum propter ſimilitudinem quam habet cum folijs: furfuraceum vero tale dicitur, quia cum furfure haber ſimilitudinem. Hæc duo contenta communem habet cauſam, fiunt enim propter magnum vaſorum affectum, ita Gal. 1. criſ. cap. 12. ex quo loco colligitur, furfuraceum contentum deterius eſſe laminoſo. quoniam contenta, quo minores habent partes, eo ſunt deteriora, quia majorem colliquationem, & minus robur naturæ oſtendunt, quam ea quæ majores habent partes, & minus craſſa ſunt: cum autem furfuraceum ex Galeni ſententia, minores habet partes, & craſsiores contento laminoſo, proinde deterius erit illo.

Gal. 2. prognoſt. com. 28. docet, laminoſſum contentum fieri propter vaſorum ipſorum colliquationem, cujus cauſa eſt ardentiſsimus calor qui non ſolum carnes, ſed ſolidas partes occupavit, ita ut vi illius colliquentur, & abſumantur, & hoc indicant laminoſa contenta; cæterum ſi propie loquendum ſit partes ſolidæ non colliquantur, ſed potius abſumuntur, & eroduntur ab humoribus acribus ardentiſsimas febres excitantibus, docente Galen. 10. meth. cap. ultimo. Quapropter hæc contenta laminoſa, & furfuracea ex tunicæ vaſorum eroſione fient, potiuſquam ex eorum colliquatione, quæ eroſio ab humoribus acribus ortum ducit, propterquam cauſam hæc contenta non apparent in febribus maraſmodibus, cùm calor in his, partes ſolidas occupet, ſed potius accidunt in febribus ardentibus, & malignis propter humorum acrimoniam vaſorum tunicas erodentium; idque ſignificare voluit Gal. 1. de criſib. cap. 12. cúm contenta laminoſa, ſuperficiales eſſe partes vaſorum ſcripſit.

Animadvertere autem oportet, poſſe aliquando hæc duo contenta ex ulcere veſicæ fieri, ita Gal. 4. aphor. num. 81. nam ſi ulcus ſit in veſica, & non multum penetret, fiunt contenta laminoſa, & ſuperficiales eroſiones: ſi vero ulcus multum penetret,

netret, fiunt contenta furfuracea. Distinguemus autem, an hæc contenta à toto corpore, an à vesica ipsa procedant, ex urinæ coctione: nam si cocta urina appareat cum ijs contentis, ulcus in vesica esse demonstrat: si autem cruda excernatur urina, & incocta, affectum in vasis corporis esse colligemus. Id etiam ex febre ipsa distinguemus etenim si febris adfuerit maligna, & hæc contenta excernantur, ex erosione vasorum totius corporis provenire colligemus, secus autem si non advertit. Advertendum etiam est, fieri posse aliquando contenta furfuracea ex sanguine crasso assato, & adusto, ita Gal. 4. aphor. com. 77. Vnde fit, ut in elephansiasi propter sanguinis melancholici adustionem hujusmodi contenta appareant: sanguis enim quo crassior exinit, eo aptior est, ut ex eo fiant laminæ: discernemus autem hæc contenta ab alijs ex colore rubro, vel potius nigro in illis apparente.

DE URINIS ICHOROSIS SANDARACHODIBUS, & fœtidis.

CAPVT XXX. ET XXXI.

¶ *Indicat hepar esse ulceratum, cujus substantia dissolvitur, &c.*

VT absolvat Auctor disputationem de pravis urinarum contentis, agit tandem de urinis ichorosis, sandarachodibus, & fœtidis. Vrina ichorosa seu saniosa est, quæ saniem sive rubentem ichorem in substantia repræsentat. Sandarachodes vero talis dicitur, quia substantiam obtinet in colore similem sandarachæ Græcorum, quæ auripigmentum dicitur. Vrinam ichorosam, inquit Auctor, jecoris exulcerationem, significare ita ut partes jecoris ulceratæ per urinas excernantur, ideoque mortem portendere. Cæterum si exacte rem hanc perpendamus nullibi, quod sciam, Hippoc. & Gal. harum urinarum mentionem fecerunt, proindeque credendum erit urinam ichorosam non distingui ab urinæ subrubra, quæ etiam nascitur ex permixtione tenuis ichoris, & sanguinis serosi cum serosa humiditate urinæ; neque etiam urina sandarachodes videtur distingui ab ea in qua contentum orobinum reperitur, quoniam simile est semen orobi quod rufum est sandarachæ, id que voluit significare Gal. 6. epid. parte 1. comm. 6. ubi contentum orobinum cum sandarachode confundit. Vnde urina ichorosa morbi longitudinem potius significabit, cum securitate tamen, uriuam vero sandarachodem, sanguinis crassi assationem, vel carnis colliquationem indicare, non vero profun-

fundam jecoris ulcerationem, ut falso existimat Auctor: nam vivente animali impossibile est tot frustula, hepatis excerni, neque si excernerentur, talem urinam facerent. Illud autem est advertendum, quod ait Auctor, ex his urinis, si ægri liberentur, sequi hydropem, quod intelligendum est de urinis ichorosis, si alia signa hydropis ad sint, cum hæ eædem sint ac subrubræ, & hæc urina subrubra in hydrope affectis excernitur, sicuti diximus agentes de urina rubra.

¶ *Fœtida urina indicat putrefactionem, & intermissionem virtutis.*

Tandem agit Auctor de urina fœtida. Fœtida urina, inquit ipse, maximam humorum putredinem indicat, vel extinctionem caloris nativi, quod significavit quoque Gal. 1. cris. cap. 12. Vnde urina fœtida fiet ex permixtione fœtidæ substantiæ cum ea, sive sit pus id quod miscetur, sive quodvis aliud excrementum, pus vero aut exernitur in maxima quantitate, quando scilicet rumpitur aliquis abscessus: vel in pauca quantitate decidat pus, id non pertinet ad nostrum institutum. Potest etiam humor venarum valde putrescens si cum ipsa urina descendant, eam fœtidam reddere, quo tempore maximam extinctione caloris nativi indicabit.

DE ALIIS PRAVIS CONTENTIS AB Auctore prætermissis.

VT perfecta remaneat hæc nostra disputatio de urinis, agendum est de alijs contentis præternaturam quorum Auctor nullam fecit mentionem, & quæ frequenter in urinis solent apparere. Imprimis cum urina solent excernia renulæ, & lapides, quorum una, & eadem est materia, eadem causa efficiens, & idem generationis modus, nam horum materia sunt excrementa crassa, cruda, ac lenta: efficiens vero causa est, calor immodicus, vel in sua essentia, vel propter immoderatam aliquam alteratione nem talis reditus; modus etiam generationis idem in utrisque est, lapides enim generantur quando hæc excrementa crassiora sunt, & lenta, & multo tempore in renibus detinentur, si vero non sint ita crassa hujusmodi excrementa, & diutius non detineantur, fiunt arenulæ. Deinde in lapidibus, & arenulis varij colores apparent pro varietate materiæ ex qua fiunt, docente Gal. 6. epid. parte comm. 6. nam si rubræ sint, indicant geri ex sanguine crasso qui quando à calore renum condensantur, in arenulas, vel lapides convertitur, si lapides, vel arenulæ sint rubræ, permixtionem bilis indicant cum crassis excrementis, quod si sint cynericiæ, indicant maximam redundantiam adustorum, & pituitosorum excrementorum, ut apparet in cinere qui propter adustionem, talem colorem adeptus est.

Colligitur ex his quæ diximus, quænam sit lapidum, & arenularum significatio: indicant enim renum affectionem, calidam scilicet eorum intemperiem, & pituitorum excrementorum copiam, nisi forte lapis,

in

in vesica suam generationem accipiat, ut accidit in pueris in quibus propter robur facultatis expultricis renumque non permittit ut talia excremen, ta in renibus detineantur, fere semper lapides in vesica generantur; in senibus vero, è contra propter contrariam causam.

Deinde cum urina solent excerni carunculæ, ac veluti capilli quidam, ut docet Hippoc. 4. aphor. sent. 76. inquiens. *Quibus cum urina crassa carunculæ parvæ, ac veluti capilli una exeunt, ijs à renibus excernitur.* Gal. in com. ita habet: hæ carunculæ partes sunt ulceratorum renum, capillos vero maximam renum caliditatem indicare, & copiam crassorum excrementorum, non vero renum ulcerationem, ut falso veteres putarunt.

Præterea solent apparere in urina filamenta quædam, aliquando alba, aliquando rubra. Filamenta partes sunt seminis detenti in meatu pudendi, proindeque indicant nocturnam aliquam pollutionem præcesßisse, aut coitum, aut gonorrhæam veram; quod si filamenta rubra sint, concretionem sanguinis in partibus internis indicant: nam quemadmodum si sanguis in aquam præcipue tepidam injiciatur, aut calidam deperdito calore transit in quædam filamenta: sic similiter si sanguinis grumus decidat in vesicam, fiunt hæc filamenta rubra: grumi etiam sanguinis excernuntur quando hæc filamenta ex sanguine minguntur, quia si non excernantur, periculosißima symptomata solent inducere, docente Gal. 6. de locis affect. cap. 4.

Insuper in urinæ superficie apparent interdum bullæ vel spuma, cujus causa communis est cum reliquis spumis vel bullis quæ in alijs affectibus conspiciuntur: spumæ enim materia perpetuo est substantia humida spiritosæ permixta; causa vero efficiens est calor, vel motus aut, uterque simul, ut colligitur ex Gal. 2. apho. com. 43. Vnde spuma in urinis apparens, indicabit humoris crassitiem, & flatulentos spiritus cum ea permixtos: quia autem spuma duplex est, una in qua bullæ cito dissolvuntur, alia vero in qua difficile: spuma in qua cito dissolvuntur bullæ, humoris, & status extenuationem indicat; si vero difficile dissolvantur, & multæ sint, significant flatus, & humoris crassitiem, hujusmodi vero bullæ secundario morbi longitudinem denotant, quoniam indicant caloris imbecillitatem, & humoris tenuitatem; significant etiam capitis dolorem, quia necessarium est spiritus flatulentos ad caput ascendere, doloremque inducere.

Inter contenta enumerant quoque aliqui Auctores, coronam, seu circulum in superficie urinæ existentem, & matulæ lateribus adhærentem: ij autem decipiuntur, quoniam hoc contentum non differt à superiori: spuma enim in urinis innatat, & matulæ, lateribus adhæret in formam circuli, vel coronæ: qua propter cum hoc contentum idem sit cum spuma, eandem causam, easdemque significationes obtinebit. Atque hæc de urinarum contentis.

de

DE COMPLICATIONIBUS CONTENTORUM cum colore, & ſubſtantia urinæ.

CAPVT XXXII. VSQVE AD XXXIX.

¶ *Reſtat vero nobis ſpeculari de humoris urinarij cum ſedimentis connexionibus, ac dicere, quod ſignificent, &c.*

HIs omnibus capitibus differit Auctor, de combinationibus contentorum cum colore, & ſubſtantia urinæ; ſed quoniam hæc omnia, facile intelliguntur ex his quæ ſuperius dicta ſunt, de complicationibus ſubſtantiæ urinæ cum coloribus: propterea opus non eſt, ut in illis explicandis, tempus conteramus.

DE DIFFERENTIIS URINARUM QUÆ IN SANIS, & ægrotis apparent.

CAPVT XL. ET VLI.

¶ *In morbis febrilibus utiliſſima eſt urinæ indicatio, &c.*

IN calce hujus libelli docet Auctor, qualis ſit urina hominis ſecundum naturam ſe habentis, & temperatiſsimi, ad quam comparatæ aliæ ſanorum urinæ, dicantur tenues, vel craſſæ, flavæ, vel nigræ, &c. Diverſo enim modo ſe habent urinæ, in ſanis, ac in ægris, quoniam ſanorum urinæ comparandæ ſunt ad urinam hominis temperatiſsimi: ægrotantium vero urinæ comparandæ ſunt ad eandem ægri urinam, quam obtinebat dum ſanitate frueretur. Vrina igitur hominis ſecundum naturam ſe habentis, & temperatiſsimi, debet eſſe mediocris in ſubſtantia, in colore ſubruffa, debet etiam ſedimentum album, læve, & æquale obtinere (licet proprie, & in rigore, urina hominis temperati ſedimento carere debeat, cum hic tantum appetat quantum poſsit concoquere) ac tandem in quantitate debet eſſe mediocris, id autem, fiet, ſi urinæ quantitas proportione reſpondeat aquæ epotæ, & humidis alimentis alias enim ſi copioſa ſit aut exigua, affectus morboſos indicabit. Animadvertit autem Auctor, urinam hominis ſani variari pro diverſitate ſexus, ætatis, ſicuti etiam pro diverſo temperamento; pro diverſitate quidem ſexus, quo-

niam in mulieribus urinæ secundum naturam albidiores sunt, quia cum frigidæ sint, paucam bilem generant: copiosius vero habere sedimentum propter ocium; contra vero in maribus, quia calidiores sunt, diversa etiam apparet urina pro varietate ætatis, nam in pueris urinæ crassæ sunt, & cum copioso sedimento ob voracitatem, & intempestivos motus. Qua autem ratione varietur urina pro diversitate temperamenti, id perspicuum est. Qualis vero debeat esse urina ægrotantium, hoc facile ex dictis innotescit.

SEDIMENTUM ALBUM NON OMNE, bonum indicat.

CAPUT ULTIMUM.

¶ *Sæpe autem albus color eorum, quæ in urina resident, decipit idiotas ita, ut nesciant malam esse hypostasim, quæ illis videtur bona: ac è diverso bonam esse, quæ illis videtur mala, &c.*

QVoniam dixerat Auctor, optimum sedimentum debere esse album, & sæpe sedimenta alba appareant, quæ non sunt bona, propterea hoc ultimo capite animadvertit, qua ratione hujusmodi deceptionem fugere possimus. Id autem fiet, si distinguamur id, quod excernitur cum urina, nempe pus vel succum crudum à vero sedimento, quod discernemus ex odore urinæ nam si fœteat, signum est illud quod excernitur cum urina esse pus: tum etiam si præcedant signa inflammationis internæ, & alicujus abscessus interni rupti, talia sedimenta sunt ex puris permixtione: humor vero crudus distinguetur etiam à vero sedimento, nam verum sedimentum læve est, humor vero crudus est divulsus, & in partes minimas divisus, veluti in arenulas: tum etiam quia quando excernitur sedimentum, prius apparet nubecula, deinde sedimentum; è contra vero quando excernitur succus crudus, prius apparet sedimentum, deinde æneorema, ultimo vero nubecula, quia humor sensim attenuatur, & concoquitur: propterquam causam dixit Gal. 4. sanit. tuend. cap. 4. *graphs* aliquando coctionem indicare, id autem intellige in morbis qui ex crudis succis ortum ducunt. Hæc sunt quæ pertinent ad hujus libelli de urinis explanationem.

JOANNIS BAPTISTÆ NAVARRO CASTVLLONENSIS, DOCTORIS MEDICI, ET SCHOLÆ MEDICÆ VALENTINÆ PROFESSORIS.

IN GALENI LIBRVM DE PVLSIBVS AD TYRONES, EXPLANATIO.

HERMANO CRVSSERIO CAMPENSI INTERPRETE.

PRÆFATIO.

INTER illa omnia, quæ in noſtra arte pertractari ſolent, Principem locum obtinere conſiderationem, quæ expulſu, & urina deſumitur, ex eo colligere licet, quod ſigna ſint ex eorum uumero, quæ non ſolum futurum morbi eventum denunciant, ſed etiam præſentem ſtatum ægri, ſeu morbum, morbi cauſam, & partem affectam demonſtrant: pulſus namque primo, & per ſe, vitalis facultatis, & totius corporis robur indicat, ſecundario vero cordis, & corporis ſtatum; at vero urina proprie, hepatis, venarumque conſtitutionem demonſtrat, Igitur cùm ſuperiori anno (*juvenes ornatiſſimi*) diſputationem de urinis adamuſsim abſolverimus, jam in præſentia, optimam methodum ſequuti, librum Gal. de pulſibus ad Tyrones interpretandum aggredimur.

Inſcribitur itaque hic liber, *de pulſibus ad Tyrones, ſive ad Theutram,* quia in gratiam Tyronum, ſeu Theutræ ejus familiaris, hunc librum conſcripſit Gal. etenim in hoc libro ſolum ea pertractat, quæ captui Tyronum ſunt accommodata, ne eorum ingenia tot libris perturbentur: tradidit namque Gal. magnum opus de pulſibus

bus in sexdecim libros distributum in quibus multa; quæ ad artis opera necessaria sunt proponit; hoc tamen opere prætermisso, quod propter longitudinem permultum tempus expostulabat, aggresi sumus interpretandam, hanc de pulsibus introductionem, in qua solum per capita traduntur ea, quæ facere videntur ad Medicinam exercendam, quorum demonstrationes, ex magno illo, ac vasto opere sunt desumendæ.

Quod hic liber quem interpretandum suscipimus proprius sit, ac legitimus ipsius Gal. non est quod dubitemus, cùm plura sint, quæ id nobis aperte manifestent, ac præcipuè ex libris de causis pulsuum evidentissimè colligatur, in quibus repetit ea Gal. quæ hoc libro docuit, manifesteque colligitur, eos libros veluti quosdam esse commentarios eorum omnium, quæ in hoc libro pertractavit. Quapropter Gal. hoc libro methodum dividendi servat, cùm incipiat à primis differentijs, donec ad omnium ultimas deveniat, quæ amplius divisionem non patiuntur. Igitur cum methodum dividendi servet Gal. hoc libro, primum, & ante omnia differentias pulsum adducit, nulla facta diffinitionis mentione, quoniam hæc solum est necessaria quando differentiæ ponendæ sunt in demonstratione: ergo cum hoc libro non instituat Gal. differentias per demonstrationem adducere, sed sola capita scribere, propterea diffinitionem pulsus non adducit.

Colligitur ex ijs quæ diximus, maximam esse hujus operis utilitatem, est namque ad omnes fere Medicinæ partes utilis pulsum consideratio. Imprimis maximi momenti est ad partem Medicinæ salubrem, sive ad sanitatem tuendam, namque in hac, variæ naturæ, & diversæ ætates intra limites sanitatis considerantur, in quarum dignotione valde conducit pulsuum differentias cognoscere. Vtilis quoque est hæc disputatio ad partem Midicinæ dignosticam, quoniam plerique affectus, peculiares habent pulsus differentias, & in illis, ex pulsu robur aut imbecillitatem virium cognoscimus: inflammationes etiam internæ ex pulsu dignoscuntur: & ex illo cognoscimus partem affectam membranosam esse, veluti apparet in pleuritide. Ad partem etiam Medicinæ prognosticam maxime necessaria est pulsuum cognitio: nam non solum prædicemus ex pulsu futuram esse crisim, sed speciem quoque evacuationis qua morbus terminandus est: ex pulsu etenim undoso prædicit Gal. morbum persudorem solvendum esse: ex inæquali vero, per vomitum; tum etiam, quoniam cùm tota ratio prædictionis posita sit in comparatione roboris facultatum nostrum corpus gubernantium cum viribus morbi, facultas autem vitalis sit præcipua ex qua vita pendet, & animalis conservatio, sequitur inde, hanc de pulsibus doctrinam ad prædicendum alijs omnibus esse anteferendam. Vtilis tandem est hæc tractatio ad partem Medicinæ curatricem: quoniam ex

pulſu vires ægroti cognoſcimus, indicatio vero, quæ deſumitur à viribus, licet curatrix non ſit, maximi tamen momenti eſt ad curationem; tum etiam, quia morbi cognitio, remediorum eſt inventio. Ex quibus conſtat, hanc de pulſibus diſputationem, non ſolum utiliſsimam eſſe, ſed etiam futuro Medico maximè neceſſariam.

Colligitur ſecundo, hanc de pulſibus conſiderationem non pertinere ad partem Medicinæ phyſiologicam, ut falſo aliqui opinati ſunt: quoniam quamvis pulſus actio naturalis ſit cordis, & arteriarum; quia tamen pulſum non conſideramus ut ſic, ſed quatenus ex eo deducimur in cognitionem affectum, & partium affectarum, propterea hæc diſputatio potius ad partem Medicinæ dignoſticam, quæ de ſignis Medicis agit, pertinebit.

Hoc loco dubitare ſolent Interpretes, utrum Hipp. artem de pulſibus noverit. Gal. circa hanc rem varius eſſe videtur: 1. etenim lib. de different. pulſ. cap. 2. docet Hippoc. inter omnes primum fuiſſe, qui nomen pulſus literis mandavit, atque artis, quam complectitur non fuiſſe ignarum lib. etiam 4. de digno. pulſ. cap. 2. inquit, Hippocr. operam dediſſe in indagandis differentijs pulſum, ut humores, & animi mores agnoſceret. Sed ex altera parte 3. de criſ. cap. ultimo, nec non 1. epid. parte 3. comm. 18. ſcribit, Hippoc. ſigna ex pulſibus deſumpta non fuiſſe aſſecutum, vel quia non cognovit, vel quia non exiſtimavit eſſe magni momenti. Et rurſus lib. de præcognitione ad Poſth. cap. 15. teſtatur Gal. Hippocr. ſcientiam de pulſibus non attigiſſe, Medicos autem illo poſteriores eam tradidiſſe. Cæterum ſi ea quæ ab Hippocr. ſcripta ſunt diligenter perlegamus, inveniemus haud dubie, ipſum aliquando pulſus meminiſſe, atque ejus notitiam habuiſſe, ſiquidem lib. de alimento in fine ſic ad verbum ſcribit. *Venarum pulſationes, & reſpirationes ſpiritus juxta ætatem, & conſonantia, & diſſonantia, ſunt, & morbi, & ſanitatis ſigna, &c.* Lib. itidem de locis in homine, inquit duas arterias juxta tempora fieri in medio temporum, & aurium, quæ ſemper pulſant. Idem etiam docet alijs multis in locis.

Quare in re tam ambigua, exiſtimandum eſt, Hipp. revera artem de pulſibus cognoviſſe, ſed non exacte elaboratam atque abſolutam ab eo fuiſſe: loco enim pulſus reſpirationem videtur obſervaſſe, ut manifeſte colligitur ex hiſtorijs in libris epidemiorum ab eo conſcriptis: ſiquidem reſpiratio, & pulſus adeo ſibi conſentiunt, & ſimiles inter ſe ſunt, ut merito reſpiratio vices pulſus, & pulſus reſpirationis poſsit ſupplere. Sed ſatis ſit hæc de hac dubitatione dixiſſe cum indigna ſit Medico, & potius eruditionem, quam doctrinam nobis adducat: qui autem plura de hac re cupit, legat Valleſium 3. lib. Suarum controverſiarum in præfatione, qui inter cæteros diffuſe hanc dubitationem perſequitur.

Du-

Dubitare etiam ſolent Interpretes, utrum pulſus ſit ſignum præſtantius urina in morbis profligandis. Sed quid ſetiendum ſit circa hanc dubitationem in diſputatione de urinis dictum fuit.

DE NOTIONE, ATQUE ESSENTIA Pulſus.

VT recta methodo noſtra diſputatio procedat, dilucidiorque, ac clarior evadat, tradenda prius eſt notio ipſius pulſus, & eſſentia ejus explicanda, quo facilius, ac commodius illius differentias, & cauſas adinvenire valeamus; ſed ut omnis omonimia de medio tollatur, explicandæ prius ſunt ſignificationes hujus vocis pulſus, quas tradit Gal. 1. de different. pulſ. cap. 2. & 4. de different. pulſ. cap. 2. tres itaque ſunt ejus ſignificationes: primo namque ſignificat pulſus vehementem, & manifeſtam pulſationem quæ in partibus inflammatione laborantibus contingere ſolet, quæ ſignificatio in uſu erat apud veteres Medicos. Secundo, ſignificat pulſus palpitationem in qualibet corporis parte factam, cujus Auctor fuit Ægimius, docente Gal. loco citato. Trandem ſignificat motum arteriarum, qui ad extremum uſque vitæ ſpiritum in animalibus conſpicitur, quæ ultima ſignificatio propria eſt pulſus.

Pulſus igitur, ut docet Gal. 4. de different. pulſ. cap. 2. duplici definitione definitur, diffinitione ſcilicet nominis, & diffinitione rei: diffinitione nominis in hunc modum deſcribitur pulſus. *Eſt quidam motus, qui in quibuſdam partibus cutis percipitur tactu, & aliquando viſu, potiſſimumque in carpo manus, in quo comprehendimus, quiddam de profundo aſcendere, & nos ferire, deinde ab ictu recedere illud, quod movebatur, & quieſcere, aut primum quidem quieſcere, deinde aſcendere, idque à primo ortu ad extremum uſque vitæ ſpiritum*, quem motum, inquit Gal. omnes homines pulſum appellant. Hæc eſt notio pulſus.

Diffinitione autem rei, ſeù definitione eſſentiali ſic definitur pulſus à Gal. loc. cit. *Pulſus eſt actio peculiaris, præcipuè cordis, deinde arteriarum, quæ dilatatione, & compreſſione moventur, à facultate vitali, quo caloris nativi mediocritas retineatur, generentur autem in cerebro ſpiritus animales.* Quæ diffinitio optima eſt, omnibuſque numeris abſolutiſsima, cum brevi oratione totam pulſus eſſentiam contineat, & cauſas ejus continentes explicet, facultatem ſcilicet, inſtrumentum, & uſum; conſtat enim genere, & differentia, genus in hac diffinitione eſt, *actio*, nomine vero actionis, motum intelligit Gal. quoniam pulſus, prioris ſtatus eſt mutatio non in quantitate aut qualitate, ſed loco: partes namque, quæ pulſant, locum mutant: quo nomine convenit pulſus cum motu cerebri, tremore, palpitatione, & alijs motibus. Reliquæ particulæ hujus diffinitionis ponuntur à Galeno loco differentiæ. Dicitur deinceps pulſus, *peculiaris actio*: quoniam cùm actiones noſtri corporis ſint

sint in duplici differentia, aliæ enim omnibus partibus, & toti corpori sunt communes, veluti alimenti attractio, retentio, &c. aliæ vero propriæ sunt unius, vel alterius partis, ut visio oculorum, auditio aurium, &c. Propterea merito pulsus actio peculiaris, ac propria dicitur à Gal. non autem communis.

Tertia particula est, *præcipue cordis, deinde arteriarum*: per quam particulam instrumenta pulsus declarantur, siquidem cor propria, ac sibi insita facultate pulsat, arteriæ vero communicata facultate à corde cujus commercio, si destituantur, statim dilatatione, & compressione privantur. Quod si dixerit aliquando Gal. arterias maxime propria facultate pulsare, id propterea docuit, quoniam arteriæ perpetuo pulsant.

Quarta particula est, *quæ dilatione, & compressione moventur*: in qua docet Gal. pulsum distingui à motu simplici quoniam quamvis pulsus unus motus sit, & ab una facultate factus: compositus tamen est ex dilatione, & compressione, quæ ab una, & adem facultate fiunt. Per illam particulam, *à facultate vitali*, exprimitur pulsus facultas, & ejus causa efficiens: per quam differt pulsus à palpitatione, quæ est motus cordis præternaturam, quoniam palpitatio non fit à facultate, sed à causa præternaturam, scilicet ab spititu flatuoso exitum quærente: at vero pulsus à facultate fit, & non à quavis facultate, sed à facultate vitali.

Vltima particula diffinitionis erat, *quo caloris nativi mediocritas retineatur generentur autem in cerebro spiritus animales*: per quam expressit Gal. finem, & utilitatem ipsius pulsus propter quos facultas seu causa efficiens operatur: nam propterea factus est pulsus, ut calor nativus conservetur: at caloris nativi mediocritas ipsius cordis, & reliquarum partium triplici potissimum ratione detinetur seu conservatur, media scilicet refrigeratione, ventillatione, & media fuliginosorum, excrementorum, ex purgatione: media quidem refrigeratione, quoniam cum calor nativus substantia sit ignea, & aerea, refrigeratio prohibet, quo minus hæc in aerem ambientem dissipetur: namque cum hæc substantia ignea lævis sit, movetur sursum, sicque brevi tempore in totum dissiparetur, propter quam causam provida natura, ne hoc in commodum sequeretur, calidam illam substantiam frigido elemento contemperavit, atque hoc modo attemperata, idonea maxime efficitur ad actiones corporis abeundas.

Deinde calor nativus fovetur ac conservatur media ventillatione: nam quemadmodum ventillatio flammam ipsam adauget, quia media ipsa prohibetur quo minus flamma sursum feratur, & in ambientem aerem dissipetur, sicque cogitur intro se recipere, ad pabulum scilicet, sive ad alimentum, & hoc modo nutrita plurimum augetur; sic similiter noster calor nativus ubi media respiratione, & transpiratione moderata ratione ventillatur, seipso robustior,

ac

ac validior reditur: quoniam ea ventillatio prohibet, quo minus in sublime feratur ex sua natnra, sicque cogitur ad interna deferri, sive ad nutrimentum, ita Gal. lib. de util. resp. cap. 3.

Tandem calor nativus conservantur media fulginosorum excrementorum expurgatione: quoniam cùm ex illa refrigeratione, & ventillatione aliqua remaneant fulginosa recrementa, quæ inepta prorsus sunt ad generationem spirittum: si multo tempore intro detineantur, sua prava qualitate sanguinem, & spiritus inficient, & sua multitudine calorem nativum obruent. Quapropter cùm pulsus factus sit à natura, ut calorem nativum conservet, & ex duplici motu componatur, dilatatione scilicet, & compresione: media dilatione atrahitur aer ab arterijs transpiratione per cutim facta, quì perveniens ad cor ipsum quodammodo refrigerat, & ventillatione ad mediocritatem reducit; media vero compresione fuliginosa excrementa ex corde foras expelluntur. Sed quoniam ad calorem cordis contemperandum dicta non sufficiunt, cùm major sit calor in ipso, quam in alijs partibus nostri corporis, idcirco provida natura respirationem fabricavit propter eundem usum, quæ cùm composita sit ex inspiratione, & expiratione: media inspiratione attrahitur aer ad pulmonem, & ex pulmone media dilatatione ad cor: media vero expiratione fuliginosa recrementa expelluntur, ex quibus mediocritas caloris nativi in corde reti-netur, & conservatur.

Altera utilitas, quàm præbet pulsus animalibus est: ut animalis spiritus in cerebro generentur, quod nulla alia ratione præstat, quam præbendo materiam per arterias soporales dictas, cùm ex spiritibus vitalibus media compresione, & dilatione arteriarum ad cerebrum pervenientium, & ex aere media inspiratione per nares attracto generantur spiritus animales in ipso cerebro.

Sed rogabit aliquis, cur Gal. definierit pulsum per generationem spirituum animalium, nullamque fecerit mentionem spirituum vitalium, cùm immediate per pulsum spiritus vitales generentur? Huic breviter respondeo, quod cum cognitum haberet Gal. spiritus animales generari ex vitalibus, & deficientibus vitalibus deficiant quoque animales; propterea quando dixit, pulsum utilem esse ad generationem spirituum animalium, simul quoque asserit utilem esse ad spiritus vitales generandos, cùm media dilatatione cor, & arteriæ aerem attrahant, ex quo simul cum sanguinis vapore spiritus vitales generantur. Atque hæc de notione: & essentiali diffinitione pulsus.

DVBITATIO PRIMA.

Vtrum facultas pulsatilis naturalis sit an vero animalis.

EX definitione pulsus à Gal. tradita variæ consurgunt dubitationes.

nes. Prima dubitatio est, an hæc facultas cordis, qua arteriæ dilatantur, & comprimuntur, quam pulsatilem vocant, sit naturalis. Quidam ducti sunt in eam sententiam ut existiment, facultatem pulsatilem esse vitalem: quos decepit, locus quidam Gal. qui legitur 4. de different. pul. cap. 2. ubi facultatem pulsatilem vitalem appellant. Quæ sententia falso innititur fundamento: namque facultas vitalis cordis, alteratrix facultas dicitur, quæ sanguinem arterialem, & spiritus vitales generat, quibus restauratur calidum innatum uniuscujusque partis in quo præcipue vita consistit, quia instrumentum est actionum naturalium; at facultas pulsatilis actio est ab hac maxime disdistincta. igitur facultas pulsatilis vitalis non erit. Quod si Gal. loco citato, facultatem pulsatilem vitalem appellat, id propterea fecit, quia essentia eadem est cum vitali, siquidem omnes in temperamento conveniunt, cùm sint insitæ in ipso corde; facultas tamen pulsatilis ministra est, subservitque ipsi vitali.

Alij sibi persuaserunt, facultatem pulsatilem naturalem esse, distinctam tamen ab illis quatuor, quibus animalium corpora gubernantur, attractrice scilicet, retentrice, &c. Quam sententiam aliquibus rationibus nituntur demonstrare: prima est, facultates naturales non fluunt, sed sunt insitæ temperamento, sed pulsatilis facultas fluit, ergo non est naturalis. Secunda ratio, instrumenta quibus fit aeris attractio omnino sunt distincta ab alijs instrumentis, quibus utitur facultas atratrix alimenti, & modus attractionis diversus quoque est, quoniam ejus attractio fit successione ad id quod evacuatur, igitur facultas media qua arteriæ dilatantur non erit attractrix naturalis, & ex consequenti neque facultas pulsatilis inter naturales erit recensenda. Tertia ratio, media facultate attractrice naturali solum attrahitur alimentum ad partes ipsas nutriendas, sed quando arteriæ dilatantur non attrahitur alimentum ad nutritionem partium, igitur dilatatio arteriæ non fiet à naturali facultate attractrice, & per consequens neque tota pulsatio fiet ab aliqua facultate naturali.

Cæterum quamvis hæc sententia aliquam probabilitatem obtinere videatur, nihilominus tamen falsa est, & decretis Gal. maxime repugnans. Neque enim illius rationes aliquid concludunt: ad primam enim respondemus, primam propositionem falsam esse: quoniam quemadmodum facultas hepatis potest per venas fluere, & una ex facultatibus naturalibus: sic similiter facultas pulsatilis fluere potest, licet sit ex numero facultatum naturalium: siquidem facultates naturales non fluere dicuntur ad distinctionem facultatum animalium, quia non eodem modo fluunt ac facultates animales, etenim animales facultates fluunt ad propria instrumenta ejus actionis, cujus sunt facultates, ut facultas videndi fluit ad oculos, qui propriæ sunt

sunt instrumenta visus: facultas movendi, ad musculum, qui proprium est instrumentum motus, at vero facultates naturales non fluunt ad propria instrumenta actionis, cujus facultates dicuntur facultas namque pulsatilis non fluit ad proprium instrumentum pulsus, quoniam non minus pulsat, cor; quam arteria; ad quam fluit facultas.

Ad secundam rationem respondemus, quod licet instrumenta, quibus fit aeris attractio distincta sint ab instrumentis, quibus utitur facultas attractrix alimenti, & modus etiam attractionis sit diversus, non propterea colligere licet, facultatem pulsatilem non esse naturalem: quoniam quemadmodum facultas attractrix ventriculi naturalis est, licet proprium habeat instrumentum, nempe æsophagum medio quo agit, & proprium atractionis modum; eodem etiam modo facultas pulsatilis cordis inter naturales recensebitur, quamvis proprium habeat instrumentum, & proprium attractionis modum.

Ad tertiam dicimus, primam propositionem non esse veram: nam sicuti partes nostri corporis attrahunt aquam media facultate naturali attractrice, non tamen nutriuntur ipsa aqua, quia alimentum non est: pari itidem ratione facultas pulsatilis quæ dilationem efficit dicetur naturalis, licet per eam non attrahatur alimentum partium, sed aer, vel respondemus secundo, aerem inter alimenta numerari, quia ex aere fiunt spiritus, spiritus vero vitales calidum innatum partium restaurat; quod autem aer inter alimenta numeretur docet Hippoc. lib. de alimento, ubi sic habet. *Forinsecus alimentum ab externa superficie ad interna pervire*, ubi nomine alimenti aerem externum intelligit, quem ipse multis in locis alimentum appellat, ut ostendit Hieronymus Cardanus in com. lib. Hip. de alimento lectione 34.

Tandem neque desunt, qui facultatem pulsatilem animalem esse asserunt; primum quia hæc facultas fluit, quemadmodum animalis: secundo, quia in solis animalibus reperitur, cùm plantæ non habeant cor, igitur facultas pulsatilis animalis erit. Hæc tamen opinio minus constare potest, quam supradicta, quoniam licet facultas pulsatilis fluat sicuti animalis, non proinde animalis erit appellanda: facultas etenim animalis fluit ad propria instrumenta, ut antea dicebamus, cùm cerebrum nec sentiat, nec moveatur, sed sunt propria instrumenta sensus, & motus; facultas vero pulsatilis non fluit ad propria instrumenta, quoniam non minus cor est pulsandi instrumentum, quam arteriæ. Et quamvis facultas pulsatilis in solis animalibus reperiatur: non propterea dici debet animalis. Quid quod facultas pulsatilis est aliquando in animali ubi animal adhuc non vivit vita animalis; quia caret sensu, & motu, quando scilicet fœtus formatur in utero.

Quare his sententijs rejectis decidenda est proposita dubitatio ex

nostra sententia si dicamus, facultatem pulsatilem numerandam esse inter facultates naturales. In corde etenim 4. facultates naturales reperiuntur attractrix scilicet, retentrix, concoctrix, & expultrix: facultas concoctrix sive alteratrix ipsius cordis, vitalis dicitur princeps, quæ sanguinem arterialem, & spiritus vitales generat: facultas vero attractrix, & expultrix dicitur pulsatilis, quæ vitalis etiam appellatur non princeps sed ministra, quia facultati principi subservit; cum autem ex facultatibus naturalibus, quædam simplices sint aliæ vero compositæ, pulsatilis facultas recensebitur inter facultates naturales non simplices, sed compositas, quæ utitur pro instrumento sinistro cordis ventriculo, & arterijs ipsis ut dilatatione atrahat, & media compresione expellat. Probatur hæc conclusio in hunc modum; actiones, quæ pertinent ad substantiæ deperditæ restaurationem naturales sunt, sed actione facultatis pulsatilis reparatur substantia ignea, & aerea cordis: ergo actio facultatis pulsatilis naturalis erit. Probatur secundo, facultas pulsatilis est facultas atractrix, & expultrix: cor enim ad attrahendum utitur pro instrumento dilatatione, & compresione ad expellendum, sed hæ facultates sunt naturales, igitur facultas pulsatilis naturalis erit. Probatur tertio, actio naturalis fit citra cognitionem, sed facultas pulsatilis est hujusmodi; igitur facultas pulsatilis naturalis erit. Dices nonne movetur cor quando opus est? Ergo facultas pulsatilis agit cum cognitione. Respondeo negando consequentiam, quia movetur cor quando opus est propter usum citra cognitionem: non secus ac uterus sine cognitione retinet propter usum fœtum novem menses, non tamen cor cognoscit noxam. Sed de hac dubitatione hactenus.

DVBITATIO SECVNDA.

An dilatatio, & compressio à duplici fiant facultate: an vero ab una solum.

QVoniam Gal. in proposita diffinitione asserit pulsum constare dilatatione, & compresione, quæ sunt motus contrarij, propterea ortum ducit hæc dubitatio, qua quæritur, an hi duo motus in pulsu à duplici facultate procedant an vero ab una tantum. Communis Medicorum opinio tenet, dilatationem, & compresionem in pulsu à duplici facultate procedere, quam sententiam probant prius loco quodam. Gal. de prompto, ex lib. 2. de præsag. ex puls. cap. 8. ubi scribit, pulsum dicrotum fieri concertantibus inter se duabus facultatibus, altera, quæ dilatat, altera vero, quæ comprimit; igitur ex hoc loco manifeste colligitur, dilatationem, & compresionem fieri à duabus facultatibus. Deinde hac sententiam aliquibus rationibus nittuntur demonstrare. Prima ratio desumpta est ex Gentili, quam ipse demonstratio[illegible]

ap-

appellat, quæ talis est: facultates distinguuntur per actiones, & actiones per objecta, sed dilatatio, & compressio sunt diversæ actiones, ergo debent fieri à distinctis facultatibus; probatur minor; dilatatio versatur circa attractionem aeris, quod est quid juvans ipsum cor; compressio vero circa excrementorum expulsionem, quod est quid nocens, sed ista objecta sunt contraria, & specie diversa, ergo & actiones, & ex consequenti, & facultates. Secunda ratio est, instrumenta medijs quibus fit dilatatio, & compressio sunt distincta, ergo, & facultates: sed sic est, quod fibræ rectæ deserviunt dilatationi, obliquæ vero expulsioni, igitur erunt actiones distinctæ, cum instrumenta sint distincta. Tertia ratio, hæc est differentia inter animam, & ejus facultates, quod anima semper est in actu primo, facultates vero non semper sunt in actum reductæ, sed aliquando quiescunt, sed si dilatatio, & compressio ab eadem fierent facultate nunquam quiesceret, facultas, igitur à diversis fiunt facultatibus.

His tamen non obstantibus, oppositam sententiam veriorem esse existimamus, & doctrinæ Galeni maxime consentaneam ipse namque lib. 2. de præs. expuls. cap. 7. sic ad verbum scripsit. *Corpus cordis facultatem quandam obtinet, quæ distendit, & contrahit, non temere illam quidem, nec fortuito à natura donatam, neque ociosam, sed tuendi gratia innati caloris.* Ex quibus verbis luce meridiana clarius colligitur, unam, & eandem esse facultatem, quæ dilatat ac comprimit cor. Neque deficit ratio, meo quidem judicio, evidentissima, quæ id demonstret, quæ talis est, una numero facultas circa diversa instrumenta potens est distinctas actiones efficere, igitur facultas pulsatilis potens erit circa diversa instrumenta dilatationem, & compressionem efficere: probatur antecedens facultas motiva, quæ est una numero, circa diversas fibras, motus efficit distinctos inter tensionem, & contractionem, igitur facultas pulsatilis poterit circa distincta instrumenta illos duos motus contrarios efficere, aut detur major ratio.

Ad rationes pro adversa parte traditas respondemus, & imprimis ad locum Gal. dicimus, quod quando asserit pulsum dicrotum fieri concertantibus inter se duabus facultatibus, altera, quæ dilatat, altera, vero, quæ comprimit, statim subjungit, ut superius diximus, cùm autem Gal. de his duabus facultatibus nihil dixerit, sed potius de fine pulsus antea egerit, ideo locus Gal. sic venit intelligendus, ut nomine duarum facultatum duos diversos fines intelligamus propter quos pulsus dilatatio, & compressio fiat. Ad primam rationem respondemus distinguendo majorem, si actiones illæ sint adæquatæ verum esse distingui facultates per ipsas: si vero sint inadæquatæ, falsa est proposito, cùm autem dilatatio, & compressio actiones sint inadæquatæ, nihil mirum si ab una, & eadem fa-

cultate fiant. Ad secundam dicimus, quod licet instrumenta medijs quibus fit dilatatio, & compressio sint distincta, non propterea facultates erunt distinctæ, cum facultas motiva una numero sit, nihilominus diversis utatur instrumentis, fibris scilicet diversis inter tensionem, & contractionem. Vltimæ rationi respondemus, primam propositionem falsam esse, nam facultas naturalis perpetuo agit, si adsint omnia requisita ad operandum, veluti est facultas concoctrix, quæ sive dormiat animal, sive vigilet perpetuo concoquit, atque ita nullum erit inconveniens, quod facultas semper sit in actu secundo. Atque de hac dubitatione hæc sufficiant.

DVBITATIO TERTIA.

An omnia quæ sunt in pulsu fiant à facultate pulsatili.

PRo exacta hujus dubitationis intelligentia animadvertere oportet, pulsum constare duplici motu, dilatatione scilicet, & compressione: componi etiam ex duplici quiete, cum contrarij motus continuij esse non possint: intercipiuntur ergo hij duo motus duplici quiete, una interna, quæ excipit compressionem, & antecedit dilatationem: alia vero externa, quæ præcedit compressionem, & sequitur dilatationem. Quo posito, dubitatio non solum procedit de utroque motu, sed etiam de utraque quiete. Circa primam hujus dubitationis partem existimant aliqui, dilatationem esse motum naturalem à facultate pulsatilli factam: compressionem vero esse motus cessationem, & fieri à sola gravitate corporis arteriæ. Id autem probat hac ratione: motus, qui fit in corde, & arterijs maximam similitudinem habet cum motu, qui in respiratione accidit, quilibet enim horum ex dilatatione, & compressione componitur; sed compressio thoracis, quæ in respiratione fit non fit à facultate, sed à sola gravitate ejusdem, cum fiat quiescentibus musculis qui dilatationem fecerunt, igitur neque compressio in pulsu fiet à facultate, sed à sola gravitate arteriæ: minorem probant ex Galeno qui lib. 2. de motu muscul. cap. 7. docet, expirationis nullum musculum septo transverso appositum esse, sed solum nobis expirantibus thoracem decidere: sed decidentia non fit à facultate, ut idemmet docet 1. de motu muscul. cap. 7. igitur neque compressio in pulsu fiet à facultate, sed à sola arteriæ gravitate.

Alij, e contra existimant, solam compressionem pulsus fieri à facultate, dilatationem vero fieri à firmitudine partium arteriæ, & esse reddirum ad proprium, naturalem statum; quod probant sic, adhoc ut aliquod corpus durum comprimatur indiget facultate, quia postea à firmitudine partium dilatatur: nam v. g. ut virga flectatur, & comprimatur indiget vi, & facultate, postea vero per se solum, & sua firmitudine dilataturr sed cor, & arteriæ sunt corpora dura,

igitur

igitur per se sola, & sua firmitudine dilatantur, & ex consequenti sola compressio à facultate fiet, dilatatio vero à firmitudine partium arteriæ.

His tamen sententijs rejectis, dicendum est tan dilatationem, quam compressionem pulsus à facultate pulsatili fieri, non autem à firmitudine seu gravitate arteriæ: hanc sententiam expresse tenet Gal. lib. de usu pulſ. cap. 5. & 7. & 4. de different. pulſ. cap. 12. ubi ex sententia Athenæi id demonstrat multis rationibus: & probatur primo in hunc modum, si arteriæ dilatarentur à propria firmitudine, non autem à facultate, sequeretur inde unam dilatationem non posse fieri majorem alia; sed semper in eodem statu permanere: sed hoc dicere est contra experientiam, ergo, &c. Probatur sequella, quia cum firmitudo arteriæ eadem sit, necessario omnes dilatationes essent æqualis magnitudinis, sed hoc est falsum, cum experiamur calore adaucto majorem feri dilatationem, & magis adhuc adaucto, maximam, igitur falsum quoque erit dicere dilatationem à propria firmitudine procedere, non vero à facultate. Idem collige de compressione. Probatur secundo, ea quæ sunt facta à natura propter aliquem usum, ab aliqua facultate procedunt, sed dilatatio, & compressio in pulsu sunt facta propter aliquem usum, igitur necessario à facultate procedere debent: probatur minor, quoniam usus dilatationis est, ut attrahatur aer per artèrias, qui calorem refrigeret, ventillet, & materiam tribuat gignendis spiritibus: usus vero compressionis est, ut fuliginosa excrementa expurgentur, ergo, &c.

Ex his apertum manet, quid sit respondendum ad rationes pro contraria parte positas: Ad rationem enim primæ opinionis respondemus, motum pulsus similem esse motui qui in respiratione accidit, negamus tamen compressionem thoracis à sola gravitate fieri, cùm potius fiat à facultate musculorum ipsius, quamvis juvetur aliquo modo a gravitate thoracis. Ad confirmationem ex Galeno desumptam dicimus, ipsum voluisse significare gravitatem thoracis maxime juvare ad ejus compressionem, non autem ab illa sola fieri. Neque ratio pro secunda opinione tradita aliquid concludit, nam maxime dispar est ratio in rebus viventibus, & non viventibus: nam in viventibus tàm ad dilatationem, quàm ad compressionem est necessaria facultas: at vero in non viventibus, ad solam compressionem, cùm postea dilatatio à sola partium firmitudine fiat. Hæc de prima dubitationis parte.

Jam ad secundum dubitationis partem accedentes, majorem difficultatem videtur obtinere utrum quietes pulsus procedant à facultate pulsatili per aliquam ejus actionem positivam. Et ratio dubitandi est, quoniam quies est privatio motus, ergo non potest procedere per se ab aliqua causa positiva, & ex consequenti non fiet à facultate.

Hoc tamen non obstante, opposi-

tam

tam ſententiam veriorem eſſe exiſtimamus, quæ colligi videtur ex ijs, quæ docuit Gal. 1. de motu muſc. cap. 8. & lib. de tremore, rigore, & palpit. in quibus locis docet, quod quieſcere eſt agere: ergo idem dicendum eſt de quietibus pulſus. Quam ſententiam probat Gal. poſito diſcrimine inter agere, & movere: aliud enim, inquit. eſſe agere: aliud vero movere, avis namque, quæ in aere ſtat non mutans locum, æquidem agit, non tamen movetur; idem quoque accidit quando habemus bracchium diſtentum, & rigidum ſine loci mutatione, nam tunc facultas operatur muſculis diſtentis, quamvis non moveatur. Ex doctrina, itaque Gal. ad motum requiritur actio, ad actionem vero non requiritur motus, atque ita facultas vitalis poteſt operare quieſcente membro, & ex conſequenti quietem fieri à facultate. Probatur deinde ratione, cor, & arteriæ non ſemper æqualiter quieſcunt, ſed aliquando magis, aliquando minus, igitur concedenda eſt aliqua facultas, quæ parum aut multum detineat pulſum in quiete.

Ad rationem dubitandi reſpondemus quietem pulſus dupliciter conſiderari, uno modo quatenus privatio quædam eſt præcedentis motus: alio modo ſumitur poſitive, prout idem eſt, quod eſſe aut detineri in loco, & in hac ultima ſignificatione, quamvis quies ſit ceſſatio motus, habet tamen conjunctam actionem poſitivam facultatis vitalis, & in hoc ſenſu dixit Ariſt. t. naturam eſſe principium motus, & quietis.

Sed adverſus propoſitam doctrinam urget argumentum in hunc modum: actio non poteſt eſſe ſine mutatione, ſed quando quieſcit arteria ibi nulla eſt mutatio, ergo neque actio, & ex conſequenti quies non fiet à facultate: major propoſitio patet ex Ariſtotele 3. Phyſic. cap. 3. ubi docet, actionem, & mutationem identificari ſecundum rem: minor vero probatur, quoniam quando arteria detinetur in quiete eodem modo ſe habet ac antea, ergo non mutatur. Huic, argumento varij varie reſpondent: nos tamen reſpondemus negantes primam propoſitionem, quod ſcilicet non reperiatur actio ſine mutatione, hæc namque propoſitio in rigore loquendo falſa eſt, quoniam conſervatio eſt actio, & tamen multoties fit ſine mutatione ſubjecti, ut apparet in aere illuminato: lumen enim conſervatur per continuam actionem luminoſi, & tamen nulla eſt in aere mutatio, cum aer non ſe habeat aliter, quam prius in alio tempore illuminationis, neque aliter, quam in primo inſtanti; conſtat igitur, non omnem actionem eſſe mutationem. Vnde in quietibus cordis, & arteriarum proprie loquendo eſt actio, quæ eſt conſervatio à facultate vitali, cùm eſſe ibi tanquam in loco ſit quidam effectus realis dependens à facultate in eſſe, & in conſervari,

DV-

DVDITATIO QVARTA.

Vtrum quietes sint partes pulsus, & ab eadem fiant facultate à qua fiunt motus.

Circa primam hujus dubitationis partem fere omnium opinio tenet, quietes non esse partes essentiales pulsus, sed potius accidentales: quam sententiam probant prius quam plurimis auctoritatibus ex varijs Gal. locis de promptis, ac præcipue ex loco quodam qui legitur 1. de dignosc. cap. 10. ubi adhunc modum scribit. *Quæ de pulsus partibus principibus dicenda erant fere jam percurrimus: nam duæ quæ reliquæ sunt per accidens potius, non proprie nec per se partes pulsus sunt, arteriæ externa, & interna quies.* Ex quo loco colligunt, quietes partes esse accidentales pulsus, non vero essentiales. Deinde id probant hac ratione, si quietes essent partes essentiales pulsus sequeretur nullum pulsum reperiri posse sine illis, sed in pulsu dicroto nulla quies reperitur, igitur quietes non erunt partes essentiales, & per se pulsus. Secunda ratio, si quietes essent partes pulsus definiretur per illas, sed solum definitur per motus; non vero per quietes ergo quietes, non erunt partes pulsus.

Nos autem ut nostram proponamus sententiam advertere prius debemus, dubitationem non procedere de quietibus prout dicunt privationem motuum, in hoc namque; sensu non possunt esse partes alicujus compositi, cùm nihil sint: sed potius de quietibus prout dicunt arterias esse in loco, & ibi detineri, ac quiescere. Advertendum etiam est, tunc dici quietes esse partes accidentales quando solum deserviunt ad discontinuandos motus contrarios: tunc vero dici esse partes per se, & essentiales, quando intenduntur à natura non solum propter dictam causam, sed propter aliquem usum aut finem determinatum. Animadvertendum tandem est, Gal. agere de dilatatione, & compressione tanquam de partibus essentialibus, & principalioribus pulsus, ita ut si aliquis pulsus reperiatur, qui magnam habeat compressionem non appellatur magnus, nisi simul etiam dilatationem habeat magnam.

Quibus ita positis, decidenda est proposita dubitatio, si dicamus, quietes non esse partes accidentales pulsus, sed potius per se, & essentiales. Probatur hæc sententia in hunc modum: quietes fiunt à facultate operante propter eundem finem atque motus, igitur non fiunt ob discontinuandos motus contrarios, & ex consequenti erunt partes essentiales, probatur antecedens, quemadmodum dilatatio fit propter refrigerationem, & ventillationem caloris nativi, ita etiam quies externa: & quemadmodum compressio fit propter fuliginosorum excrementorum expulsionem, ita, & interna quies, ergo sicuti dilatatio, & compressio sunt partes essentiales pulsus, sic similiter

liter quies interna, & externa erunt partes eſſentiales ipſius. Probatur ſecundo, ſi quietes fierent propter diſcontinuandos motus contrarios ſemper eodem modo ſe haberent, & non eſſent majores in uno tempore, in alio vero minores, ſed hæ quietes variantur pro varia neceſsitate; finis ipſius pulſus, ita ut quanto major eſt neceſsitas refrigerationis cordis, tanto magis duret arteria in quiete externa; & quanto major eſt neceſsitas expellendi fuligines, tanto magis duret arteria in quiete interna, igitur aſſerendum erit hanc varietatem eſſentialiter procedere à facultate operante propter eundem finem.

Reliquum modo eſt, ut oppoſitas objectiones diluamus: primo etenim ad locum Gal. reſpondemus, quod quando dixit, quietes eſſe partes per accidens pulſus, per illud verbum, peraccidens, non intelligit prout ex adverſo opponitur illi, quod eſt per ſe, ſed prout opponitur illi, quod eſt per ſe, ſed prout opponitur illi, quod eſt primo, atque ita quietes partes erunt eſſentiales pulſus, non primariæ ſicuti motus, ſed potius ſecundariæ, cùm quietes in pulſu ſequantur ad ipſos motus contrarios. Ad primam rationem dicimus, minorem eſſe falſam, nam licet in pulſo dicroto quietes non multo tempore durent, ſed in inſtanti fiant, proinde in omnibus differentijs pulſuum reperirentur: nam ad hoc ut quietes ipſos motus ſequantur, ſufficit ut arteria ſit in loco, modo ſit in inſtanti, modo vero in tempore. Vltimæ rationi reſpondemus, quod quamvis quietes in definitione pulſus explicite non explicentur, implicite tamen continentur ſub dilatatione, & compreſſione, cùm neceſſario inter duos motus contrarios duæ etiam quietes contrariæ intercedere debeant. Atque hæc de prima hujus dubitationis parte.

Secunda hujus dubitationis pars erat, utrum, ſuppoſito quod quietes ſint partes eſſentiales pulſus fiant ab eademmet facultate à qua fiunt motus. Hercules Saxonia Profeſſor Patavinus, quemadmodum conſtituit duas facultates, unam ad dilatationem efficiendam, alteram ad compreſsionem: ſic ſimiliter duas alias facultates ſtatuit, unam ad quietem externam, aliam vero ad internam; & licet hanc ſententiam adducat, eam tamen non probat: nihilominus tamen poteſt in hunc modum comprobari; quemadmodum, ex omnium ſententia, conſtituitur facultas retentrix ad retinendum alimentum in ſuo debito loco partibus appllicatum: eodem etiam modo conſtitui debent facultates determinatæ ad quietes cordis, & arteriarum efficiendas; probatur paritas, quoniam dilatatione arteriarum vitales ſpiritus partibus applicantur ut alimenta attracta ad bonum partium, ergo neceſſario debet dari aliqua facultas, quæ arterias, & ſanguinem arterialem retineat, ſed facultas, quæ dilatationem, & compreſsionem efficit, id non valet efficere, cùm ſit per ſe loco motiva, igitur neceſſario ſtatuendæ ſunt aliæ facul-

cul-

cultas ad quietes efficiendas.

His tamen non obſtantibus exiſtimamus nos, quietes in pulſu fieri ab eademmet facultate à qua fiunt motus, quoniam cùm quietes in pulſu fiant propter eundem finem propter quem fiant motus, conſequens eſt ut ab eademmet facultate procedant: ratio hujus rei eſt, quia quando aliquid ex neceſsitate naturæ ad bonum illius conſequitur; neceſſarium non eſt ſtatuere peculiarem facultatem ad talem effectum, jam enim natura modum adinvenit, quo talis effectus reſultaret: nam quemadmodum ad lævitatem producendam nullam aliã ſtatuimus facultatem præter calefactivam, propter nullam aliam cauſam niſi quia lævitas naturaliter conſequitur ad calorem; pari etiam ratione, cum ad pulſum efficiendum duo motus debeant præcedere, qui contrarij ſunt, dilatatio ſcilicet, & compreſsio, & inter hos duos motus naturaliter, & ex neceſsitate duæ quietes debeant intercedere, & ad ipſos conſequi, proprerea fit ut ad has quietes efficiendas non ſit neceſſaria nova facultas, cùm eadem facultas, quæ dilatationem, & contractionem efficit, ipſamet in pulſu quietem internam, & externam efficere valeat.

Ad rationem dubitandi reſpondemus, maxime diſparem eſſe rationem inter facultatem retentricem alimenti, & quietes pulſus, modus enim operandi diſsimilis eſt: nam nutrito requirit alimentum adhærens, & diu quietum in parte ut poſsit in ſui ſubſtantiam convertere, propter quam cauſam opus fuit facultate retentrice, quæ ſi non retineret alimentum abſque dubio periret animal nutrimenti defectu; at vero in pulſu, diverſo modo accidit, nam finis naturæ eſt conſervare facultatem vitalem, quæ duplici medio ſervatur, aeris ſcilicet attractione, & fuliginum expulſione, quæ duo cum velociter debeant fieri ne accendatur animal aut ſuffocetur, neceſſarius fuit duplex motus, dilatatio ſcilicet, & compreſſio, & ex conſequenti duæ mediæ quietes. Vnde non eſt idem objectum facultatis retentricis, & quietis arteriarum: nam quo magis facultas retentrix retinet alimentum, eo melius in ſubſtantiam partium convertitur: at ſi facultas, quæ quieſcere facit arterias duraret aliqua quiete, haud dubie fruſtraretur ejus finis, nam vel ſuffocaretur animal, aut accenderetur. Hæc ſufficiant de hac 2. hujus dubitationis parte.

DVBITATIO QVINTA.

Vtrum quietes in pulſu fiant ob eoſdem fines ob quos fiunt motus.

DIctum fuit in ſuperioribus, finem dilatationis eſſe ut refrigeretur calor mediante illa, aere ſcilicet frigido attracto: nam per dilatationem cavitates majores fiunt, & ita conſecutione ad id quod evacuatur aer frigidus ſuccedit: media vero compreſsione minores redduntur illæ cavitates, & ita aer intromittur.

Quæritur itaque modo, num quietes in pulsu, quæ ad ipsos motus sequuntur habeant eundem finem ac ipsi motus. Cui dubitationi respondemus, quietes in pulsu factas esse à natura ob eosdem fines ac usus propter quos facti sunt motus: nam quemadmodum dilatatio fit ob caloris attemperationem, ita quies externa propter eundem usum est facta; & sicuti compresio facta est ad fuliginum expulsionem, ita etiam quies interna ad expellendas fuligines est facta. Probatur hæc conclusio in hunc modum, quietes sunt partes per se, & essentiales pulsus, quemadmodum motus, ut superius dicebamus, ergo necessario debent habere eundem finem totalem, & adæquatum ac ipsi motus. Probatur secundo, quietes satisfaciunt usui quemadmodum motus celer, & magnus, igitur sunt factæ à natura propter eosdem usus propter quos facti sunt motus. Probatur antecedens ex Gal. qui inquit, quod quando magnitudo, & celeritas non possunt usui satisfacere, tunc natura minores efficit quietes ut satisfaciant usui, igitur quietes ob eosdem usus sunt factæ à natura, ac ipsi motus.

Sed pro adversa parte, aliqua urgent argumenta, primum desumptum est, ex loco quodam Gal. qui legitur 3. de præsag. ex pulf. cap. 2. prope finem, ubi sic habet. *Calor, qui diversus est à nativo brevem habet internam quietem celeriorem autem contractionem, quam proportionem dilatationis.* Ex quo loco sic construunt argumentum: si quies interna esset facta propter fulgines expellendas sequeretur usu isto adaucto quietem debere esse tardam, sed hoc dicere est contra Gal. ergo, &c. Probatur sequella, per talem quietem multo magis expelluntur fuligines, quam per brevem, igitur quies interna non erit facta propter eundem finem, ac compresio, nam ut docet Gal. compresio est celeris, & quies brevis. Huic argumento respondemus, locum illum Gal. male conversum fuisse ab Interpretibus, præterquam ab Antonio Musa, qui hoc advertit: debet enim legi, brevem habet externam quietem, ita ut sit hic sensus, quod quando urget usus expellendarum fuliginum, tunc compresio est celeris, & quies externa brevis: arteria enim, quam brevissime detinetur post dilatationem, quia properat ad expellendum, sicque nihil sequitur contra Gal. doctrinam, nam hoc casu quies interna non ita brevis est, ut iddem et docet. 3. de præsag. ex pulf. cap. 7.

Secundum argumentum probat, quietem externam non habere eundem usum, quem habet dilatatio: est autem hujusmodi; dilatatione attrahitur aer frigidus ne detur vacuum, sed in quiete externa non potest fieri talis attractio, igitur non habet eundem usum ac dilatatio: probatur minor, ideo attrahitur aer frigidus media dilatatione, quia cavitates arteriarum ampliores fiunt, sed quando quiescunt arteriæ non fiunt ampliores cavitates, igitur non attrahitur aer.

Ref-

Respondemus, quod licet per quietem externam non attrahatur aer, non propterea colligendum est quietem non habere eundem finem ac habet motus, quoniam finis dilatationis non est attrahere aerem, sed potius calorem conservare, quod fit media aeris attractione, qui finis perficitur etiam ab externa quiete, cum mediante ipsa perficiatur usus dilatationis, caloris scilicet nativi attemperatio: nam per hanc quietem externam impeditur ne statim succedat compresio, & aer frigidus attractus statim expellatur, sicque eundem usum habet ac ipsa dilatatio.

Tertium argumentum est, ideo media compresione expelluntur fuligines ne dentur duo corpora in eodem loco, sed hæc causa non reperitur in quiete interna ergo nó erit facta ob eundem finem ac ipsa compresio; probatur minor, quia in quiete interna locus fuliginis expulsæ occupatus est ab ipsa arteria jam compressa, aut à corde, ergo, &c. Huic argumento respondemus, in quiete interna non expeli fuligines propter motum arteriæ, sed à naturali facultate expultrice, quæ arterijs in est ad expellendum id quod molæstum est, non secus ac in reliquis nostri corporis partibus.

DVBITATIO SEXTA.

De proportione, & disconvenientia quæ reperitur inter pulsum, & respirationem: & motum cerebri.

CIrca primum dicimus cum Gal. lib. de usu puls. & libr. de utii-lit. resp. pulsum, & respirationem convenire in modo operandi, & in usu: distingui vero in instrumentis, & facultate, conveniunt quidem in modo operandi, quoniam quemadmodum pulsus dilatatione, & compresione constat, ita etiam respiratio ex inspiratione, & expiratione est composita; & sicuti pulsus duabus intercipitur quietibus, interna scilicet, & externa: ita etiam respiratio ex duplici quiete componitur, una interna, quæ præcedit thoracis dilatationem, & alia externa, quæ præcedit compresionem. In usu quoque conveniunt, nam eodem modo quo in pulsu per dilatationem attrahitur aer: etiam per inspirationem attrahitur aer ad pulmonem, & ibi ejus frigiditas quodam modo obtunditur, deinde vero ad sinistrum cordis ventriculum defertur, quo tempore calor cordis ejus aeris qualitate refrigeratur, & veluti per compresionem fuliginosa excrementa expurgantur, à singulis partibus, corporis relicta, sic similiter per compresionem fuligines cordis, & pulmonis foras expelluntur. Conveniunt itidem quia sicuti finis pulsus est, ut conservetur calor, & spiritus generentur, ita etiam hic idem est usus respirationis.

Discrepant vero pulsus, & respiratio facultate, quia pulsus fit à facultate vitali, respiratio vero ab animali; præterea pulsus actio naturalis est, respiratio vero voluntaria, ut ostendit Gal. 2. de motu muscul. exemplo servi barbari, qui cohibita respiratione seipsum inter fecit: &

nos quoque idem experimur, nam quando volumus, eam sistere possumus, & in aliam differentiam mutare, ut si nobis libuerit eam reddere possumus magnam vel parvam, celerem vel tardam, frequentem vel raram; diverso autem modo se habet in pulsu, hic enim motus non pendet à voluntate, sed potius naturalis est. Distinguuntur etiam quia quamvis idem sit usus utriusque, non tamen eisdem partibus, usum præbent respiratio etenim calorem cordis conservat, pulsus vero aliarum corporis partium. Discrepant quoque ratione instrumentorum, quoniam respirationis instrumenta sunt musculi moventes thoracem, septum transversum, & tracchiam arteriam pulsus vero instrumenta sunt arteriæ, & cor.

Sed objicies, si pulsus, & respiratio fierent à natura propter eundem finem, sequeretur, æque esse necessaria ad vitam, sed hoc est falsum, quoniam videmus nullum vivere sine respiratione, nisi saltim brevissimo tempore: multæ vero partes vivunt sine pulsu religatis arterijs, ergo pulsus, & respiratio non fiunt à natura propter eundem finem. Respondemus, quod quamvis pulsus, & respiratio sint facta propter eundem finem, non tamen sunt propter eandem partem: nam respiratio immediate est propter cor, & propter reliquas corporis partes conservandas cum autem cor viscus sit ita calidissimum, nullo tempore potest esse sine respiratione, statim enim inflammaretur, vel à copia fuliginum obrueretur; quod non ita se habet in alijs partibus propter earum calorem remissum, atque ita fit ut respiratio non possit deficere: pulsus vero non ita, sicque respiratio est magis necessaria. Hæc doctrina Gal. est 1. de difficult. resp. cap. 4. & lib. de usu pulf. cap. 2. Hoc autem non est ita intelligendum ut dicamus pulsum primum cordis esse minus necessarium, quam respirationem, sed potius comparationem facimus ipsius respirationis cum pulsibus aliarum partium minus principalium, & hoc modo dicimus respirationem esse magis necessariam.

Accedentes ad secundam hujus dubitationis partem, dicimus, pulsum, & motum cerebri in aliquo convenire, & in aliquo etiam differre; conveniunt quidem, quoniam uterque motus compositus est ex dilatatione, & compressione, & uterque media dilatatione attrahit, & media compressione expellit. Conveniunt etiam, quia sicuti cor pulsat, ita etiã cerebrum; quod vero cerebrũ pulset, patet; quoniam pulsus fit in corde propter generationem spirituum, animalium, sed hij spiritus in cerebro generantur, ergo cerebrum necessario pulsabit. Distinguuntur autem hij duo motus, quod motus cordis fiat à facultate vitali: motus vero cerebri à propria, ac insita sibi facultate. Discrepant etiam quod motus cordis est manifestus, cerebri vero motus est occultus.

Sed dubium maxime videtur, qua ratione cerebrum media dilatatione attrahat, & media compressione

ex-

expellat, cum contrarium videatur ſcribere Gal. lib. de inſtr. odorat. cap. 4. ubi tradens diſcrimen inter hos duos motus; docet in hoc diſtingui, quod cor dilatatione attrahat, & compreſsione expellat: at vero cerebrum, è contra dilatatione expellit, compreſsione vero attrahit. Huic dubio varij varia reſpondent: Alij enim dicunt hunc locum eſſe depravatum; Alij vero aliter reſpondent. Nos autem pro exacta illius explanatione advertere prius debemus: cerebrum per duas partes attrahere, & expellere, nimirum per nares, & per ſuturas: quando cerebrum attrahit per nares id præſtat media dilatatione, media vero compreſsione expellit, quemadmodum cor, quia tunc capacitas, quæ reperitur inter cranium, & cerebrum redditur minor dilatatis ventriculis cerebri propter attractionem; quando vero cerebrum attrahit per ſuturas id efficit media compreſsione, media vero dilatatione expellit per nares, ne ſcilicet detur vacuum, quia tunc temporis capacitas illa major redditur compreſsis cerebri ventriculis. Quo poſito dicimus, locum Gal. non eſſe depravatum, intelligendumque eſſe in hoc ultimo ſenſu, non vero de illa atractione quæ fit per nares. Atque hæc de præfatione ſint dicta.

DE PRÆSTANTIA ARTERIARUM CARPI IN pulſu dignoſcendo.

CAPVT PRIMVM.

¶ *Quæ intereſt Tyronum (chariſſime Teuthra) de pulſibus noſſe, his exponam: eorum autem alibi habes totam artem traditam.*

EXPLANATIO.

POſtquam præfati ſumus aliqua, quæ maxime erant neceſſaria ad Galeni contextum commodius intelligendum: accedere jam oportet ad primum hujus lib. caput explanandum, quod veluti quoddam procemium eſt futuræ diſputationis, in quo tria præſtat Gal. quæ fundamenta ſunt totius tractationis. In prima parte, rationem reddit ſui inſtitui docens ſe tradere hoc libello talem de pulſibus cognitionem, qualem opus eſt ut cognoſcant Tyrones ſivè initiati in quorum gratiam hunc librum conſcripſit: nam totam artem de pulſibus tradidit in magno illo, ac vaſto opere ſexdecim libris conſtituto, quod, caput Tyronum excedere videtur. Hunc tamen librum diviſit Gal. in duas partes, in quarum prima differentias pulſuum adducit, in alia vero eorundem cauſas per-

persequitur.

¶ *Igitur omnes inter se arteriæ, & cor habet eandem pulsandi rationem: quemobrem ex earum una colligere de omnibus pssis, &c.*

In secunda hujus capitis parte, axiomma quoddam proponit Gal. ad futuram disputationem maxime necessarium, dicens, omnes inter se arterias, & cor eandem pulsandi rationem obtinere: & quo colligit, ex motu unius arteriæ posse ferri judicium de omnibus, neque immerito, cum omnes à facultate cordis pulsatilli moveantur. Animadvertit autem Gal. quod licet omnes arteriæ similem motum inter se servent, hic tamen motus non æqualiter in omnibus arterijs percipitur, in quibusdam namque manifestò percipitur motus, veluti apparet in illis arterijs, quæ carne sunt denudatæ, ac destitutæ, quales sunt, quæ in carpo, vel tarso, vel temporibus reperiuntur: in alijs obscure ad modum percipitur, ut in illis, quæ per partes carnosas extenduntur, quales sunt arteriæ, quæ per brachia, & tibias deferuntur: in alijs tandem omnino motus non percipitur ob triplicem causam, vel quia multa carne obteguntur, vel quia infra ossa inseruntur, vel quia alijs corporibus subjacent; hoc autem intelligendum est, inquit Gal. dum valet animal, & secundum naturam se habet, quoniam si corpus maxime fuerit absumptum, vel extenuatum, ut apparet in his, qui tabe laborant, tunc motus arteriarum conspicitur in quibusdam partibus non solum ad tractum, sed etiam ad visum, & si antea nullo modo appareret, quod præcipue accidit in abdomine, in regione scilicet ventriculi ubi motus arteriæ magnæ manifesto percipitur, adeo, ut multos decipiat hic motus existimantes motum esse præternaturam ventriculi factum à flatulenta substantia exitum quærente.

¶ *At semper arteriæ temporum, ac pedum secundum plantas, manuum in carparum seu brachialium parte interna, illustrem motum habent, &c.*

In tertia tandem, & ultima capitis parte docet Gal. ut Medici eas pertractent arterias, quæ illustrem habent motum, quales sunt arteriæ temporum, arteriæ pedum secundum plantas, & præcipue arteriæ quæ sunt in carpis manuum in parte scilicet interna ad radicem pollicis juxta os, quod in dicta parte reperitur, hæc namque promptius, honestius, ac commodius contractari possunt, promptius quidem, quoniam tales arteriæ carne sunt destitutæ: honestius, quia non oportet aliquam corporis partem detegere ad eas contractandas, commodius vero, quia secundum rectitudinem sunt locatæ, hoc est, rectiorem, longioremque situm obtinent, quam aliæ arteriæ, quæ in alijs partibus reperiuntur, quod maxime necessarium est ad pulsuum dignotionem. Atque hæc sunt quæ pertinent ad hujus capitis explanationem.

DV-

DVBITATIO VNICA.

Vtrum corde dilatato arteriæ simul dilatentur, & eodem compresso comprimantur.

EX axiommate tradito in secunda parte capitis ortum duxit hæc dubitatio, quæ diu multumque exagitata fuit inter veteres Medicos, tum etiam, & recentiores, referente Gal. 3. de præsag. ex pulſ. cap. 3. & 4. de different. pulſ. cap. 6. Quæritur itaque utrum arteriæ simul, & eodem tempore moveantur cum corde, ita ut ipso dilatato dilatentur arteriæ; & ipso itidem compresso comprimantur. Imprimis ex veteribus Medicis Erasistratus, ut ex varijs Gal. locis colligitur, in eam ductus fuit sententiam, ut existimet, arterias proinde dilatari, quia aere implentur, non autem æqualem motum inter se servare, quoniam prius dilatari, asserit, illas arterias, quæ sunt juxta cor, postea vero illas, quæ magis distant à corde: ex quo falso fundamento opinatus fuit, contrarium esse cordis & arteriarum motum, ita ut corde dilatato artetiæ comprimantur, ipso autem compresso dilatentur. Hanc sententiam sequutus fuit Avicena, & aliqui etiam ex recentioribus: quam probant aliquibus rationibus; prima est, cor, & arteriæ media dilatatione attrahunt, & recipiunt, media vero compressione expellunt, & & in omnem partem transmittunt, sed si quando arteriæ dilatantur dilatarentur etiam, & cor, maxime impediretur attractio, ergo non eodem tempore dilatantur.

Secunda ratio, quando cor comprimitur, sanguinem arterialem, & spiritus vitales transmittit ad arterias, ergo tunc temporis necessario debent dilatari arteriæ ut id recipiant ab ipso corde; sic similiter quando arteriæ comprimuntur, aerem mittunt ad cor, igitur tunc necessario debet dilatari cor ut illum recipiat, & ex consequenti, cor, & arteriæ non eodem tempore dilatabuntur neque eodem tempore comprimentur. Tertia ratio desumpta est ex usu valuularum, nam valuulæ, quæ sunt in corde hunc usum præstant, ut impediant, quo minus substantia semel à corde attracta, per compresſionem statim foras mittatur, sed si corde dilatato dilatarentur arteriæ, & eodem compresso comprimerentur nullus esset usus valuularum, ergo, &c. Vltima ratio est, Gal. 3. de cauſ. sympt. docente, distributionem alimenti actionem esse compositam ex parte attrahente, & ex parte expellente, sed delatio sanguinis per arterias est alimenti destributio, igitur erit actio composita ex corde expellente media compresſione, & ex arterijs attrahentibus mendia dilatatione, & per consequens necessario eo tempore quo cor comprimitur debent dilatari arteriæ.

Ex veteribus quoque fuerunt aliqui qui contrariam tuentur sententiam: Erophilus namque existimavit omnes arterias simul cum corde dila-

dilatari, & comprimi, nam ſicut arteriæ accipiunt à corde pulſandi facultatem, ſic ſimiliter eundem pulſandi modum obtinent cum ipſo. Hanc ſententiam ſecutus fuit Gal. 4. de different. pulſ. cap. 6. reprehendens Eraſiſtrati opinionem idem etiam præſtat. 3. de præſag. ex pulſ. cap. 3. & 5. de uſu part. cap. 2. quibus in locis Erophili ſententiam amplectitur, eamque experimento, & ratione confirmat; experimentum eſt hujuſmodi, quoniam ſi quis in homine ſano, & bene ſe habente alteram manum pectori admoveat, aliam vero carpo, percipiet haud dubie ſimul, & eodem tempore dilatari, & comprimi cor, & arterias, lib. etiam 7. de anotom. adminiſt. c. 6. inquit, ſe vidiſſe in animali vivo diſſecto cor, & arterias uno, & eodem tempore dilatari ac comprimi. Ratione itidem confirmat ſuam ſententiam Gal. quoniam facultas pulſatilis non agit cum ratione, cùm naturalis ſit, & cordi inſita, ſed ſi hæc facultas prius cor, quam arterias dilataret, ageret cum ratione, & non eſſet naturalis ergo ſimul, & eodem tempore has duas partes dilatabit, & comprimet.

Nos autem, ut noſtram ſententiam proponamus, ſupponere prius debemus, in corde duos ventriculos repereri alium dextrum, alium vero ſiniſtrum, in ventriculo dextro major copia reperitur ſanguinis arterialis, quam ſpiritus vitalis: in ſiniſtro vero, e contra major copia ſpiritus, quam ſanguinis continetur. Sciendum etiam eſt in quolibet horum ventriculorum duo reperiri vaſa, unum ingrediens, alterum vero egrediens: in dextro ventriculo ingreditur vena cava deferens ſanguinem venalem: egreditur vero ex ipſo vena arterialis deferens ſanguinem arterialem, & ſpiritus vitales ad nutriendos pulmones: In ſiniſtro etiam ventriculo ingreditur arteria venalis per quam defertur tenujor pars ſanguinis ut ibi præparetur ad ſpiritus vitales generandos: egreditur vero arteria magna deferens ſecum ſanguinem arterialem, & ſpiritus vitales ad nutriendas corporis partes.

Supponendum tandem eſt, in quolibet horum vaſorum orificio tres membranulas tenuiſsimas reperiri valuulas dictas, præterquam in orificio arteriæ venalis, in quo duo tantum valuulæ reperiuntur; factæ autem ſunt a natura dictæ valuulæ, ut eorum vaſorum orificia claudant, ne ſcilicet ſemel expulſa materia à corde, iterum ad cor ipſum retrocedat; & ne quoque ingreſſa ſemel materia, iterum ex ipſo refluat. Vnde factum fuit ut harum valuularum ſitus, diverſus maxime exiſtat: namque in vena cava, & arteria venali, per quæ aliquid attrahitur a corde media dilatatione, valuulæ illæ foris intro vergunt, ne, quod ſemel attractum eſt à corde, ex ipſo iterum refluat; in vena vero arteriali, & arteria magna per quæ aliquid expellitur à corde media compreſsione, valuulæ illæ intus foras vergunt, ne quod ſemel eſt expulſum, ad cor iterum retromeet.

Quibus ita præmonitis, dicimus veram

veram esse Gal. sententiam existimantis, cor, & arterias simul, & eodem tempore dilatari, & comprimi. Quæ itidem aliquibus rationibus potest confirmari. Prima ratio desumpta est ex Vallesio in hunc modum: quemadmodum quando cor dilatatur attrahit, & quando comprimitur expellit, ita etiam arteriæ: igitur quando cor dilatatur, necessario arteriæ debent dilatari, & quando comprimitur, comprimi: alias enim, quod prius ad arterias confluxerat, iterum refluet ad cor; probatur consequentia, una, & eadem facultas, uno, & eodem tempore, unico in fluxu non potest esse causa motuum contrariorum, sed facultas pulsatilis cordis, & arteriarum una, & eadem est, & unico influxu influit ad cor, & ad arterias, dilatatio vero, & compresio sunt motus contrarij, igitur uno, & eodem tempore non poterit esse causa dilatationis in corde, & compresionis, in arterijs, & ex consequenti cor, & arteriæ simul, & eodem tempore dilatantur, & eodem etiam comprimuntur. Secunda ratio, ille motus est idem, qui eandem habet efficientem, & finalem causam, sed eadem est facultas pulsatilis cordis, & arteriarum, & idem finis, nutritio scilicet, caloris attemperatio, & fuliginum expurgatio, ergo, &c. Tertia ratio est, quando cor dilatatur simul etiam dilatatur arteria venalis per quam attrahit cor aerem ex pulmone, igitur reliquæ arteriæ etiam debent dilatari, nam nulla est major ratio, cur arteria venalis dilatetur corde dilatato, & non dilatentur etiam aliæ arteriæ, cùm ab una, & eadem facultate naturali, uno, & eodem modo perpetuo operante, & propter eundem finem omnes arteriæ moveantur.

His ita constitutis, facile, erit objectis in contrariam partem satisfacere. Ad primam rationem dicimus, quod licet cor, & arteriæ eodem tempore dilatentur, & comprimantur, non proinde sequi, earum attractionem impediri: cor enim, & arteriæ non per eandem partem attrahunt, nam cor attrahit ex vena arteriali, & ex vena cava, arteriæ vero ex habitu corporis, & alijs partibus. Secundæ rationi respondemus, quod licet quando cor comprimitur expellat, & arteriæ debeant recipere illius fulgines; istæ tamen arteriæ non in totum comprimuntur, ideoque locus remanet ad earum fulginum expulsionem. Ad tertiam rationem dicimus, non propterea frustrari usum valuularum licet eodem tempore cor, & arteriæ dilatentur, & comprimantur, quoniam arteriæ non in totum clauduntur quando comprimuntur. Vltimæ rationi respondemus, destributionem alimenti ex corde non fieri necessario compresso corde, & dilatatis arterijs, quoniam arteriæ non solum ex corde replentur, sed ex venis etiam, & vicinis partibus, proptereaque, quod in alijs partibus fit, id in cordis actione non est necessarium.

DE PRÆCEPTIS OBSERVANDIS in tangendo pulſu.

QVia plures ſolent contingere errores in contractandis arterijs ad differentias pulſuum dignoſcendas, propterea non inutile viſum fuit, priuſquam de illis agamus, aliqua præcepta ſeu obſervationes in medium adducere, ut Tyrones, facilius ac commodius ad differentias pulſuum dignoſcendas accere valeant. Quædam autem ex his præceptis pertinent ad Medicum: alia vero ad ægrotum. Imprimis ex parte Medici multa ſunt obſervanda: primum eſt: ut omnes pulſuum differentias ad unguem agnoſcat, & in omnibus recte ſe excerceat, ut in curatione poſſit rectum de unaquaque differentia judicium facere. Secundo obſervare debet Medicus, ut cujuſvis hominis ſani proprias, ac familiares pulſuum differentias agnoſcat, ut poſtea quando ægrotat, facile receſſum judicet: ſi autem naturalem pulſuum cujuſcumque cognoſcere non poſsit, debet ſibi Medicus ſtatuere pulſuum naturalem, & mediocrem cujus comparatione reliquæ differentiæ omnia ſubeant docente Gal. 2. de dignoſ. pulſ. c. 3. Tertio obſervare debet Medicus, ut illius manus ſit temperata, mollis, & ab omni ſorditie libera, atque optimo ſenſu prædita: & ut tribus ſummis digitis arteriam contractet; non quidem extrema digitorum parte, quæ proxima eſt unguibus, ſed poſtrema digitorum pulpa, cui parti, inter reliquas omnes, exquiſitiſsimus ſenſus a natura tributus eſt.

Quarto obſervandum eſt, ut ne ſtatim ac Medicus ad ægrum accedit, ipſius pulſum tangat, ſed prius cum ipſo aliquo temporis ſpatio alloquatur, donec liber maneat æger ab omni animi pathemate, quod ex adventu Medici ſolet accidere. Quinto debet Medicus obſervare, ne diutius immoretur circa arteriæ contractationem in tangendo pulſu, ne forſan deterreantur ægrotantes, & adſtantes, etiam, exiſtimantes magnum aliquod malum in pulſu obſervari à Medico: tum etiam in mulieribus propter verecundiam, & æſtimationem. Tandem obſervandum eſt, ut Medicus non uno eodemque modo digitos applicet ad differentias pulſuum dignoſcendas: triplex namque eſt modus applicandi manus arterijs docente Gal. 1. de dignoſ. pulſ. cap. 7. Primus eſt quando manus veluti ſuſpenſa eſt ita ut nihil arteriam comprimat, ſed ſolam ejus ſuperficiem, qui modus languido pulſui, & celeri debetur, tum etiam, & quieti externæ dignoſcendæ. Secundus modus eſt, quando ſcilicet firmiter arteriam comprimimus; qui maxime utilis eſt ad tangendum pulſum vehementer durum, & magnum. Tertius tandem modus eſt, quando ſcilicet medio modo tangimus arteriam, ita ut nec firmiter eam comprimamus, nec manum ſuſpenſam habeamus, ſed mediocri quadam aſtrictione, & hic modus maxime proprius eſt ad differen-

ferentias pulſuum dignoſcendas in hominibus ſecundum naturam ſe habentibus.

Ex partibus etiam ægroti aliqua ſunt obſervanda: primo, ut liber ſit æger ab omni animi pathæmate, vel à qualibet alia re externa quæ pulſum mutare valeat. Secundo obſervandum eſt; ut brachium ægroti non ſit ſublatum nec depreſſum, & omni motu ſit liberum, & ſolutum, atque naturalem ſitum retineat, ſub media ſcilicet figura, quæ non dolorifica appellatur a Galeno 2. de motu muſcul. qualis eſt, quæ obſervatur in mediocri brachij curbatione. Deinde nó ſolum brachium mediam figuram ſervare debet, ſed etiam manus ipſa ita ut nec prona ſit in volam, nec reſupina: alias enim contorquebitur arteria, & tactus falletur. Præterea digiti ægrotantis mediam etiam figuram debent obtinere, neque ſint nimis extenſi, aut nimis curvi. Rurſus manus ipſius non debet eſſe ſuſpenſa, ſed manu Medici ſiniſtra ſublevari debet, aut ſupra aliquid eam collocare: nam ſi æger eam cum labore ſuſtineat poterit quidem aliqua pulſus immutatio evenire. Hæc de præceptis obſervandis in tangendo pulſu.

DE DIFFERENTIIS PULSUM, QUÆ EX quantitate motus deſumuntur.

CAPVT SECVNDVM.

¶ *Diſtendi arteria tangenti videbitur tibi in omnem dimenſionem, &c.*

Accedit jam Gal. hoc 2. capite, ad inquirendas pulſuum differentias, prætermittit, vero eorum dignotionem, ex eo quod Tyronum captum ſuperat: nos autem, quia ejus mentem interpretamur; aliqua etiam de dignotione pulſuum adducemus, quo dilucidior noſtra diſputatio evadat. Gal. itaque 1. de different. pulſ. cap. 3. varia adducit genera ex quibus pulſuum differentiæ deſumuntur genera autem, vocat communitates in quibus conveniunt omnia, quæ in diſputatione de pulſibus pertractantur, & aliquo modo poſſunt pulſum variare: quo fit, ut genera pulſuum ab eorundem differentijs in eo differant, quod genera ſint communitates, ex quibus differentiæ pulſuum deſumuntur: differentiæ vero, circa quas varij pulſus à ſe invicem diſtinguuntur. Septem autem ſunt genera, ex quibus naſcuntur pulſuum differentiæ: ex quantitate ſcilicet motus, & fit pulſus magnus vel parvus: ex qualitate motus, & naſcitur pulſus celer vel tardus: ex qualitate ictus, & fit pulſus vehemens vel languidus: ex qualitate corporis arteriæ, & fit durus vel mollis:

ex tempore quietis, ex quo nascitur pulsus frequens vel rarus: sed præter has simplices differentias, sunt etiam, & aliæ duæ compositæ, quarum alia nascitur ex proportione, quæ reperitur inter dilatationem, & compressionem, & nascitur pulsus rhythmus Græce dictus: alia vero desumitur ex æqualitate vel inæqualitate: ordine vel ordinis perturbatione, unde fit pulsus æqualis vel inæqualis: ordinatus vel inordinatus; dicuntur vero hæ duæ differentiæ, compositæ, quia non in una pulsatione, sed in pluribus ad invicem comparatis constituuntur.

Sed objicies, præter differentias pulsuum à Galeno traditas, datur etiam, & alia differentia nempe plenus, & vacuus, igitur diminutus fuit Gal. in assignandis pulsuum differentijs: probatur antecedens, quia quemadmodum in arteria reperitur durities, & mollities: ita etiam in ea, cavitas reperitur, sed ex duritie vel mollitiæ arteriæ nascitur pulsus durus vel mollis, igitur ex ejus cavitate, pulsus plenus vel vocuus consurget. Huic objectioni respondemus, pulsum plenum non distingui à magno, & vacuum sub parvo contineri, ut docet Gal. 3. de differ. puls. cap. 6. quoniam tunc dicitur pulsus magnus, quando arteria est plena, parvus vero, quando arteria est vacua.

Objicies secundo, Gal. 1. ad Glauco, cap. 5. docet, in tertiana exquisita reperiri pulsus magnos; vehementes, & calidos: ergo dabitur alia differentia pulsus præter dictas. Probatur consequentia; ex duritie, & mollitie arteriarum, quæ earum sunt affectiones assignatur à Galeno peculiaris pulsus differentia, igitur ex caliditate, & frigiditate, quæ sunt etiam earum affectiones nascetur quoque alia pulsus differentia ab alijs omnibus distincta, & ex consequenti, diminute processit Gal. in tradendis pulsuum differentijs. Respondemus, & in primis ad locum Gal. dicimus, per illam particulam *calidos*, intelligere Gal. magnum esse calorem arteriarum in tertiana exquisita, non vero peculiarem pulsus differentiam constituere. Ad confirmationem respondemus, falsam esse paritatem, quoniam durities, & mollities peculiarem habent modum afficiendi pulpam digiti, & non possunt percipi absque arteriæ motu: caliditas vero, & frigiditas arteriæ non habent peculiarem modum afficiendi pulpam digiti, & citra motum arteriæ percipiuntur, proindeque peculiarem pulsus differentiam non constituunt.

Quibus ita positis, ad Galeni contextum accedamus, proponit hoc capite Galen. differentias pulsuum, quæ ex quantitate dilatationis desumuntur, docens, arterias, non secus, ac alia corpora, tres obtinere dimensiones, longitudinem scilicet, latitudinem, & profunditatem, quarum dilatatio in trinam dimensionem circa quantitatem debet fieri, ex qua triplici dimensione, tres differentiæ pulsus oriuntur, longus scilicet, latus, & altus, seù profundus, quæ differentiæ tàm in dilatatione, quam in compres-

preſsione percipiuntur. Quo loco obſervare oportet, Galen. ſolum tradere hoc capite differentias quæ ex trina dimenſione dilatationis petuntur, quoniam quando dilatatur arteria movetur in trinam dimenſionem, quemadmodum quando comprimitur; differentias vero, quæ ex quantitate compreſsionis deſumuntur prætermiſsit hoc loco, quia illarum cognitio maxime difficilis eſt, & captui Tyronum non eſt accommodata: non autem quod omnino ſit imperceptibilis, ut falſo aliqui ex veteribus exiſtimarunt, dicentes, nos ſolum arteriarum ictum percipere, dilatationem vero, & compreſsionem prorſus eſſe incognitam; hoc autem falſum eſt, namque in dilatatione arteriæ, tum etiam, & in compreſſione duæ partes reperiuntur, prima ſcilicet, & ultima; prior pars dilatationis ea dicitur cùm a centro, & à parte interiori incipit moveri arteria: ultima vero, quando finitur, & terminatur dilatatio in circumferentia, & arteria ad extremam ſuperficiem pervenit. & tactui noſtro ſeſe offert; ita etiam in compreſsione, prior pars dicitur, quando arteria eſt in externa ſuperficie: nam ſtatim poſt quietem externam incipit comprimi arteria in parte poſteriori: ultima vero dicitur, quando finitur arteria in parte interiori, ſive in centro. Verum quidem eſt, ex his partibus, primam dilatationis, & ultimam compreſsionis nequaquam poſſe percipi tactu, quoniam tactus pervenire non poteſt ad centrum uſque arteriæ in compreſſione: optime vero percipiuntur ultima pars dilatationis, & prima compreſsionis, quia tunc arteriæ juxta circumferentiam, ſivè externam partem reperitur.

Hoc poſito, ex triplici dimenſione, quæ in ſecunda dilatationis parte reperitur, novem conſurgunt ſimplices pulſuum differentiæ: nam vel quælibet ex his dimenſionibus eſt moderata, vel immoderata. rurſus ſi immoderata, vel excedit in qualibet harum dimenſionem, vel deficit: unde ex longitudine dilatationis tres naſcuntur pulſus differentiæ, longus ſcilicet, brevis, aut mediocris: ex latitudine etiam, aliæ tres, latus, anguſtus, aut mediocris: ſimiliter ex profunditate, altus ſcilicet, humiliis, aut mediocris. Hæ autem novem ſimplices pulſuum differentiæ vario modo ſolent interſe ſe complicari, ita ut viginti ſeptem differentiæ compoſitæ conſurgant, quas hoc loco Gal. brevitati ſtudens, prætermiſsit; eas vero tradidit 1. lib. de different. pulſ. cap. 4. ſubſequenti tabella. Et imprimis longus pulſus cum lato, & alto ad hunc modum complicatur.

1	Longus	Latus	Altus
2	Longus	Latus	Moderatus
3	Longus	Latus	Humilis
4	Longus	Moderatus	Altus
5	Longus	Moderatus	Moderatus
6	Longus	Moderatus	Humilis
7	Longus	Anguſtus	Altus
8	Longus	Anguſtus	Moderatus
9	Longus	Auguſtus	Humilis

Pul-

Pulsus etiam latus cum longo, & alto ijsdemmet differetijs complicatur, sic.

10	Latus	Longus	Altus
11	Latus	Longus	Moderatus
12	Latus	Longus	Humilis
13	Latus	Moderatus	Altus
14	Latus	Moderatus	Moderatus
15	Latus	Moderatus	Humilis
16	Latus	Brevis	Altus
17	Latus	Brevis	Moderatus
18	Latus	Brevis	Humilis

Eodem etiã modo complicatur pulsus altus cũ lato, & longo, in hunc modũ.

19	Altus	Latus	Longus
20	Altus	Latus	Moderatus
21	Altus	Latus	Brevis
22	Altus	Moderatus	Longus
23	Altus	Moderatus	Moderatus
24	Altus	Moderatus	Brebis
25	Altus	Angustus	Longus
26	Altus	Angustus	Moderatus
27	Altus	Angustus	Brevis

Ex his differentijs compositis solæ tres, nomen proprium obtinent: nam pulsus longus, latus, & altus seù profundus, magnus apqellatur: qui moderate se habet in trinam demensionem dicitur medicris: qui vero est angustus, brevis, & humilis, parvus dicitur. Pulsus magnus dicitur, quando arteria in trinam dimensionem dilatur, parvus, quando arteria in trina illa dimensione imminuitur: mediocris vero, in quo medio modo se habet arteria, ita ut nec multum augeatur, neque imminuatur valde in trina illa dimensione.

Sed non erit extra rem, aliqua adducere ad dignoscendas has pulsuum differentias. Prius tamen supponere oportet, pulsuum dignotionem adeo esse difficillimam, ut ad illam tota vita sit necessaria, docente Gal. 1. de dignos. puls. cap. 1. est autem valde difficilis ob quatuor causas: primò, quia nullus ex Philosophis, nec Medicis antiquis de hac materia aliquid scripsit, nisi solus Archigenes, & hic satis debiliter, ut refert Gal. 4. de dignos. puls. cap. 2. Secundò, quia opus est tactu exercitatissimo, ad quod requiritur tempus longum, & magna, ac continua diligentia. Tercìo valde est difficilis pulsuum dignotio, quia aliqua externa figura caremus mediante qua illos dignoscamus, quemadmodum faciunt Astrologi suas sphæras mobiles correspondentes motibus cœlestibus. Quartò, & ult. difficilis est pulsuum cognitio, quia, ut docet Gal. 2. de dignos. puls. cap. 2. non possumus invenire unam solam differentiam pulsus, & ab alijs sejunctam, quoniam semper alijs differentijs conjungitur, quæ cognitionem obscurant, adeo ut non valeamus naturam uniuscujusque differentiæ dignoscere.

Quo supposito, videamus qua ratione cognoscantur hæ pulsuum differentiæ, ad quarum cognitionem, me-

memoria ſervare debemus pulſum naturalem, ad cujus comparationem, magnus vel parvus pulſus dicatur: per pulſum vero naturalem intelligere poſſumus pulſum hominis ægrotantis quando ſanus erat: vel pulſum medium in ſpecie humana, quoniam ſi lapſum cujuſcumque hominis morboſi menſuremus, id facimus facta comparatione ad naturam ejuſdem hominis quando ſanus erat: quod ſi exprimere vellimus differentias pulſuum, quæ reperiuntur in homine, degente adhuc intra limites ſanitatis, debet fieri comparatio ad pulſum hominis temperati, qui medius dicitur in ſpecie humana.

Pulſus igitur magnus, ut docet Gal. 3. de dignoſ. pulſ. cap. 2. in hunc modum cognoſcetur, quando ſcilicet percipimus tactu arteriam in plures partes diſtendi: parvus vero, quando in exiguas partes, comparatione ſemper facta ad pulſum naturalem. Cum autem pulſus magnus conſtet longitudine, latitudine, & profunditate, hæ tres dimenſiones non omnino, & perfecte poſſunt à nobis dignoſci: neque enim tota longitudo, neque latitudo, neque profunditas dilatationis arteriarum percipi poteſt tactu, quoniam arteriæ, carne vel adipe coopertæ ſunt, ut videre licet in arterijs carpi, quæ ſolum in magnitudine trium digitorum poſſunt tangi, proindeque longitudo maxime eſt occulta, qua à parte inferiori, & ſuperiori tegitur arteria. Latitudo quoque, maxima ex parte obſcuratur, quia anguſtatur arteria à corporibus latera opprimentibus. Profunditas vero aliquantulum impeditur à cute, quæ intercedit.

Cognoſcitur itaque longitudo impulſu, levi manus applicatione, ex pulſatione, quæ percipitur per quatuor digitos: brevitas vero, ex pulſatione ad unum tantum digitum accedente, vel ad duos. Latitudo, majori cum difficultate cognoſcitur, media ſcilicet manus applicatione, nempe quando arteria per plures partes digitorum percipitur, ita ut plene veluti omnes adimpleat digitos: anguſtus, contrario modo cognoſcitur, quando ſcilicet aſtrictior, nec per totum ſpatium arteria perſentitur in digito. Tandem profunditatis ſeu altitudinis dignotio, omnium eſt difficillima, ad quam cognoſcendam, ratio adjungenda eſt, nempe ſi metiamur longitudinem ſpatij à centro arteriæ ad circunferentiam, id autem cognoſcetur, ut obſervavit Gal. 2. de dignoſ. pulſ. conſiderando, an arteria tactui ſeſe offerat gibboſa, an vero plana; nam arteria, quæ gibboſa eſt, in ea, magna eſt altitudo pulſus quæ vero plana eſt, in ea non eſt altus pulſus, ſed humilis.

DE

DE DIFFERENTIIS PULSUUM DESUMPTIS EX qualitate motus, qualitate ictus, & qualitate corporis arteriæ.

CAPVT TERTIVM.

¶ *Proprie ad motum pertinent celeritas, & tarditas: quarum hæc motus est exolutus illa incitatus. De his faciendum judicium ex comparatione naturalis pulsus est, &c.*

HOc caput in tres dividitur partes, in quarum prima agit Gal. de differentijs pulsuum quæ ex qualitate motus desumuntur: in secunda de differentijs pulsuum ex qualitate ictus petitis: in tertia, & ultima parte disputat de differentijs desumptis ex qualitate corporis à teriæ. Accedentes igitur ad primam contextus partem, tradit Gal. differentias pulsuum, quæ ex motus qualitate petuntur, ex qua ortum ducunt tres differentiæ, pulsus scilicet celer, tardus, & mediocris: pulsus celer ille dicitur, in quo arteria celeriter, & concitate movetur: tardus, in quo arteria remisse, & exolute movetur; mediocris vero, in quo, medio modo se habet arteria in utroque motu, ita ut nec valde celeriter, nec multum exolute moveatur arteria, sed moderate. Multo autem melius explicavit Gal. 2. de dignos. puls. cap. 1. & Aristot. 6. Physic. naturam motus celeris, & tardi, dicentes, celeritatem, & tarditatem positam esse in proportione temporis cum spatio per quod fit motus. Vnde celerem motum, eum esse dicunt, qui breviori tempore æquale spatium percurrit, vel qui æquali tempore majus pertransit spatium: tardum vero, qui longiori tempore minus spatium percurrit. Quo circa, pulsus celer ille dicetur, in quo arteria breviori tempore æquale spatium percurrit, vel in quo arteria æquali tempore majus spatium pertransit, è contra vero, pulsus tardus erit ille, in quo arteria longiori tempore æquale spatium, vel æquali tempore minus spatium percurrit.

Cæterum, quia valde difficile videtur cognoscere proportionem, quæ reperitur inter tempus, & spatium per quod fit motus, docente Gal. 4. de dignos. puls. cap. 1. propterea ex alio capite erit desumenda pulsus celeris, & tardi natura, ex impetu scilicet, & exolutione ipsius arteriæ quando movetur: nam si ipsam arteriam magno cum impetu moveri perceperimus, talem pulsum, celerem esse judicabimus: quod si arteriæ mo-

motus omnino fuerit exolutus, & tardus, talis pulsus tardus appellabitur. Id autem eleganti similitudine explicat Galen. loco citato, in hunc modum. Quando duo homines currunt, illum celerius moveri judicabimus, qui majori cum impetu movetur: cum vero tardius, qui minori cum impetu, & magis remisse moveri conspiciemus. Ex his constat, facilem esse dignotionem pulsus celeris, & tardi cognita eorum natura, animadvertentes, comparationem semper esse faciendam cum pulsu naturali, & levi manus applicatione ipsam arteriam pertractantes: hac enim ratione, optime impetum, aut remissionem arteriæ percipiemus.

¶ *In qualitate occursus vehementia consistit, & remissio, vehementia quidem, cum violenter tactus impellitur: cùm debiliter, remissio, &c.*

In secunda contextus parte agit Gal. de differentijs pulsuum, quæ ex qualitate ictus desumuntur. In qualitate occursus sivè ictus, vel reperitur vehementia, vel remissio sivè longor: unde ortum ducunt duæ differentiæ pulsuum, vehemens scilicet, & languidus, qui etiam imbecilis, debilis, sivè remissus appellatur, pulsus vehemens est ille, qui violenter ferit, & impellit ipsum tactum: languidus vero, qui tactui remisse imbecilliter, & citra violentiam occurrit. Cognoscemus vero pulsum vehementem, si arteriam ipsam firmiter compresserimus, quoniam cùm vehemens pulsus fiat à facultate robusta, & tangentis manum violenter impellat, quo magis arteria comprimetur, eo magis tactum ipsum evertet, & vehementius percipietur: non tamen hæc compressio modum excedere debet, quoniam si plus, quam par sit arteriam compresserimus, omnino ejus motum obscurabimus, vixque ulla pulsatio percipietur; at vero pulsus languidus, veluti palpando cognoscetur, namque cùm hic pulsus à facultate languida, & imbecilla proveniat, si arteria comprimatur, omnino ejus motus obscurabitur, sensumque prorsus effugiet, adeo, ut si quis, leviter esse tangendum hunc pulsum ignoret, fortasse homini, abolitum esse pulsum docet, docente Gal. 1. de dignos. puls. cap. 5.

¶ *Mollitudo autem, & durities sunt tunicæ arteriæ qualitates: mollitudo, cùm arteria quasi carnosior in occursu apparet: durities, ubi veluti siccior rigidiorque in modum corij, &c.*

In tertia parte capitis adducit Galen. differentias pulsuum, quæ ex qualitate corporis arteriæ ortum ducunt. Ex corpore itaque arteriæ tres differentiæ pulsus nascuntur, durus scilicet, mollis, & mediocris: pulsus durus ille dicitur, in quo arteria veluti siccior rigidiorque ad corij consistentiam quodammodo accedens, sese offert tactui: mollis vero dicitur, in quo arteria quasi carnosior tactui occurrit: mediocris autem dicitur, in quo arteria medio modo tactui sese offert; quemadmodum autem quodlibet corpus externum, durius seipso potest reddi, vel à siccitate absumptum, ut accidit in cor-

poribus ſiccis, quæ dura tanguntur: vel à frigiditate concreſcens, ut aqua à frigore: vel quia aliqua ſubſtantia repletum diſtenditur, ut uter aqua plenus ſic ſimiliter his omnibus modis poteſt fieri pulſus durus, propter tenſionem ſcilicet arteriæ, ut apparet in inflamationibus: vel propter ejus maximam exicationem, ut in febre hectica, & maraſmo; vel tandem ob arteriæ refrigerationem, ut in maximo frigore conſpicimus, in quo partes extremæ, valde offenduntur. Cognoſcemus pulſum durum, & mollem, ni hunc modum: nam durus tactum ipſum excavat: mollis vero à tactu excavatur: manus vero palpando admovenda eſt, ut dignoſcere poſsimus quo modo tactus noſter exavetur ab arteria.

¶ *Atque hæc quidem etiam differentia pulſuum una ſtatim cum arteria motu percipitur, &c.*

In calce tandem capitis diſcrimen tradit Gal. inter differentias pulſuum adnumeratas: nam licet durities, & mollities in pulſu, ſimul cum motu arteriæ percipiantur: non tamen ſunt differentiæ propriæ motuum, ſed celeritas, & torditas, vehementia, & langor, magnitudo, & parvitas, ſunt differentiæ propriæ admotum ſpectantes: nam celeritas, & tarditas, ad qualitatem motus: vehementia, & langor, ad qualitatem ictus: magnitudo, & parvitas, ad quantitatem dilatationis pertinent.

Sed quoniam ſupra dictæ pulſuum differentiæ maximam ſimilitudinem videntur obtinere interſe ſe proinde videndum eſt, in quo affinitatem ſervent, & in quo etiam diſcrepent. Imprimis pulſus magnus ſimilis eſt pulſui vehementi, quoniam cùm in pulſu magno arteria in trinam dimenſionem dilatetur, vehementem pulſum videtur efficere; diſtinguuntur vero, quoniam in pulſu magno illa triplex dimenſio adaucta tactu percipitur, at in pulſu vehementi, arteriæ tantum ictus, & ejus validus occurſus perſentitur. Deinde pulſus celer, maxime ſimilis eſt pulſui vehementi, quoniam in pulſu celeri, maximo cum impetu movetur arteria, ſicque fere idem videtur cum illo; diſcrepant autem; quoniam pulſus celer non impellit tactum violenter, ſicuti pulſus vehemens; diſtinguuntur etiam, quia licet pulſus celer aliquando vehementiam oſtendat, eam tamen non obtinet ex ſua natura, ſed quia conjungitur cum pulſu magno, ut experientia quotidie demonſtrat in letargo, in quo pulſus celer reperitur, ſed quia conjungitur cum pulſu magno, vehemens videtur, cum tamen vehemens non ſit, ſed potius languidus, cùm in lethargo, facultas ſit imbecilla.

Tandem de pulſu duro major eſt difficultas, cùm maxima intercedat ſimilitudo cum vehementi, nam ſicuti pulſus vehemens, tangentis manum impellit, eodem modo pulſus durus, cùm tangentis manum excavet, eam itidem propellere videtur. Diſtinguuntur vero, propoſito exemplo à rebus externis deſumpto, docente Gal. 4. de dignoſ. pulſ. cap. 1. nam

in

in rebus externis, vehementia, & durities invenitur ſicque duri dicuntur lapides, ferrum, ligna, &c. quia tangenti non cedunt: non tamen ipſa, tactum evertunt violenter; tauri vero irati, vehementes dicuntur, venti etiam, & fluvij quando violenter evertunt in motu, quod ſibi apponitur. Ex quibus, facile deprehendetur, diſcrimen, quod intercedit inter pulſum durum, & vehementem: nam pulſus vehemens debet propellere violenter digitos arteriam tangentis, ita ut veluti cogat, manum ſurſum moveri: pulſus vero durus, tangentis digitos excavat dum arteria movetur, & formam in ipſis impreſſam relinquit, non tamen impellit, nec loco violenter dimoveri cogit digitos arteriam tangentis. Hæc ſunt quæ pertinent ad hujus capitis explanationem.

DVBITATIO VNICA.

Vtrum inter pulſum vehementem, & languidum detur pulſus medius.

EX doctrina tradita in ſecunda contextus parte, ortum ducit dubitatio, qua quæritur, utrum inter pulſum vehementem, & languidum, medius pulſus intercedat: quoniam, cùm Gal. inter alias omnes differentias, pulſum medium adnumeraverit, & inter vehementem, & languidum nullum medium pulſum aſsignet, propterea merito orta fuit hæc dubitatio. Pro exacta autem ejus intelligentia ſupponere oportet, dubitationem procedere de pulſu medio naturali: nam, quod inter pulſum vehementem, & langidum, pulſus medius præternaturam intercedat, nulla eſt dubitatio, cùm unum extremum ex his, ſit ſecundum naturam, nempe vehemens, qui perpetuo provenit à facultate robuſta: aliud vero, ſit præternaturam, pulſus ſcilicet languidus, qui ſemper à facultate imbecilla ortum ducit.

Supponendum etiam eſt, pulſum vehementem, & languidum duobus modis poſſe conſiderari, vel prout in ipſis ſolam facultatem conſideramus, vel ſolum arteriæ ictum: ſi in pulſu vehementi, & languido, ſolam facultatem conſideremus, neceſſario inter ipſos, nullus medius pulſus intercedet, quia quo magis arteria robuſta eſt, eo robuſtiorem, ac vehementiorem pulſum efficiet; at vero, ſi ſolum ictum arteriæ conſideremus, inter eos, pulſus medius reperietur: ratio hujus rei eſt, quia, ut ex pulſu vehementi languidus fiat, opus neceſſario eſt, ut per medium pulſum tranſeat, qui, neque vehemens ſit, neque languidus. Cæterum, ſi exacte loqui vellimus, hic pulſus, qui inter hos reperitur, medius dici non poteſt, quia medius pulſus neceſſario debet eſſe ſecundum naturam, hic vero pulſus non omnino eſt ſecundum naturam, cùm facultas vitalis maxime ſit reddita imbecilla, ita Gal. 1. de præſag. ex pulſ. cap. 7. quo in loco, hanc diſſolvit quæſtionem.

His ita poſitis, ſit concluſio, inter pulſum vehementem, & languidum

nullus medius pulsus naturalis intercedit. Quæ sententia Galen. est loco citato, eamque hac firmissima ratione demonstrat: pulsus vehemens perpetuo à facultate robusta ortum ducit, & quanto facultas robustior erit, tanto pulsus vehementior, & magis secundum naturam dicetur: pulsus vero languidus a facultate imbecilla provenit, igitur nullus pulsus vehemens, præternaturam esse poterit, & per consequens inter pulsum vehementem, & languidum nullus medius pulsus intercedet, cum pulsus medius necessario debeat reperiri inter duo extrema, quæ præternaturam sint, ut æqualiter ex eis participet.

Sed contra dicta, aliqua urgent argumenta: primum desumptum ex Gal. cap. 8. hujus lib. ubi docet, in omnibus pulsuum differentijs medium pulsum reperiri, præterquam inter æqualem, & inæqualem, ordinatum, & inordinatum, igitur ex his verbis manifeste colligitur inter pulsum vehementem, & languidum, medium pulsum reperiri. Respondemus, Gal. loco citato non loqui de pulsu vehementi, & languido quatenus in eis solam facultatem consideramus: nam, ut sic, nullus medius pulsus intercedit, ut ipsemet docet 1. de præsag. ex puls. cap. 7. Sed potius, loquitur quatenus in eis solum arteriæ ictum consideramus, inter quos, pulsus medius necessario reperitur.

Secundum argumentum depromptum est ex Medicis Galen. veteribus qui, ut ipse docet 1. de caus. puls. cap. 7. inter pulsum vehementem, & languidum, medium pulsum statuebant, est autem hujusmodi. Omnis pulsus naturalis, est, qui reperitur in homine temperato libero ab omni mutatione animi aut corporis, sed datur pulsus vehementior hoc pulsu vehementi, qui in homine temperato reperitur, igitur dabitur pulsus medius vehemens naturalis, & alius vehementior præternaturam, & per consequens, inter vehementem, & languidum medius pulsus reperietur. Probatur minor, si homo temperatus, subito irascatur, aut plus justo se exerceat, aut immodice vinum bibat, in hoc quidem homine fiet pulsus vehementior, & erit præternaturam, cùm fiat à causa præternaturam: igitur pulsus ille, qui reperietur in homine temperato, ab omni exercitio libero, vini potione, aut ira, medius erit inter languidum, & vehementem pulsum productum ab ira, vel exercitatione, vel nimia vini potione, quia neque omnino languidus est, neque ita vehemens, ac is pulsus ab ira, vel exercitatione causatus. Hoc argumentum probatur à Vallesio 3. lib. controvers. cap. 11. quo in loco, horum Medicorum sententiam sequutus est; additque, pulsum, non solum posse reddi vehementiorem ab his causis naturalibus, sed ab aliqua etiam causa præternaturam, veluti à calore febris diariæ: unde colligit, posse aliquem gradum vehementiæ fieri præternaturam in ipso pulsu. Huic argumento respondemus, nullum dari pulsum vehementem præternaturam. namque licet homo tempera-

pera-

peratus plus justo se exerceat, irascatur, vel innebrietur, & in illo, pulsus vehementior appareat horum ratione: re vera tamen non erit vehementior, quoniam facultas per iram, vel exercitationem non redditur robustior, sed illa vehementia, quæ propter dictas causas in pulsu apparere videtur, potius fiet à facultate excitata à re quapiam molesta, non autem à facultate robustiori reddita. Ad Vallesium vero dicimus, in homine temperato, febri diaria correptore vera pulsum vehementiorem non esse: apparere tamen vehementiorem, quia mutatur ad magnitudinem, celeritatem, & frequentiam. Quare concludendum erit, inter pulsum vehementem, & languidum nullum medium pulsum naturalem intercedere. Sed satis sint de hac dubitatione.

DE DIFFERENTISS PULSUM, EX TEMPORE quietis ortis.

CAPVT QVARTVM.

¶ *Quintam aliam in ictuum intervallo: nam ita Medici solent interpositum tempus inter duos ictus, quo distenditur contrahitque arteria, appellare, &c.*

TRadit jam Gal. differntias pulsuum, quæ ex quietis tempore desumuntur: nomine vero quietis intelligit Gal. simul cum Agatyno, & alijs veteribus Medicis, totum illud spatium sive intervallum, quod inter duos ictus seù percusiones intercedit; ex quo intervallo seù quiete; tres differentiæ pulsuum ortum ducunt: pulsus scilicet frequens, rarus, & inter hos medius: pulsus frequens dicitur, in quo, intervalli aut quietis tempus breve est: rarus, in quo, quietis tempus longum est: medius vero, qui medio modo se habet; dicitur vero quietis tempus longum aut breve, facta comparatione ad pulsum naturalem.

Cæterum, cùm in unoquoque pulsu, duplex quies reperiatur, una interna, quæ dicitur spatium in quo quiescit arteria post ipsam compressionem priusquam dilatationem incipiat: alia vero externa, quæ est spatium temporis in quo quiescit arteria post dilatationem priusquam compresionem aggrediatur: ex unaquaque harum quietum tres differentiæ pulsuum ortum ducunt: nam ex quiete externa, nascitur pulsus frequens, rarus, & medius: pulsus frequens dicitur, in quo arteria parum post dilatationem detinetur: rarus, in quo arteria multum post dilatationem quiescit: medius vero, in quo arteria medio modo se habet in raritate, & frequentia. Tres itidem ex quiete interna desumuntur pulsuum dif-

differentiæ, frequens scilicet, in quo arteria parum post compressionem detinetur: rarus, in quo arteria multum post compressionem quiescit; & medius, in quo arteria medio modo se habet in quiete. Ex quibus nascitur divisio pulsus frequentis, & rari, in simpliciter, & secundum quid: pulsus frequens simpliciter ille dicitur, in quo quietis tempus in utraque breve est: rarus vero simpliciter dicitur, in quo quietis tempus in utraque quiete, est longum; pulsus vero frequens secundum quid dicitur, qui in altera ex quietibus parum detinetur: sicuti rarus secundum, quid, qui in altera ex quietibus multum detinetur, & hic pulsus frequentius invenitur.

Sed maxime oportet animadvertere has differentias pulsuum, quæ ex quiete interna, & externa desumuntur, quoniam valde utiles sunt ad morborum dignotionem: namque pulsus frequens qui fit in quiete interna, in illis præcipue affectibus reperitur in quibus maxime urget usus refrigerationis, ut in febribus ardentibus quotidie experimur, in quibus, pulsus parum detinetur post ipsam compressionem, ut aer frigidus attrahatur, qui calorem febrilem quodammodo contemperet; & propter hanc causam dictum fuit à Galeno 1. de different. febr. in febribus diarijs, arterias parum in centro quiescere, hoc est in quiete interna, sive post ipsam compressionem, quoniam cùm in his febribus, solùm sit adauctus calor, solius dilatationis usus adaugetur, ut scilicet media dilatatione aere attracto calor febrilis attemperetur. At vero pulsus frequens qui in externa quiete accidit, in illis præcipue affectibus invenitur in quibus, usus expellendi fuligines maxime solicitat, ut in febribus putridis experimur, in quibus expulsio fuliginosorum excrementorum valde conducit: & propter hanc etiam causam dixit Gal. 2. de different. febr. ex compressionis celeritate dignoscendam esse febrem putrem, namque cùm in hac febre, plura colligantur excrementa, valde est adauctus usus compressionis, ut media ipsa fuligines expellantur, atque ita pulsus frequens statim fit in externa quiete, quoniam statim atque arteria dilatata est comprimitur, parum quiescens in circumferentia.

Modo autem non erit extra rem, distinctionem adducere; media qua pulsus frequens à celeri, & rarus à tardo discrepare videantur, cùm maximam videantur inter sese similitudinem obtinere; adeo, ut fere omnes Medici decipiantur in eorum dignotione. Distinguuntur autem, quoniam pulsus frequens, & rarus ratione temporis quietis tales appellantur: celer vero, & tardus, ratione temporis motus: id autem eleganti quadam similitudine explicat Gal. lib. de dignos. puls. Sint v. g. duo homines, quorum alter celeriter moveatur per aliquod spatium, multum tamen detineatur, & quiescant in termino ad quem: hic certe motus, dicetur celer, quia celeriter movetur,

non

non tamen dicitur frequens, ſed rarus, quia multum detinetur in quiete; alter vero homo tarde moveatur, & parum detineatur, & quieſcat in termino ad quem, hic motus, tardus dicetur, quia tarde movetur, non tamen rarus, ſed frequens, quia parum quieſcit. Pari etiam ratione poteſt arteria celeriter moveri, & multum detineri in quiete, tuncque naſcetur pulſus celer, & rarus: vel poteſt arteria tarde moveri, & parum detineri in quiete, & tunc fiet pulſus tardus ſimul, & frequens. Cæterum quia hæc ſigna difficile diſerni poſſunt, & captui Tyronum non ſunt accommodata, propterea alia nota erit adducenda media qua faciliùs, ac certiùs, hos pulſus diſtinguere valeamus: erit autem hujuſmodi, quod ſcilicet celeritas in pulſu neceſſario cum virium robore ſit conjuncta: frequentia vero minime, adeo, ut ſi colligat Medicus, in aliquo ægroto imbecillas eſſe vires ſeu languidas cûm apparientia celeritatis in pulſu, tunc neceſſario colligere debet, illam non eſſe celeritatem, ſed potiùs frequentiam, nam non adeſt virium robur, quod requiritur ad celeritatem in pulſu efficiendam; quod ſi, e contra accidat, contrarium colligere neceſſe eſt.

Ex dictis, facile erit intelligere, qua ratione diſtinguantur hæ pulſuum differentiæ, quorum dignotio tota poſita eſt in quietum cognitione; diverſo autem modo ſunt percipiendæ quietes in pulſu: nam, ut quies externa percipiatur, levi manus applicatione, ac veluti palpando pertractanda eſt arteria, quoniam ſi multum eam comprimamus, dilatationem obſcurabimus, ſicque arteria libere quieſcere non poterit; è contra vero interna quies, ut cognoſcatur, vehementer arteriam comprimere debemus, quia hæc quies percipienda eſt in duro arteriæ, ideoque valide comprimi debet, licet fere ſemper decipiamur in hujus quietis dignotione, cùm, ultima hujus quietis pars non poſsit dignoſci, ſicque exiſtimamus quieſcere arteriam in hac ultima parte, cum re vera moveatur.

DVBITATIO VNICA.

An pulſus ad tantam poſſit devenire frequentiam, ut alterutram quietem amittat.

CVi dubitationi breviter reſpondemus. pulſum nullatenus poſſe ad tantam frequentiam pervenire, ut alterutram quietem, nedum utramque omnino deperdat. Quæ ſententia Gal. eſt, 1. namque de differ. pulſ. cap. 7. docet, arteriam nunquam contrarium motum exordiri, quin prius finierit, ergo, &c. Idem etiam ſcribit Ariſtot. 8. Phyſic. cap. 8. ubi ex inſtituto oſtendit, inter duos motus contrarios neceſſario quietes medias reperiri, aliter enim contrarij non eſſent, ſed unus idemque motus continuus; ſequeretur etiam inde, ut in eodem inſtanti moveretur res duobus motibus contrarijs, quæ omnia ſunt abſurda, igitur pulſus nullatenus poterit ad tantam devenire frequentiam,

tiam, ut aliquam ex quietibus amittat.

Probatur deinde hæc sententia hac ratione in pulſu, perpetuo reperitur duplex motus contrarius dilatatio ſcilicet, & compreſsio, igitur perpetuo inter hos duos motus, duplex quies debet intercedere, interna ſcilicet, quæ ſequatur compreſsionem, & externa, quæ dilatationem conſequatur. Probatur conſequentia, arteria non poteſt perficere uſum compreſsionis, niſi quieſcat ante dilatationem, & ſit in termino ad quem, pariter etiam, neque poteſt uſum dilatationis finire, niſi quieſcat ante compreſsionem, cùm quietes propter eundem uſum ſint factæ à natura atque ipſi motus, igitur neceſſario inter hos duos motus, duæ quietes contrariæ intercedere debent.

Sed contra dicta objicit Valleſius 3. lib. contr. cap. 6. quo in loco contrariam ſententiam ſequutus eſt, poſſunt duo motus contrarij fieri ſine quiete intermedia, igitur poterit pulſus ad tantam frequentiam devenire ut aliqua ex quietibus omnino privetur: antecedens probat hoc exemplo. Supponamus, inquit, aliquem ſurſum lapillum proijcere, & interum dum aſcendit lapillus, ruat aliqua ingens turris, vel aliquod graviſsimum ſaxum, quod, lapillum aſcendentem cogat deorſum ferri: tunc ſane fiunt duo motus contrarij; lapidis ſcilicet aſcenſus, & deſcenſus abſque interventu quietis: nam impoſsibile eſt turrim quieſcere propter reſiſtentiam lapilli, cum ſint corpora valde diſparia in proportione, igitur fatendum neceſſario erit, hos duos motus contrarios, fieri ſine quite aliqua intermedia, & per conſequens pulſus poterit aliquando ad tantam frequentiam devenire, ut aliquam ex quietibus prorſus deperdat. Cui reſpondet noſter Ludovicus Colladus negando antecedens, cum omni Philoſophiæ reluctetur. Ad exemplum vero dicit, inter illos duos motus lapidis ſurſum, & deorſum, aliquam quietem reperiri, turris namque aliquo modo detinetur à lapillo ſurſum aſcendente, quoniam cùm turris non ſit virtutis, neque magnitudinis infinitæ, neceſſario aliqua proportio intercedet inter turrim, & lapillum; nam quemadmodum primo intuitu abſurdum videtur aſſerere duriſsimum ſaxum excavari à prima gutta aquæ, progreſſu tamen temporis, res ipſa docet, quod antea difficile videbatur, quamvis non impoſsibile: pari itidem ratione, licet turris graviſsima ſit, impoſsibile nobis videri non debet ut aliquo modo à lapillo, & ſi minimo, detineatur, & quietem faciat, quamvis hæc quies inſenſibilis ſit, & ſenſum noſtrum effugiat.

Sed adverſus hanc ſolutionem inſurgit Valleſius in hunc modum: ſi lapillus, motum ipſius turris interrumperet, ergo ſimiliter, & aer id præſtabit abſque lapillo, & ex conſequenti nullus dabitur motus, quin in infinitis quietibus interrumpatur, quoniam cùm aer, corpus ſit, in infinitum eſt diviſibile, ſed hoc dicere eſt abſurdum, ergo, &c. Reſpondet

Colla-

Colladus, maxime disparem esse rationem aeris, & lapilli ascendentis: nam lapilli resistentia multo major est, resistentia ipsius, aeris, lapis namque majorem resistentiam habet, quam aer, quia aer, quietus manet, lapillus vero movetur, & resistentia in lapide ascendente fit ab ipso impellente, at in aere, talis vis non reperitur: unde fit, ut lapillus posit resistere, ut quietem efficiat, insensibilem tamen: aer vero, & si resistat, quietem efficere non posit.

Secundo obijcit Vallesius auctoitate ex Galeno desumpta 1. de different. pulf. cap. 11. ubi affirmat, palsum dicrotum interna quiete destitui, sed in pulsu dicroto duo motus contrarij reperiuntur, igitur inter duos motus contrarios non debet necessario quies intercedere. Respondemus, Gal. loco citato loqui de quiete insensibili, atque ideo nihil mirum, si dixerit dicrotum pulsum interna quiete destitui: namque pari ratione 2. de caus. pulf. cap. 8. asserit, vermicantem pulsum quietem sensibilem deperdere. Sed de hac dubitatione, hæc sufficiant.

DE DIFFERENTIIS PULSUUM ORTIS ex æqualitate, & inæqualitate quæ in pulsibus reperitur.

CAPVT QVINTVM.

¶ *Æqualitas, & inæqualitas omnibus his differentijs accidunt. Nam continuata harum paritas, est æqualitas, &c.*

POstquam superioribus capitibus tradidit Gal. simplices omnes pulsuum differentias, quæ ex quantitate motus, qualitate motus, qualitate ictus, qualitate corporis arteriæ, & tempore quietis, desumuntur, jam hoc capite, compositas pulsuum differentias proponit quæ ex comparatione supradictarum differentiarum ortum ducunt; namque, cùm in prædictis differentijs reperiatur æqualitas, aut inæqualitas, ordo, aut ordinis perturbatio, & proportio inter dilatationem, & compresionem, ex his omnibus nascentur compositæ pulsuum differentiæ: hoc vero capite solum tradit Gal. differentias quæ ex æqualitate, & inæqualitate desumuntur. Omnis autem pulsus in universum, aut est æqualis, aut inæqualis: pulsus æqualis ille dicitur, in quo omnes pulsationes ordine se consequentes paritatem servant, ut si prima pulsatio sit magna, secunda etiam magna, tertia itidem, & reliquæ subsequentes: vel si prima sit vehemens,

ſecunda, tertia, & reliquæ omnes. Palſus inæqualis ille dicitur, in quo omnes pulſationes mutuo ſe ſubſequentes, æqualitatem non ſervant, ut ſi prima pulſatio, ſit magna, ſecunda mediocris, vel parva, &c.

Deinde æqualitas, vel inæqualitas quæ in pulſu accidit, duplex eſt, docente Gal. 1. de different. pulſ. cap. 10. aut enim fit in una pulſatione, quæ proprio nomine caret, & valde difficile cognoſcitur, de qua agit Gal. cap. 7. ſequenti: vel hæc æqualitas aut inæqualitas, in pluribus pulſationibus contingit, & hæc Græce, dicitur Syſtemmatica, Latine vero, collectiva, quæ facilius cognoſcitur, quam ſuperior. Rurſus pulſus æqualis aut inæqualis, æqualitate aut inæqualitate collectiva, duplex eſt, ſimpliciter, & ſecundum quid: pulſus æqualis æqualitate collectiva ſimpliciter ille dicitur, in quo in omnibus pulſationibus, & differentijs pulſuum æqualitas ſervatur, ut quando omnes pulſationes, v. g. non ſolum eandem differentiam magnitudinis ſervat, ſed etiam eandem magnitudinem pulſationis, ita ut ſecunda pulſatio tantam habeat magnitudinem; quanta eſt in prima; & tertia, quanta eſt in ſecunda, & ſic de reliquis: qui pulſus non poteſt amplius ſubdividi. Pulſus vero inæqualitate collectiva ſimpliciter ille dicitur, in quo non ſolum inæquales ſunt omnes differentiæ, ſed etiam omnes pulſationes, ut quando prima pulſatio, verbi gratia, eſt magna ut duo, ſecunda parva ut unum; tertia mediocris in magnitudine, &c. Et hic pulſus ſubdividitur amplius in ordinatum, & inordinatum, de quibus ſequenti cap. agit Gal. Eodem etiam modo pulſus æqualis æqualitate collectiva ſecundum, quid dicitur ille, in quo in omnibus differentijs pulſuum, aut in omnibus pulſationibus non ſervatur æqualitas, pulſus vero inæqualis inæqualitate collectiva ſecundum quid dicitur, in quo in pluribus pulſationibus ſervatur æqualitas, in una vero inæqualitas. Hic etiam pulſus ampliuus ſubdividitur: nam tot poſſunt eſſe ejus differentiæ, quot modis fieri poteſt inæqualitas ex parte ſupra dictarum differentiarum: namque alius eſt pulſus inæqualis in celeritate quando una pulſatio eſt celerior alia: alius, in magnitudine quando una pulſatio, eſt major altera, &c.

Præterea, pulſus inæqualis inæqualitate collectiva duplex eſt, æqualiter inæqualis, & inæqualiter inæqualis: pulſus æqualiter inæqualis eſt ille, qui in ſua inæqualitate aliquam ſervat æqualitatem, ita ut paulatim ſuam deperdat magnitudinem, & ad ſummam deſcendat parvitatem, ſicuti cauda muris, cum æqualitate tamen, ut ſi pulſus, ſit magnus in prima pulſatione, in ſecunda minor, in tertia vero minimus, & in reliquis etiam ſemper deperdat ſuam magnitudinem, & hic pulſus dicitur a Græcis, miurus, à nobis vero mutilus, & decurtatus; accidit autem aliquando, ut hic pulſus ad tantam parvitatem, & diminutionem deveniat, ut deficiat, & hic dicitur decurtatus deficiens;

ciens; quod si non deveniat ad tantam diminutionem; sed perseveret in illa postrema parvitate, hic nomine caret: qui amplius subdivitur, nam vel servat paritatem in ea parvitate quam acquisivit, vel augetur: si augeatur, vocatur decurtatus reciprocus, qui etiam varijs modis subdivitur docente Gal. 1. de diff. puls. c. 11. Pulsus inæqualiter inæqualis ille dicitur, qui in sua inæqualitate nullam servat æqualitatem, ut si prima pulsatio sit moderata, secunda minima, tertia parva, non tamen minima, quarta, & quinta minima, hic pulsus dicitur inæqualiter inæqualis in magnitudine: qui, duplex est, intercurrens scilicet, & intermittens: intercurrens dicitur, in quo inter duas pulsationes naturales una præternaturam reperitur, qui pulsus inæqualis est in frequentia, quoniam parum arteria quiescit, intermittens dicitur, in quo post aliquod temporis intervallum iterum movetur arteria, qui pulsus, inæqualis est in raritate, quia arteria multum detinetur in quiete; hic pulsus duplex est, reciprocus, & non reciprocus: reciprocus est, in quo etiam si arteria intermittat, postea tamen ad suum motum revertitur: non reciprocus vero est, in quo nullo modo revertitur arteria ad suum motum. Hæc de hoc capite.

DE DIFFERENTIIS PULSUUM QUÆ ex ordine, & ejus perturbatione desumuntur.

CAPVT SEXTVM.

¶ ***Nonnunquam etiam ordine quodam; certo ictuum numero pulsibus paribus unus intercurrit impar: quod multis modis fit, &c.***

MAgna est controversia inter Medicos de ordine, & ejus perturbatione, utrum in omnibus differentijs pulsuum posint reperiri: nam Franciscus Vallesius 3. controv. cap. 5. in eam ductus fuit sententiam, ut existimet ordinem, & ordinis perturbationem omnibus pulsuum differentijs convenire, ita, ut omnis pulsus in universum sit ordinatus vel inordinatus, quemadmodum omnis pulsus, est æqualis, vel inæqualis. Cæterum si Gal. decreta servanda sunt, manifeste decipitur hic vir. 1. etenim de different. puls. cap. 10. expresse docet Gal. pulsum ordinatum, & inordinatum, differentias esse, pulsus inæqualis inæqualitate collectiva, ut superiori cap. dicebamus: igitur pulsus ordinatus, & inordinatus non in omnibus differentijs pulsuum reperientur, sed propriæ erunt differentiæ, pulsus inæqualiter inæqualis.

 Scien-

Sciendum autem est, quod quemadmodum æqualitas, & inæqualitas collectivæ, nascuntur ex comparatione multarum differentiarum pulsationum: ita etiam ordo, & ordinis perturbatio ortum ducunt ex comparatione circuitum: non ergo sunt affectiones differentiarum, sed potius circuitum, ipsarum differentiarum pulsuum. Vnde, pulsus æqualiter inæqualis, & ordinatus, in eo conveniunt, quod in utrisque est inæqualitas, & est paritas in illa inæqualitate, distinguuntur vero, quod in pulsu æqualiter inæquali, est paritas in pulsationibus: in pulsu vero ordinato, in circuitibus consideratur paritas.

His ita positis, ordinatus pulsus ille dicitur qui in sua inæqualitate ordinem servat in circuitibus, ut si primus pulsus sit magnus, secundus etiam, & tertius: quartus vero sit parvus: & rursus quintus sit magnus, sextus itidem, & septimus: octavus tamen jam parvus existat, & sic deinceps hic pulsus dicitur ordinatus, quia ordinem servat in circuitibus, inæqualitas tamen reperitur in illo, cùm quartus, & octavus pulsus non sint magni, ut reliqui omnes. Pulsus inordinatus, ille dicitur qui in sua inæqualitate nullum servat ordinem in circuitibus; ut si primus pulsus, sit magnus, secundus etiam, & tertius, quartus parvus; quintus, sextus, & septimus magnus: octavus vero celer; &c. Hoc loco animadvertere oportet, reperiri quendam pulsum, qui dicitur ordinatus circulatim, in quo periodi aut circuitus, quidam servant ordinem, alij vero non, ut, si primus circuitus, & secundus servent ordinem: tertius, & quartus non servent: rursus quintus: & sextus ordinem, septimus non servet: hic pulsus dicitur ordinatus circulatim, quia neque in omni circuitu est ordinatus, neque in omni circuitu, inordinatus, sed in quibusdam est ordinatus, in alijs inordinatus.

DE DIFFERENTIIS PULSUUM DESUMPTIS EX inæqualitate quæ in uno pulsu accidit.

CAPVT SEPTIMVM.

¶ *At incidit, & in unum pulsum inæqualitas tunc pro mutua dissensione arteriæ partium in situ, & motu, tum pro uniuscujusque pulsus peculiari motu, &c.*

EGit Galen. superioribus capitibus de pulsu inæquali inæqualitate collectiva, & quæ in pluribus pulsationibus accidit; hoc vero capite, differit de inæqualitate quæ in uno pulsu fit, quæ, singularis seu simplex solet appellari, quia in una pulsatione accidit. Hæc autem inæqualitas du-

duplex eſt, vel enim accidit in una parte arteriæ, conſideratis, & collatis partibus illius motus; vel accidit inæqualitas in diverſis partibus arteriæ, primum autem agit Galen. de inæqualitate quæ fit in diverſis partibus arteriæ: quæ duplex eſt, nam, vel fit hæc inæqualitas, quia arteria diverſum ſitum obtinet in motu: vel quia in diverſis partibus arteriæ, variæ differentiæ pulſus inveniantur, ſi arteria diverſo modo moveatur, ſex naſcentur differentiæ inæqualitatis in pulſu, cum ſex ſint, motus differentiæ, ut, ſi una pars arteriæ ſurſum feratur, alia deorſum, una antrorſum, alia retrorſum: & una dextrorſum, alia ſiniſtrorſum moveatur, quæ inæqualitatis differentiæ, in convulſione ſolent reperiri, quod accidit ob nervorum retractionem verſus ſuum principium. Alio modo fit hæc inæqualitas, quando ſcilicet in diverſis partibus arteriæ, variæ differentiæ pulſns reperiuntur, ut, ſi una pars arteriæ celerius pulſet, alia tardius: una vehementius, alia languidius; &c. quæ differentiæ penè infinitæ poſſunt eſſe pro varietate differentiarum pulſus.

Præterea, inæqualitas quæ accidit in uno pulſu, & in una arteriæ parte, triplex eſt, vel enim ex ea naſcitur pulſus interciſus, interruptus, ſeu intermittens; qui idem ſunt, vel naſcitur pulſus recurrens, vel pulſus continuus diſpar, pulſus interciſus, interruptus, ſeu intermittens, de quo agit Galen. 1. de different. pulſ. cap. 19. ille dicitur, qui non poteſt unica vice ſuum motum abſolvere, ſicque ejus motus in medio itinere interrumpitur, qui pulſus, dicitur à Galeno caprizans, quia ſicut capræ videtur ſaltare, quæ ſalire ſolent quaſi geminum motum facientes; hic motus qui in hoc pulſu reperitur, maxima proportione reſpondet reſpirationi interruptæ, quæ, ſpiritus offendens, dicitur ab Hipp. 4. aphoriſm. ſentent. 68. quando ſcilicet thorax non poteſt ſine quiete intermedia, dilatationem abſolvere, quod in pueris plorantibus ſolet frequenter evenire.

Pulſus recurrens, qui etiam, ab aliquibus, repetens dictus eſt, ille dicitur, in quo multæ, & variæ fiunt mutationes in una, & eadem pulſatione, ipſas tamen nulla manifeſta dirimit quies, ſed ſimul atque diſtenditur arteria, recedit, & mox iterum occurrit. Hic pulſus varias habet differentias, ut docet Gal. 1. de differ. pulſ. cap. 17. ſub quo vibrati pulſus comprehenduntur, ac potiſſimum pulſus dicrotus hoc eſt bis pulſans, ſeu bis feriens, quem pro exemplo adducit Gal. hoc cap. Naturam hujus pulſus dicroti aptiſſima ſimilitudine explicat Gal. loc. cit. exemplo mallei, incudem ſua ſponte bis, vel ter ferientis: & ſimilitudine etiam deſumpta ex ramis arborum, vi in aliquam partem attractis: nam quemadmodum tales rami ubi dimittuntur, ſtatim in priſtinum locum redeunt, in eo tamen non quieſcunt, ſed ſtatim revertuntur ad locum aquo erant retracti, non tamen æquale inter-

tervallum priori percurunt, sed aliquantulum minus, & iterum recurrentes, jam minus intervallum percurrunt, idque quater quinquies, & sæpius faciunt, semper tamen intervallo diminuto donec quiescant, ita etiam hoc idem accidit in pulsu dicroto, cujus delapsum à primæ distensionis termino nulla manifesta quies dirimit, sed simul atque attolli desinit arteria, recedit, atque illa paulisper vibrata mox iterum occurrit.

Tandem pulsus continuus dispar dicitur, quando prima pars dilationis, celerius, secunda, tardius, aut, è contra; movetur, hujus autem pulsus, varias tradit Gal. differentias, cum variæ sint differentiæ pulsuum in magnitudine, celeritate, vehementia, & frequentia. Quo loco; animadvertit Gal. non solum posse dividi motus in duo tempora; sed & in plura quantum sensus assequi potest: quasi dicat, non solum potest: esse varietas motus divisi in duas partes, sed etiam in plures, ut si prima pars sit celeris: secunda tarda, tertia mediocris, quarta celeris: id, quod diximus de celeritate, idem judico de aliijs differentijs: in quibus eadem varietas motus potest reperiri. Hæc de inæqualitatibus simplicibus.

DE DIFFERENTIIS PULSUUM, EX inæqualitate composita desumptis.

CAPVT OCTAVVM.

¶ *Compositæ fiunt, quatenus altera potest cum altera, & una cum una, & cum pluribus una, denique cum multis multæ commisceri, &c.*

VT absolvat Gal. priorem hujus disputationis partem, quæ ad pulsuum differentias pertinet, agit tandem hoc capite de differentijs pulsuum quæ ex inæqualitate composita desumuntur: inæqualitas vero composita dicitur, quæ ex simplicibus inæqualitatibus componitur: componuntur autem quatuor modis. Primò, quando altera inæqualitas, v. g. collectiva cum altera inæqualitate etiam collectiva, complicatur. Secundò, quando una inæqualitas, verbi gratia collectiva cum una inæqualitate simplici, & quæ in uno pulsu accidit, conjungitur. Tertiò, quando complicatur una inæqualitas cum pluribus. Et tandem, quando plures inæqualitates cum pluribus conjunguntur. Ex hac varia simplicium inæqualitatum compositione, variæ, ac pene infinitæ pulsuum compositorum in æqualium differentiæ consurgunt. ex quibus, quatuor tantum, nomen sunt sortitæ, nimirum pulsus undosus, vermiculans, formicans, &

pul-

pulſus hæcticus, de quibus agit Gal. 1. de diff. pulſ. cap. 26. & 17. Pulſus undoſus ille dicitur, in quo arteria inæqualiter movetur, ita, ut non tota ejus pars ſimul dilatetur, ſed primo prima ejus pars, deinde 2. mox 3. poſtea quarta cum elevatione quadam undoſa, taliter, ut prius quam una abſolvatur, altera incipiat: talem autem appellationem obtinuit hic pulſus propter ſimilitudinem undarum maris, quæ in ipſo fluctuanter moveri ſolent, in quo, quædam partes aquæ in altum attoluntur, aliæ vero ſubmerguntur.

Pulſus vermiculans ſub undoſo continetur, qui, ſolum magnitudine ſeu ſecundum magis, & minus diſtinguuntur: namque in undoſo majores ſunt pulſationes quam in vermiculanti quia facultas magis robuſta eſt comparatione facta cum pulſu vermiculanti in quo facultas, eſt maxime imbecilla. Hic pulſus, hoc nomen obtinuit propter ſimilitudinem vermis, qui quando movetur, quadam ſui parte attollitur alia vero vere humilis fit.

Pulſus formicans vermiculanti ſuccedit, quemadmodum vermiculans undoſo imminuto, in quo, adeo languidiſsimæ apparent pulſationes, ut inæqualitas, quæ in eis reperitur, prorſus ſenſum fugere videatur. Hic pulſus maxime parvus eſt, languidiſſimus, & frequentiſsimus, non tamen celer, ut aliqui falſo exiſtimarunt, nam in pulſu celeri, facultas adhuc robuſta eſt in pulſu vero formicanti, valde languida exiſtit facultas, adeo ut hic pulſus in morientibus ſoleat apparere. Nomen invenit hic pulſus à ſimilitudine formicæ, vel quia parvus eſt inter pulſus, veluti formica inter animalia, vel quia ſimilis eſt motui formicarum ut alij volunt, vel propter utrumque, referente Gal. 1. de diff. pulſ. cap. 27.

Tandem pulſus hæcticus ille dicitur, qui in ſua inæqualitate perpetuo ſibi ſimilis perſeverat, & nunquam immutatur: nam quemadmodum febris hæctica, talis dicitur, quia nunquam immutatur, ſed ſibi ſimilis ſemper exiſtit: pari etiam ratione pulſus hæcticus hanc appellationem ſortitus eſt, quia ſemper, & eodem modo ſibi ſimilis perſiſtit: & non valde immutatur: qui pulſus valde exitioſus eſt, cum ex eo, colligatur morbum eodem modo ſemper ſe habere. Vnde conſtat, in maximo errore verſari illos qui exiſtimant, per pulſum hæcticum intelligendum eſſe cum pulſum quem habent hæctici, cum in pulſu hæcticorum nulla reperiatur inæqualitas, niſi alius affectus complicetur. Atque hæc ſunt, quæ docet Gal. de differentijs pulſuum, & quæ ipſi viſa ſunt Tyronibus ſufficere: quod, ſi quis hæc exactius intelligere cupiat, legat quatuor priores libros de differentijs pulſuum in magno opere ab eo conſcriptos.

¶ *Nec vero etiam cauſa eſt, cur de pleno hic, & vacuo pulſu dicam, vel de calido, & frigido, vel de rhythmis: illic enim accurate de his diſſervi: etiam is ſermo Tyronibus eſt obſcurior, &c.*

Quoniam Gal. hoc capite veluti

obi-

obiter mentionem facere videtur aliquarum differentiarum pulſuum præter dictas, veluti pulſus pleni, vacui, calidi, frigidi, & pulſus rhythmi, propterea aliquid de illis dicemus, ut nihil intactum in hac noſtra diſputatione relinquamus. De notione, & natura pulſus pleni, & vacui, magna fuit dubitatio inter veteres: Archigenes tamen, & Agathinus, ut refert Gal. 4. de dignoſ. pulſ. cap. 2. & 3. qui has differentias conſtituerunt, nomina ipſis impoſuerunt ex cavitate arteriæ deſumpta, ita, ut illum appellarint pulſum plenum, in quo cavitas arteriæ humiditate quadam eſt repleta: contra vero pulſus vacuus, in quo cavitas arteriæ, nulla humiditate eſt repleta. Horum tamen ſententiam validiſsimis rationibus refutat Galen. 4. de dignoſ. pulſ. cap. 3. concludens, nullum reperiri pulſum plenum aut vacuum: aut, ſi tales pulſus conſtituantur, pulſum plenum non diſtingui à magno, & vacuum ſub parvo contineri docente etiam Gal. 3. de different. pulſ. cap. 6. & nos itidem diximus cap. 2. de pulſu etiam calido, & frigido, jam diximus non conſtituere peculiares pulſuum differentias: nam licet mentionem facere aliquando videatur Gal. pulſus calidi, id non fecit, ex eo quod exiſtimaverit, peculiarem pulſus differentiam conſtituere, ſed quia magnus calor percipi ſolet in arterijs in aliquibus febribus, atque ita hij pulſus non conſtituent peculiares differentias, ut docet Gal. 1. de differ. pulſ. cap. 2. ubi, has differentias proponit ex ſententia Eraſiſtrati.

Tandem de pulſu rhythmo aliqua dicamus. Rhythmus, vocabulum quoddam eſt Muſicis proprium: eſt enim quædam proportio vocuum interſe gravium cum acutis, quando ſcilicet interſe ſervant ſuam determinatam proportionem. Rhythmus itaque idem eſt quod proportio unius cum altero. Cum igitur in pulſu, dilatatio reperiatur, & contractio, qui ſunt motus contrarij, quando inter hos motus eadem ſervatur proportio, ita ut tanta ſit dilatatio quanta compreſsio, tunc dicimus ſervari rhythmum, id docente Galen. 3. de dignoſ. pulſ. cap. 3. & 2. de præſag. ex pulſ. cap. 3. Rhythmus autem tria ſignificat, ita Gal. 1. de differ. pulſ. cap. 9. Primò, ſignificat proportionem ſolius dilatationis ad compreſsionem, & utramque quietem. Secundò, ſignificat proportionem ſolius compreſsionis ad dilatationem, & utramque quietem. Tertò, proportionem, quæ reperitur inter dilationem, & compreſsionem ſignificat, & in hac ultima ſignificatione ſumitur rhythmus à Galeno prætermittens alias duas, quia nullius ſunt utilitatis. Ex hac proportione quæ reperitur inter dilatationem, & compreſsionem, duæ oriuntur pulſuum differentiæ, eurhythmus ſcilicet, & arhythmus: pluſus eurhythmus, ſecundum naturam eſt, qui, eſt proportio quædam, quæ propria eſt unicuique naturæ, temperamento, ætati, &c. Pulſus vero arhythmus eſt præternaturam, qui, proportio eſt inter dila-

tionem, & compreſsionem. Pulſus eurhythmus, cùm ſit ſecundum naturam, non amplius ſubdividitur: arhythmus vero ſubdividitur in pararhythmum, heterorhymum, & ecrhythmum. Pararhythmus pulſus dicitur, qui quamvis à ſua naturali proportione receſsit, non tamen multum. Heterorhythmus dicitur, qui longius ab ea receſsit. Ecrhythmus vero, qui omnino ſuam proportionem omiſit: quas differentias, explicat Gal. loc. cit. exemplo ætatum: namque in pueritia ſuus pulſus rhythmus reperitur, qui, ſi debitam proportionem ſervet, dicitur eurhythmus: ſi vero non ſervet debitam proportionem, dicitur arhythmus: quod: ſi pulſus pueri non ſervet proportionem pueritiæ, ſed potius adoleſcentiæ; dicitur pararhytmus: ſi juventutis, dicitur hetherorhythmus: ſi vero nullius ætatis ſervet proportionem, dicirur erhythmus.

In fine capitis, breviter repetit Gal. ea quæ de differentijs pulſuum docuerat in ſuperioribus; ſed quoniam hæc, ex his quæ diximus, ſatis ſunt manifeſta, propterea, non eſt quod iterum repetamus. Atque hæc ſunt quæ pertinent ad pulſuum differentias.

DE CAUSIS PULSUUM, AC PRIMUM de eorum mutatione à cauſis naturalibus.

CAPVT NONVM.

¶ *Quando multis modis pulſus, variare poſſunt (neque enim cauſam prope ullam reperias, quin hos immutet) viſum eſt mihi trifariam mutationis ſummam differentiam diſtribuere, deinde ſeparatim de ſingulis verba facere, &c.*

HActenus jam explanata prima hujus diſputationis parte, quæ erat de differentijs pulſuum: accedendum jam eſt ad ſecundam partem explanadam, quæ eſt de eorundem cauſis, ut finem, breviter huic diſputationi imponamus. Cauſæ, quæ pulſum variare poſſunt, docente Gal. 1. de cauſ. pulſ. cap. 1. ſunt in duplici differentia: quædam ſunt cauſæ generationis, quæ etiam principes, & primæ dicuntur: aliæ vero ſunt alterationis: cauſæ generationis dicuntur, ex quibus tota pulſuum generatio atque natura dependet: hæ vero cauſæ alio nomine continentes dicuntur, namque cùm pulſus ſit res poſita in ſucceſsione, quia tàm diu eſt, quàm diu fit, dabitur in eo, veluti in alijs omnibus rebus ſucceſsivis, cauſa continens; quæ totam pulſus eſſentiam contineat. Cauſæ vero alterationis dicuntur, quæ varie pulſum immutare atque alterare valent, non autem generare, in quo differunt à cauſis generationis, quæ non

solum valent pulsum generare, sed etiam alterare, & ipsum quodammodo immutare.

Causæ alterationis pulsuum subdividuntur in procatarcticas sivè externas, & antecedentes: causæ procatarcticæ sive externæ, sunt, quæ extra corpus consistunt, veluti aer, balneum, exercitatio, &c. Causæ antecedentes sive internæ, dicuntur, quæ causas continentes pulsus antecedunt, & in nostris corporibus inveniuntur, ut acrimonia humorum, multitudo, crassities, &c. Hæ omnes causæ, simul possunt concurrrere ad immutandum pulsum, quod demonstrat Gal. 1. de caus. puls. cap. 1. accommodatissimo exemplo. Densetur, inquit, cutis ab aere ambiente frigido, & propter hanc causam impediatur fuliginosorum vaporum dissipatio, qui, ita augeantur, ut corpus ipsum valde calefaciant; & excitetur febris: in hac mutatione pulsus, triplex causarum genus concurrit: namque usus adauctus, est causa continens: aer frigidus, est causa procatarctica; reliquæ vero causæ sunt antecedentes. Harum causarum dignotio, utilissima quidem est ad hanc de pulsibus disputationem perfectè comparandam, & propter hanc causam Gal. satis diffusè libris quatuor de causis pulsuum, de illis disputavit: hoc vero libro, quia in Tyronum gratiam, conscriptus fuit à Gal. solum adducit causas alterationis pulsuum; nos autem, aliqua de causis continentibus sive generationis pulsuum adducemus, cùm earum cognitio valde sit necessaria ad disputationem futuram.

Causæ continentes seu generationis pulsuum tres sunt, facultas, instrumentum, & usus, his namque positis ponitur pulsus, & aliqua ex his deficientibus, simul deficit pulsus: nam deficiente facultate deficit pulsus, & deficiente quoque usu, vel instrumento: quod, ita intelligendum venit, ut omnes simul concurrant ad pulsum efficiendum, & ex his tribus causis una tantum efficiatur, à qua tota pulsus generatio atque natura dependeat, atque ideo omnes tres simul, faciunt unam causam continentem: non autem una ex his sola, ut falso aliqui existimant. Facultas est, à qua pulsus fiunt, quæ nihil aliud est quam ipsius cordis temperamentum, ipsi enim; tanquam causæ efficienti, debetur pulsus generatio; non vero spiritui, aut cuivis alio. Instrumentum pulsandi sunt arteriæ, per quas pulsus fiunt: namque, licet cor sit proprium pulsandi instrumentum, quia illud solum habet pulsandi facultatem: quoniam tamen hæc facultas semper in ipsis arterij elucessit, ideo arteriæ, instrumentum pulsandi merito dicuntur. Usus est, cujus gratia fiunt pulsus: qui duplex est, alius est caloris nativi conservatio: alius vero spirituum vitalium, & animalium generatio: calor nativus conservatur media dilatatione, & compressione: quia per dilatationem attrahitur aer, quo calor nativus partium attemperetur; media vero compressione fuliginosa excrementa foras expelluntur.

Ex his causis continentibus, quædam differentiæ pulsus nascuntur, quarum aliæ, propriæ sunt, & inseparabiles: aliæ vero familiares; propriæ dicuntur, quæ semper ab eadem causa proficiscuntur: familiares vero, quæ a pluribus causis possunt fieri. Ex facultate, duplex nascitur differentia pulsus, vehemens scilicet, & languidus: nam si facultas sit robusta, proprius ac inseparabilis nascitur pulsus vehemens: familiares vero magnus, celer, & frequens; si vero fuerit languida facultas, proprius, & inseparabilis pulsus, languidus dictus, ortum ducit. Ex instrumento itidem propriæ differentiæ pulsus ortum ducunt, durus scilicet, & mollis: nam si proprium arteriæ corpus duritie fuerit affectum, nascitur pulsus durus proprius ac inseparabilis: familiares vero, parvus, tardus, & rarus; si vero corpus arteriæ fuerit humidum, & molle, fit, proprius pulsus mollis: familiares vero magnus, & celer. Vsus nullam propriam pulsus differentiam producit, sed solum familiares differentiæ nascuntur, quæ hanc appellationem sunt sortitæ, ex eo quod non ex solo usu; sicuti propriæ differentiæ, dimanant, sed requirunt quoque facultatem, & instrumentum, veluti pulsus magnus, celer, & frequens familiares dicuntur usui adaucto, quia non solum ex usu adaucto, ortum ducunt, sed etiam ex facultate robusta, & instrumento obediente, scilicet arteriarum mollitie: nam, si facultas sit languida, licet calor sit magnus, non poterit efficere magnam dilatationem: at sine magna dilatatione non potest fieri magnus pulsus. Præterea, licet robusta sit facultas, & calor magnus, si arteria sit dura non poterit valde dilatari. Igitur ut magnus fiat pulsus concurrere debet usus adactus, robur facultatis, & instrumenti mollities. Pulsus quoque celer familiaris dicitur usui adaucto quando magis augetur; nam quia magnitudo non potest usui satisfacere accedit celeritas, & ita fit pulsus magnus, & celer, quando autem celeritas non potest usui satisfacere adjungitur frequentia, sicque fit pulsus magnus, celer, & frequens, qui familiares sunt usui ad aucto usus etiam imminuti pulsus familiares sunt parvus, tardus, & rarus: nam quando usus imminuitur, fit parvus; si magis imminuatur sequitur pulsus tardus, quod si multũ imminuatur usus, parvus pulsus nascetur.

DVBITATIO PRIMA.

De ordine quo acquiruntur, & ammittuntur magnitudo, celeritas, & frequentia.

HOc loco dubitare solent interpretes, an scilicet servetur aliquis ordo in acquirendis pulsuum differentijs quæ familiares sunt ipsius usus adaucti, ita ut primo acquiratur magnitudo, deinde celeritas, & tandem frequentia: an vero omnes, simul augeantur. Et utrum etiam usu imminuto tres simul differentiæ pul-

ſus imminuantur, an vero ordinate procedant. Circa primam hujus dubitationis partem dicimus, uſu adaucto, nimirum quando calor adaugetur in corde, & nulla ex cauſis continentibus mutatur, primum quidem acquiritur magnitudo in pulſu, deinde celeritas, & ultimo frequentia. Quæ ſententia Gal. eſt 1. lib. de cauſ. pulſ. cap. 4. & 5. Et probatur primo, quia uſu adaucto; & nullo exiſtente impedimento in aliqua ex cauſis continentibus, illam differentiam pulſus natura prius apponit, quæ melius uſui ſatisfacit, ſed inter reliquas differentias familiares uſus adaucti, melius ſatisfacit magnitudo quam celeritas, & celeritas melius quam frequentia, igitur neceſſario prius acquiretur magnitudo deinde celeritas, & tandem frequentia. Probatur minor quia per magnitudinem, major aeris quantitas attrahitur, quam per celeritatem, & frequentiam, cùm per illam, arteria in trinam dimenſionem dilatetur, igitur uſu adacto, melius ſatisfaciet magnitudo quam celeritas, & celeritas magis quam frequentia, cùm, multa aeris frigidi quantitas melius refrigeret, quam celeritas dilatationis, non ſecus ac magna aquæ frigidæ quantitas melius ſitim extinguit, quam celeriter, & frequenter aſſumpta doceute Gal. 1. de præſag. expulſ. capite 2.

Probatur ſecundo, natura ſemper appetit id, quod melius eſt; ſed melius eſt eſſe pulſum magnum quam celerem, & frequentem, ut antea dicebamus: igitur natura ſemper prius appetet magnitudinem; ſed id quod natura appetit, facit: ergo ſemper faciet primum pulſum magnum nam nullum impedimentum reperitur, cum facultas ſit robuſta, & inſtrumenta obedientia; quoniam ſi facultas eſſet languida, & arteria dura multo aliter res fieret, non enim poſſet natura valde arteriam ipſam elevare, & ita prius frequentiam, & celeritatem apponeret, quam magnitudinem: nam languida natura, facit id quod poteſt, & non id quod eſt melius.

Sed adverſus propoſitam doctrinam, ſunt aliqua argumeuta. Primum eſt, natura ſemper auſpicatur à facilioribus, ſed facilius eſt frequenter pulſare arteriam, quam magnam dilatationem facere, igitur prius acquiretur frequentia, quam magnitudo. Reſpondemus negantes primam propoſitionem, non enim ſemper èſt neceſſarium, ut natura auſpicetur à facilioribus, immo ſi nihil impediat ſemper efficit id quod melius eſt, melius autem eſt majorem eſſe dilatationem, quam celeriorem ita ut, quando uſus, parvus eſt, parum dilatationem adaugeat: quando vero major eſt uſus; ipſam magis adaugeat.

Secundum argumentum eſt, eodem modo ſe habet facultas vitalis in pulſu, ac animalis in ſuis motibus localibus; ſed facultas animalis nullum ſervat ordinem ſuis motibus: ergo neque vitalis in pulſu. Reſpondemus negando paritatem, valde enim eſt diſpar ratio facultatis vitalis, & animalis: nam animalis libere agit,

&

& cum cognitione: at vero vitalis non libere operatur, sed per motum naturæ.

Jam ad secundam dubitationis partem devenientes, dicimus, usu imminuto, prius deperdi, & imminui frequentiam, postea celeritatem, & ultimo magnitudinem, ita Gal. 1. de caus. puls. cap. 5. & 6. lib. de difficult. resp. cap. 6. & alijs multis in locis. Probatur hæc sententia in hunc modum, usu adaucto ultimo loco adquiritur frequentia in pulsu ob urgentiam refrigerationis caloris, sed quando imminuitur usus, de perditur primum illa urgentia, ergo prius debet deperdi frequentia: remanet vero magnitudo, quia usus adhuc est adactus propter quem ipsa magnitudo fuit appostta: hoc autem, semper itelligendum est facta suppositione, nempe quando usus imminuitur nulla facta mutatione in aliqua ex alijs causis continentibus.

Sed contra, dices primo; Gal. in arte parva, cap. 3. docet, frigidi cordis pulsus esse minores seu parvos: & hoc lib. cap. 9. docet, fœminas esse frigidiores, & pulsus habere minores, frequentiores tamen maribus: igitur usu imminuto minores erunt prius pulsus, & parvi, non tamen rariores aut tardiores. Respondemus, hæc duo loca nihil contra nos statuere: nam qui frigidi sunt corde, tum etiam, & fœminæ, non solum habent pulsum imminutum, sed etiam facultatem valde languidam: nostra vero senteutia solum est intelligenda de usu imminuto nulla existente alia mutatione in alijs instrumentis.

Dices secundo contrariorum eadem est ratio, sed usus adauctus, primum omnium magnitudinem adauget, ergo usus imminutus, primum eam minuit, non vero frequentiam. Respondemus, magnitudinem, & parvitatem contraria esse contrarietate propria, at vero in ordine ad alterationem caloris cordis major reperitur contrarietas inter magnitudinem, & frecuentiam, quoniam magnitudo, omnium optime satisfacit usui: at vero frecuentia, omnium minime usui satisfacit.

DVBITATIO SECVNDA.

Vtrum detur aliqua differentia pulsus, quæ non dependeat ex mutatione alicujus causæ continentis.

Ex his quæ diximus de causa continente, alia dubitatio ortum ducit, qua quæritur, an omnis pulsus immutatio requirat necessario mutationem alicujus causæ continentis. Imprimis Franciscus Vallesius 3. lib. controv. cap. 9. & libello de pulsibus, cap. 5. existimat, in affectibus corporis verum esse à nulla causa mutari pulsum citra mutationem causæ continentis: in affectibus vero animi, id non esse imposibile, asserit. Hanc sententiam, in hunc modum confirmat. Primò, quia in iratis fit pulsus altus, sed hæc altitudo pulsus in ira non fit propter mutationem alicujus causæ continentis, cùm ira sit motus quidam vehemens in quo

movetur animus propter appetitum vindictæ ad injuriam repellendam, igitur poterit in ira vehementer moveri cor citra aliquam mutationem causæ continentis. Probatur minor, in ira non mutatur facultatis robur, cum facultas posita sit in temperamento: neque mutatur instrumentum, quoniam ira non efficit duriorem aut molliorem arteriam: neque etiam si usus immutetur, nempe adaugeatur calor, non propterea fiet pulsus vehementior in ira, quia in febre ardenti calor itidem adactus est, & non fiunt pulsus vehementiores; igitur in ira poterit immutari pulsus citra mutationem alicujus causæ continentis.

Secundò, id probat inductione; in timore repentino fit pulsus vibratus, inæqualis, & inordinatus propter mentis perturbationem, sed hæc mentis perturbatio non nascitur ex mutatione alicujus causæ continentis, igitur in timore mutabitur pulsus citra mutationem causarum continentium. Probatur minor, ad hoc ut generetur pulsus vibratus, indiget virtute robusta, & calore adaucto, sed in timore neque est virtus robusta, neque calor adauctus, igitur in timore non generabitur pulsus ex mutatione alicujus causæ continentis.

Sed his non obstantibus, oppositam sententiam veriorem esse arbitramur: existimamus itaque, facultatem, instrumentum, & usum ita essentiam pulsus constituere, ut nullo modo possit pulsus immutari, quin necessario mutetur aliqua ex causis continentibus. Hæc sententia probatur primo auctoritate Gal. ex 1. lib. de caus. puls. desumpta, ubi manifeste scribit, causas omnes alterationis pulsus, sive antecedentes sint, sive procatarcticæ non posse pulsum a terrare, nec parumper immutare, quin prius aliqua ex tribus causis continentibus immutetur, ergo, &c. Probatur deinde ratione ad hunc modum: nulla res potest immutari non mutatis causis requisitis, & necessaris ad talis rei constitutionem, sed facultas, instrumentum, & usus sunt causæ necessariæ, & requisitæ ad essentiam pulsus constituendam; igitur nullo modo poterit pulsus immuttari, quin aliqua etiam accidat mutatio in aliqua ex causis continentibus.

Neque Vallesij rationes aliquid concludere videntur: nam animi pathæmata, sunt causæ alterationis pulsus, quemadmodum, & ipsius corporis affectus, & propterea nullo modo possunt pulsum immutare, quin prius necessario aliqua ex causis continentibus mutetur. Ad primam rationem respondemus, in iratis pulsum fieri altum aut vehementem, ex eo quod illis facultas est robusta, & usus adaugetur, quod requiritur ad pulsum altum efficiendum: namque, cùm ira sit sanguinis effervescentia circa cor, necessario usus adaugetur: facultas etiam est robusta, quæ cum non possit arteriam in trinam dimensionem dilatare, solum in altitudine eam movet, & propter hanc causam pulsum magnum non efficit: quoniam cùm ejus motus impediatur a corporibus

cir-

circumjacentibus, à carne ſcilicet, & adipe, ideo arteria non poteſt in trinam dimenſionem dilatari: quemadmodum dilatatur in extenuatis qui iraſcuntur, in quibus non ſolum fiunt pulſus alti, ſed etiam magni, quia non reperiuntur illa corpora circumjacentia, quæ motum arteriæ in trinam dimenſionem impediant. Ad ſecundam rationem dicimus, pulſum vibratum, ſequi neceſſario mutationem alicujus cauſæ continentis, inſtrumenti ſcilicet duritiem, quoniam in timore ſanguis, & ſpiritus retrahuntur ad cor, & propter hanc cauſam maxime tenduntur arteriæ, & fit inſtrumenti durities. Vel reſpondemus ſecundo, cum Gal. 4. de diff. pulſ. cap. 4. ubi docet, vibratum pulſum non eſſe peculiarem differentiam timoris: nam in inveterato timore, inquit Gal. reperiri pulſum vibratum, non vero in repentino, & recenti. Atque hæc ſunt, quæ pertinent ad cauſas pulſus continentes.

Explicatis hactenus cauſis pulſuum continentibus, reſtat modo agamus de cauſis alterantibus ſeu immutantibus pulſuum, quæ non primo, & per ſe, ſed quatenus cauſas continentes immutant cauſæ pulſuum vocantur, ut docet Gal. 3. de cauſ. pulſ. cap. 1. Has vero cauſas ſub tribus capitibus comprehendit Gal. ſtatim initio hujus capitis: vel enim ſunt cauſæ naturales, vel præternaturam, vel mediæ inter has, quæ proinde non naturales appellantur. Cauſæ naturales quæ pulſum immutare valent ſunt, quæ neceſſario, & ſecundam naturam in noſtris corporibus exiſtunt, veluti ſexus, temperamentum, ætas, &c. Cauſæ præternaturam ſunt, quæ noſtris corporibus præternaturam accidunt, ut morbus, cauſa morbi, & ſymptoma. Cauſæ vero inter has mediæ, ſeu non naturales, dicuntur, quæ ex ſua natura neque naturales, neque præternaturam ſunt, verum ſi tempeſtive, & moderate eis utamur, naturales fiunt: ſi vero intempeſtive, & immoderate illis utamur, præternaturam redduntur, hujuſmodi ſunt balneum, cibus, potus, &c.

Animadvertit autem Gal. ad has mutationes pulſuum dignoſcendas, comparationem ſemper eſſe faciendam, vel ad differentias pulſuum proprias, ac peculiares quas unuſquiſque habet: vel ad differentias pulſuum quæ in homine temperato reperiuntur: nam cùm loquimur de pulſu ſexus aut ætatum, comparationem facimus ad pulſum hominis temperati: cum vero loquimur de alijs mutationibus, comparationem facimus ad pulſum naturalem ejus hominis quem tractamus. Sed quoniam hæc exercitatio nimis longa eſt, & totam vitam expoſtulare videtur, propterea Gal. aliquas adducit communitates, quibus, etſi non certo, artificioſa tamen conjectura, in propriam cujuſque pulſus cognitionem devenjamus, quarum prima, deſumitur ex ſexu.

DE

DE MVTATIONE PVLIVVM ratione sexus.

¶ *Viri, mulieribus pulsum fere habent longe tum majorem, tum vehementiorem, paulo tardiorem, satisque rariorem.*

CVm disputet Gal. hoc capite de causis pulsuum à causis naturalibus, primum omnium agit de mutatione pulsuum quæ accidit ratione sexus, docetque viros habere pulsus multo majores, & vehementiores fœminis tardiores tamen, & rariores: majores quidem, quoniam viri, calidiores sunt fœminis, cum ex calidiori semine generentur, & in testiculo dextro, in quo calidius semen reperitur: fœminæ vero, ex semine frigidiori: & in testiculo sinistro generantur. Tum etiam, quia viri multum se exercent, valdeque soliciti sunt in ipsis negotijs, à quibus calor nativus robustior reddi solet, fœminæ vero, è contra vitam degunt ociosam, ac umbratilem, & à curis, & negotijs liberam à quibus calor nativus imbecillatur, & frigidior redditur. Cùm igitur viri, calidiores sint fœminis, merito fit, ut eorum pulsus majores, & vehementiores sint, majores quidem, quia in his, usus, nempe calor est adauctus, qui majorem refrigerationem, ac ventillationem expostulat, sicque major aeris copia atrahi debet, proindeque pulsus fiunt majores, & non solum majores, sed etiam multo majores, cùm in viris ratione continuæ exercitationis calor nativus; valde robustior reddatur. Fiunt quoque in his, pulsus vehementiores, quia in viris facultas robustior exsistit, & non solum fiunt vehementiores, sed etiam multo vehementiores, quia cùm per assiduas exercitationes, calor nativus in illis augeatur, facultas etiam valde robustior redditur. Tardiores tamen, & rariores, fiunt pulsus in viris, quonam cum sola magnitudo sit sufficiens ut usui satisfaciat, propterea non indigent celeritate nec frequentia.

Ex his facile erit, pulsus fœminarum colligere: habent enim pulsus parvos, languidos, celeres tamen, & frequentes; parvos quidem, quia usus est imminutus, cùm mulieres ex sua natura sint frigidæ; langidos vero, quia in illis, facultas est languida; sunt tamen celeres, & frequentes, quoniam cùm magnitudo non possit usui satisfacere, necessario celeritas, & frequentia debent conjungi, ut illi satisfaciant. Hoc loco animadvertere oportet, illam particulam *fere*, non temere quidem positam esse in contextu, ut docet Gal. 3. de caus. puls. cap. 2. per illam namque monet Gal. ea, quæ dicta sunt de pulsu virorum, & fœminarum non esse simpliciter, & absolute accipienda, sed majori ex parte: potest namque accidere ut mulier aliqua viro sit calidior, & tunc temporis majorem pulsum, ac vehementiorem obtinebit illo: nam si mulier sit natura biliosa, in assiduo labore educata, & in regione calida vivat: homo vero natura sua sit pituito-

tosus, vivat laute, & dedicate, & in regione frigida, erit quidem mulier viro ipso calidior: majori vero ex parte à natura constitutum est, ut fœminæ omnes viris sint fridiora à natura.

DE PVLSV EORVM QVI NATVRA calidi sunt.

¶ *Calidi natura, & multo habent majorem, celeriorem, & crebiorem, vehementiorem non item multo.*

PRo vario, ac diverso temperamento mutantur quoque pulsus, Gal. vero solum describit pulsus qui ex temperamento calido proveniunt, illis namque cognitis, facile quidem erit pulsus contrarij temperamenti, nempe frigidi, colligere; de sicco autem, & humido temperamento nihil scribit Gal. in contextu, partim quia sunt qualitates pasivæ, & ignavæ, patim vero, qui si arteria humida sit, mollis erit, sicque pulsum mollem producet; si vero arteria sicca sit, ac dura, durum pulsum efficiet. Quare recta cum ratione de calido solùm temperamento agit. Qui natura igitur calidi sunt, pulsum habent majorem, celeriorem, & frequentiorem, quam qui sunt temperati, non tamen multo vehementiorem; majorem quidem habent pulsum, quia usus magis est adauctus propter majorem cordis calorem, & facultas robusta; instrumentaque sunt obedientia: & propter eandem causam habent pulsus celeriores, & frequentiores; & quanto major fuerit calor quam in homine temperato, tanto magis magnitudo, celeritas, & frequentia augebuntur.

Sed dubium maxime videtur, cur dixerit Gal. in his qui natura calidi sunt reperiri pulsus non multo vehementiores? quoniam, si vehemens pulsus, proprius est facultatis robustæ, igitur vehementior, robustioris facultatis proprius erit. Respondet Gal. 3. de caus. puls. cap. 3. quoniam hi pulsus Tyronibus videntur vehementiores esse, propterea inquit non esse multo vehementiores: nam pulsus magnus, celer; & frequens adeo similes interse sunt, ut Medici Galeno priores opinati fuerint, pulsum vehementem nihil aliud esse quam celerem, & magnum, & propter hanc causam Galen. quia cum Tyronibus loquitur, vehementiores appellat pulsus hominum natura calidorum, licet non sint vehementiores temperato. Ex his facile constat, quales habeant pulsus qui frigido temperamento sunt præditi: nam cùm temperamenta sint contraria, ita etiam eorum pulsus. Qui igitur frigido sunt temperamento habent pulsus minores, tardiores, & paulo languidiores, quoniam ratione frigidi temperamenti usus est imminutus, atque ita magnitudo, celeritas, & frequentia deperduntur: languidiores vero fiunt pulsus, quoniam in frigidis facultas cordis languida existit.

DE MVTATIONE PVLSVVM ratione habitus corporis.

¶ *Gracilliores majorem, rarioremque multo: vehementiorem paulo. Atque natura sit differunt.*

RAtione habitus corporis mutantur quoque pulsus, docente etiam Gal. 3. de cauf. pulf. cap. 4. nam, qui graciles sunt ex sua natura, id est, qui ex sua natura minus carnis, & adipis habent, quam homo temperatus, pulsum habent majorem, & multo rariorem: paulo autem vehementiorem; majorem quidem, quia gracillitas ex sua natura arteriarum regiones magis dilatat, & corpora circumjacentia leviora reddit, sicque arteria a carnis, & adipis pondere libera magnitudinem non contemnendam pulsus conciliat. Vnde fit, ut rariorem, etiam habeant pulsum, & tanto magis rariorem, quanto magis magnitudo adaugetur: cur vero augeri debet raritas magnitudine adaucta, per se quidem est manifestum: namque, cum usus non augeatur, & crescat magnitudo, necesse est ut aliquid de frequentia deperdatur: magnitudo enim adaucta per se tollit usum frequentiæ, licet per se usus non imminuitur. Tandem graciles habent pulsum paulo vehementiorem, non quod facultas propter gracilitatem seipsa robustior sit reddita, ut docet Gal. 1. de dignost. pulf. cap. 8. sed quia appareat magis vehemens, quam in obesis, cùm arteriæ tactui occurrant per medium minus crassum. In celeritate, & tarditate non mutantur pulsus in gracilibus, quia non augetur usus neque imminuitur. Vnde non erit difficile colligere quos pulsus habeant qui natura crassi sunt: contrarios enim pulsus obtinebunt propter contrarias causas.

DE MVTATIONE PVLSVVM pro ætatibus.

¶ *Porro pro ætatibus hoc pacto immutantur, &c.*

AGit jam Gal. de mutatione pulsuum quæ accidit ratione ætatis, comparans prius extremas ætates inter sese, nempe pueritiam, & senectutem, colligens deinde pulsus qui in medijs ætatibus reperiuntur pro ut ex his extremis participant. Puerorum ergo pulsus frequentissimus est, & celerrimus, senum rarissimus, & tardissimus: reliquarum vero ætatum pulsus, quæ mediæ sunt inter has; ijs ad proportionem respondent, quatenus scilicet ad pueritiam, vel senectutem propius accedunt. In pueris itaque fiunt pulsus frequentissimi, & celerrimi, quoniam autem celeritas, & frequentia magnitudinem adauctam necessario consequuntur, propterea causa prius statuenda est cur in pueris magni fiant pulsus, ut postea celeritatem, & frequentiam colligamus, idque consilio Gal. qui 3. de cauf. pulf. cap. 3. horum pulsuum causas fusissime persequitur. Pulsus igitur in pueris majores sunt, & vehementiores, quam in seni-

ſenibus: juvenibus vero maximi, & vehementiſsimi.

Sed hæc omnia ſigillatim expendamus: majores quidem ſunt pulſus in pueris, & vehementiores quam in ſenibus, quoniam, cùm maximo calore ſint præditi, neceſſario uſus debet eſſe adauctus, & facultas robuſta ſicque major aeris copia attrahitur, ut ipſum refrigeret ac ventilet. Celerrimi quoque ſunt pulſus in pueris, quoniam, cùm maximo calore ſint præditi, quam plurimos generant humores, non ſolum ad eorum nutritionem, ſed etiam incrementum: unde quando illigerantur, neceſſario multa fuliginoſa excrementa exhalare debent, ſicque in illis maxime urget uſus compreſsionis, & fiunt pulſus celerrimi. Tum etiam, quia cùm animales ſpiritus in pueris non ſolùm conſerventur, ſed etiam augeantur, neceſſario majorem dilatationem expoſtulant, adeo, ut uſus compreſſionis arteriarum in illis æqualis fere ſit cum uſu dilatationis, cum abundantiſsima colligant excrementa quæ maximam compreſsionem expoſtulant, ut expellantur. Quare puerorum pulſus magni ſunt, & celerrimi: quoniam tamen magnitudo, & celeritas uſui ſatisfacere non poſſunt, propterea adjungitur frequentia, ideoque puerorum pulſus magni ſunt, celerrimi, & frequentiſsimi. In ſenibus vero, e contra accidit: namque cùm exiguum habeant calorem, & pauciora colligant fuliginoſa excrementa, exiguaque fiat ſpirituum animalium nutritio, merito fit, ut contrarios pueris obtineant pulſus, nempe parvos, tardos, & raros.

Hoc loco animadvertere oportet cum Galen. 3. de cauſ. pulſ. cap. 5. quamplures ex veteribus Medicis exiſtimare, puerorum pulſus parvos eſſe, cùm ſint magni, ſi, cum magnitudine arteriarum eos comparemus: parvi vero, ſi quantitatem ſolum dilatationis ſpectemus, eamque cum pulſibus juvenum conſervamus; ſed tamen, quamvis puerorum pulſus ſint magni, non tamen erunt maximi, quia uſus non eſt maxime adauctus, & inſtrumenta non ſunt maxime obedientia, quoniam humidiſsima cum ſint, non poſſunt recte à facultate moveri: tum etiam, quia facultas eorum non eſt maxime robuſta; pueri itaque eam magnitudinem obtinent in pulſu, ut medium, vel temperatum pulſum exſuperent.

Ex his quæ dicta ſunt de pulſibus extremarum ætatum, nempe pueritiæ, & ſenectutis, facile erit colligere qui pulſus reperiantur in aliis ætatibus quæ mediæ ſunt inter has: namque juvenum pulſus ſive florentium ætate, medium locum obtinent in celeritate, & frequentia: non enim ſunt ita celeres, ac frequentes, ut pulſus puerorum, quia quamvis uſus ſit maxime adauctus in juvenibus, quoniam tamen pulſus in eis, omnium ſunt maximi, ideo ſola magnitudo videtur uſui ſatisfacere, atque ita non indigent tanta celeritate, nec frequentia, & propter hanc cauſam ait Gal. in contextu, juvenum pulſus, omnium eſſe maximos, cùm in ju-

ventute maxime solicitet urgem atque usus attemperationis caloris namque licet calor puerorum, & juvenum idem sit, quia tamen calor juvenum multo acrior est, & mordacir calore puerorum, propterea majorem refrigerationem, ac ventillationem requirit. At senuum pulsus, omnium sunt minimi, quia ætas est omninm frigidissima senectus ipsa: pulsus vero puerorum medium obtinet locum in magnitudine, & parvitate comparatione facta ad juventutem, & senectutem. Idem etiam est intelligendum de vehementia, & langore pulsus: etenim juvenum pulsus omnium sunt vehementissimi, senum, languidissimi, puerorum vero pulsus medium obtinet locum. Ex his, facile erit aliarum ætatum pulsus colligere; nam, quo magis ad pueritiam accesserint, eo celeriores, & frequentiores pulsus obtinebunt: & quo magis ad senectutem accedent, eo magis, pulsus tardiores, rarioresque habebunt: quanto vero magis accesserint ad juventutem, tanto pulsus majores, ac vehementiores evadent.

DE MVTATIONE PVLSVVM pro anni temporibus.

¶ *Pro anni temporibus medio vere pulsus maximi sunt, & vehementissimi, ut in temporibus, &c.*

RAtione temporum mutantur etiam pulsus: si quidem, ut ait Gal. in medio veris pulsus fiunt maximi, & vehementissimi, in celeritate vero, & frequentia medij; fiunt sane maximi, & vehementissimi, quoniam medio vere aer nos ambiens temperatissimus est quantum est ex se, sicque validam, ac robustam reddit facultatem, calorem temperatissimum, & instrumenta summe mediocria, cum non sint immodice humida, nec propter nimiam siccitatem squalida, aut propter summam frigiditatem concreta, aut calore remissa, aut languida, igitur pulsus in medio vere maximi erunt, & vehementissimi. Fiunt vero pulsus in celeritate, & frequentia medij, quia cùm in medio vere usus non sit valde adauctus, sed ita, ut sola magnitudo ipsi satisfacere posit, idcirco non fuit necessaria celeritas neque frequentia, sicque pulsus apparent eo tempore in celeritate, & frequentia medij. Quo loco animadvertit Gal. 3. de caus. puls. cap. 6. recte quidem superadditam esse in contextu illam particulam, *ut in temporibus*, per quam significare videtur Gal. non simpliciter, & absolute reperiri pulsus maximos, & vehementissimos in medio vere, cùm multo majores, & vehementiores pulsus reperiantur in alijs temporibus, sed si pulsus cum alijs temporibus comparemus, tales medio vere evadunt: quoniam æstate usus quidem adaugetur, sed facultas languida redditur, atque imminuitur illa magnitudo simul, & vehementia, hyeme etiam, & æstate facultas robusta est, non tamen sicuti in medio veris, quia usus imminuitur, sicque languidiores pulsus hyeme fiunt, quam vere, & vehe-

vehementiores, quam in æstate, & veluti medium locum obtinent inter utraque tempora, nempe, quod facultas medium locum habeat.

Tradit deinde Galen. pulsus qui fiunt in medio autumno, docens, eodem modo se habere pulsus eo tempore, ac in medio vere. Hoc autem difficile maxime videtur, namque si autumnus, tempus est maxime inæquale in calore, & frigore, & ex sua natura siccum, quomodo poterit eosdem pulsus obtinere quos habet medium ver, cum sit tempus omnium temperatissimum, & mediocre? Cæterum, si Gal. verba diligenter perpendamus, inveniemus sane verissima esse quæ docet Galen. in contextu. Si quidem; quando inquit: pulsus eodem modo se habere in medio autumno, sicuti in vere medio, id quidem non simpliciter intelligit, sed comparatione facta ad alia tempora, ad hyemem scilicet, & ætatem: nam quemadmodum medio vere fiunt pulsus maximi, & frequentissimi, in celeritateque, & frequentia medij, quam in alijs temporibus: sic similiter in medio autumno fiunt pulsus majores, & vemehentiores, & in celeritate, & frequentia mediocres, quam hyeme, & æstate; ratio est, quia æstate media quoniam tempus est calidum, & siccum pulsus fiunt parvi, & languidi, celerrimi tamen, & frequentissimi; quoniam cùm eo tempore facultas sit maxime languida propter aeris ambientis caliditatem quæ triplicem substantiam dissolvit, non potest pulsus magnos, & vehementes efficere, sed solum parvos, & languidos: & quia usus est adauctus, cui exigua illa magnitudo non potest satisfacere, propterea in media æstate pulsus apparent celerrimi, & frequentissimi, ut celeritas, & frequentia suppleant quod de magnitudine deficit. Media etiam hyeme pulsus fiunt parvi, languidi, tardi, & rari, namque cùm eo tempore aer ambiens maxime sit frigidus, facultas valde languida existit, & usus multum imminutus, at vero in medio autumno facultas robusta est quam æstate, & hyeme, cùm eo tempore non multum vigeat calor aut frigus quorum causa facultas languidior redditur, propterea in medio autumno fiunt pulsus majores, & vehementiores, & in celeritate, & frequentia mediocres, quam hyeme, & æstate: facta vero comparatione ad medium veris, minores, ac languidiores, sicque est intelligendus hic locus alioquin difficilis.

Pergit deinde Galen. & inquit, progrediente vere, pulsum deperdere aliquid magnitudinis, & vehementiæ, & acquiere celeritatem, & frequentiam: ratio est, quia cùm hoc tempus ad æstatem accedat propter calorem, facultas languidior quodammodo redditur, sicque pulsus eo tempore aliquid de magnitudine, & vehementia deperdit; quoniam vero usus adaugetur, nempe calor, simul quoque celeritas, & frequentia ad augentur, cum magnitudo illa usui satisfacere non possit. Initio æstatis fiunt pulsus languidi propter facul-

ta-

tatem imbecillem; parvi, partim ob eandem causam, partim vero propter siccitatem instrumenti, celeres etiam, & frequentes, quia usus auctus est, & facultas exoluta. Quando autumnus ad hyemem proxime accedit omnia imminuit, magnitudinem scilicet, vehementiam, celeritatem, & frequentiam, quoniam maxime usus imminuitur, & facultas languidior redditur. Tandem initio hyemis mutantur pulsus in parvitatem, languiditatem, tarditatem, & raritatem propter causas ex dictis satis notas.

Sed objicit sibi ipsi Galen. 3. de caus. puls. cap. 6. tempore hyemis usus maxime est adauctus, & facultas non est languida, sed potius robusta, cùm eo tempore ventres natura calidissimi sint, docente Hipp. 1. aphor. sentent. 15. igitur tunc temporis non apparebunt pulsus, parvi, languidi, tardi, & rari, sed potius magni, & vehementes, celeres, & frequentes. Cui objectioni respondet Gal. loco citato, distinguendas esse mutationes quas facit hyems per se, ab eis, quas ex accidenti efficit, quonam ex accidenti optimam facit coctionem, multam copiam spirituum generat, & facultatem robustiorem reddit; at vero, si consideremus hyemem per se, maximam pituitæ copiam generat, calorem nativum extinguit, & facultatem languidam reddit. Vnde tempore hyemis per se fiunt pulsus parvi, languidi, tardi, & rari: ex accidenti vero, nempe propter retractionem caloris ad interna ab aere ambiente frigido factam, contrarij pulsus accidunt.

Quibus positis ad majorem perspicuitatem eorum quæ dicta sunt comparat Gal. varia anni tempora inter sese, & singulas ejus partes, docens, initium veris respondere finé autumni, & finem veris autumni principio: quia quemadmodum veris initio usque ad ejus medietatem corroboratur facultas quæ antea erat languida, & in fine autumni languida redditur quæ antea erat robusta; sic similiter autumni initio robustior redditur facultas quæ antea erat languida, & in fine veris languidior redditur, quæ antea erat robusta: igitur eadem erit proportio finis autumni ad initium veris, quæ est, finis veris ad initium autumni. Deinde eadem est ratio incipientis æstatis ad suum finem, quæ est principij ad finem: quoniam sicuti media æstate magis est languida facultas, & usus magis adauctus, quam in principio, & fine; ita etiam initio hyemis, & fine minus est languida facultas, & usus non est adeo imminutus, sicuti in media hyeme.

DE MVTATIONE PVLSVVM pro regionibus: & de pulsu prægnantium.

¶ *Pro regionibus perinde, ut pro temporibus, &c.*

CVm actum sit in superioribus de mutatione pulsuum quæ accidit ratione temperamenti, ætatis, & tem-

temporis anni; eadem etiam possumus regioni accomodare: pulsus namque qui fiunt in temperamento calido, ætate juvenili, & tempore anni calido, ijdemmet pulsus in regione calida fiunt: Idem judica de temperata regione, tum etiam, & de frigida, & sicca. Vide Gal. 3. de caus. puls. cap. 6.

¶ *Prægnantium majores, crebriores, celeriores pulsus sunt præterea nihil mutatur, &c.*

In mulieribus vero uterum gerentibus mutationes quoque accidunt in pulsu, quas etiam tradit Gal. hoc loco. Prægnantes, inquit, pulsus habent majores, frequentiores, & celeriores, quoniam, præter usum, nihil aliud mutatur in his, siquidem propter fœtum, neque facultas, neque instrumenta ullam accipiunt mutationem; sicque fit, ut pulsus eodem modo se habeant in vehementia, aut languiditate, duritie aut mollitie. Vnde constat, in maximo errore versari Avicennam, & ejus sequaces existimantes, maxime defatigari prægnantem propter pondus ipsius fœtus, & reddi imbecilliorem: nam quemadmodum absurdum est asserere, facultatem imbecilliorem esse ei qui aliquod pondus in humeris gestaret, eo quod non tam celeriter moveretur quam antea; pari etiam ratione, verum non erit dicere imbecilliorem esse redditam facultatem vitalem in prægnante propter pondus fœtus, quia non adeo libere movetur mulier, quam antea. In prægnantibus igitur nihil aliud immutatur quam usus docente Gal. 3. de caus. puls. cap. 8. ex eo quod mulier non sibi soli respirare videtur, sed fœtui etiam: nam, ut colligitur ex Gal. 6. de usu part. cap. ultimo, cor ipsius fœtus per arteriam magnam refrigeratis, quæ communicatur cordi per umbilicum fœtus. Igitur, cùm usus maxime immutetur in prægnantibus, merito pulsus majores fient: & cum hæc magnitudo usui satisfacere non posit in totum, propterea celeriores simul, & frequentiores fient pulsus.

DE MVTATIONE PVLSVVM ex somno.

¶ *Jam somni etiam sint, si quid naturales, qui & ipsi urriant pulsus, &c.*

AGit jam Gal. de mutatione pulsuum quæ accidit ratione somni. Difficile autem maxime videtur, cur Gal. enumeret somnum hoc loco inter res naturales, cum lib. de sanit. tuend. ipsum recenseat inter res non naturales? hocque consonum rationi videtur, cùm juvare posit si moderate, & debito tempore utatur, aut lædere, si immoderate aut intempestive eo utamur. Dicendum tamen est, somnum inter res naturales adnumerari hoc loco à Galeno, quoniam cùm eas appellet causas naturales quæ secundum naturam corporibus insunt, & somnus naturalis, secundum naturam in nostris corporibus reperiantur, merito fit, ut hoc

loco

loco eum inter naturales recenseat.

In somno 4. partes reperiuntur. Prima pars est quando incipit somnus. Secunda, quando ulterius progreditur. Tertia, quando diuturnior existit somnus, & viget. Quarta pars est, quando expergiscimur à somno. In principio igitur somni, inquit Gal. fieri pulsus languidos, parvos, tardos, & raros, languidos quidem, quia in principio somni facultas imbecilla redditur, namque, cùm eo tempore maxima copia caloris ad interna deferatur, calor nativus quodammodo gravatur ac extinguitur, parvi vero fiunt pulsus eo tempore, quia cum facultas minor reddatur, usus quoque simul imminuitur extincto calore, ac veluti obruto; tardi vero, & rari fiunt pulsus in principio somni, quoniam tunc non urget usus transmitendi spiritus ad partes externas, cum sensus eo tempore ociosi sint, proindeque natura non apponit celeritatem, & frequentiam, sed tarditatem potius, raritatemque.

In secunda parte somni, nempe quando ulterius progreditur, pulsus fiunt magni, & vehementes, quia tunc calor adauctus est, & facultas robusta: nam quemadmodum ignis, quando in totum accensus est, robustior redditur: eodem etiam modo calor noster post coctionem alimentorum, quæ in secunda parte somni fit validior, ac robustior redditur, sicque pulsus magnitudinem, & vehementiam acquirere; crescunt vero pulsus eo tempore in tarditate, & raritate, quoniam cum dilatatio, major sit quam antea, necessario deperditur aliquid celeritatis, & frequentiæ, hoc autem, intelligendum est de sola dilatatione, nam tunc temporis pulsus in compressione celeres fiunt, cùm maxime urgeat usus compressionis, cúm, eo tempore plurima colligantur excrementa, quæ necessario debent expurgari.

In tercia parte somni nimirum, quando diuturnior existit, & viget, pulsus fiunt parvi, languidi, tardi, & rari, rario est, quia tunc temporis somnus immodicus est, sicque calor maxime extinguitur cùm privetur à suo naturali motu quo fertur in sublime, non àliter ac solet accidere in his qui caro, & comate afficiuntur, qui propter somnum profundissimum intereunt, quia tunc calor nativus omnino extinguitur ac suffocatur, cùm privetur à suo motu naturali quo sursum defertur, quemadmodum externæ flammæ quotidie accidere experimur.

Qui expergiscuntur, è vestigio pulsus magnus, vehementes, celeres, crebros, & cum quadam vibratione habent, qui mox mediocritatem assequuntur.

In quarta, & ultima parte somni in qua jam dormientes à somno experge fiunt, fiunt pulsus magni, vehementes, celeres, & frequentes, & cum quadam vibratione; magni, & vehementes: fiunt pulsus, quia tunc facultas robustior est reddita post somnum, & usus simul quoque est adauctus. Fiunt etiam celeres, & frequentes, quia magnitudo non potest

test esse tanta, ut usui satisfacere possit, sicque his motibus fuligines quæ genitæ sunt in somno, foras expelluntur. Fiunt tandem pulsus quodammodo vibrati, id est, non in totum vibrati, quoniam in his qui à somno experge fiunt, omnia adsunt requisita quæ ad pulsum vibratum requiruntur, cum facultas robusta sit, usus adauctus, & instrumentum impeditum: seu durum propter tensionem.

¶ *Adscititiæ habitudines corporis perinde, ut naturales, immutant. Nam gracilis natura, si quadratus evaserit, &c.*

Tandem Gal. ut absolvat mutationes quæ accidunt in pulsibus à causis naturalibus, agit de mutatione pulsus quæ fit in habitu corporis adscititij, quomodo vero mutentur pulsus ratione habitus corporis acquisiti, facile erit colligere ex his quæ in superioribus dicta sunt de habitu naturali.

¶ *Jam etiam temperamenta corporis adscititia pulsus ea proportione mutant, &c.*

De mutatione etiam pulsus, ratione temperamenti adscititij, nihil est est quod dicamus, cum ex his quæ dicta sunt facile quoque innotescant. Et hæc, de causis naturalibus pulsum alterantibus.

DE MUTATIONE PULSUUM A CAUSIS NON naturalibus: & primum de exercitatione.

CAPUT DECIMUM.

¶ *Nunc alias mutationes quæ causas habent non naturales recenseamus. Exercitationes primo quæ moderatæ sunt, &c.*

POstquam egit Gal. de causis naturalibus pulsuum alterantibus: disserit jam de causis non naturalibus quæ pulsum immutare atque alterare valent. Causæ vero non naturales, illæ dicuntur, quæ, si moderate eis utamur, prosunt, & extra corpus adveniunt, ut balneum, exercitatio, &c. Primum autem agit Gal. de mutatione quæ fit in pulsu in his qui se exercent. Hæc vox, exercitatio; ambigua est: primo namque significat, & proprie, motum qui gymnasio à veteribus edebatur. Secundo, significat motum in quo anhelitus, & respiratio immutantur, quæ est motus quidam concitatus ratione cujus respiratio immutatur. Hæc concitatio duplex est moderata, & immoderata: moderata dicitur, quæ corpus juvat, & vires adauget: immoderata vero, quæ corpus ipsum lædit, & vires labefactat. Exercitatio moderata plures utilitates adfert, ut docet Gal. 2. de sanit. tuend. cap. 2. calorem enim nativum robustiorem

reddit, poros cutis aperit per quos facilius possint expurgari excrementa, instrumenta motus voluntarij, duriora, ac robustiora reddit: ac tandem beneficio exercitationis, moderatæ multi spiritus generantur, & majori cum impetu per arterias deferuntur. Ex immodica exercitatione multa sequuntur mala, cum propter triplicis substantiæ effluvium vires valde labefactet: & si multum increscat, adeo vires languidas reddit, ut fere calorem nativum extinguat.

Quibus positis, Gal. contextum interpretemur. In exercitatione moderata fiunt pulsus: magni, vehementes, celeres, & frequentes; magni quidem, & vehementes, quia usus multum est adauctus, & facultas robusta, instrumentaque expedita sunt, & libera; fiunt vero celeres, & frequentes, quia magnitudo tanto usui non potest satisfacere. Si exercitatio sit immoderata, adeo, ut vires excedat, fiunt pulsus parvi, languidi; celeres, tamen, & frequentes; parvi, & languidi, fiunt pulsus, ob imbecillitatem contractam; celeres vero, & frequentes, propter usum adauctum. Quando exercitatio adeo immoderata est, ut ægrotantes vix possint moveri, sed passim quiescere cogantur, fiunt pulsus parvi, languidi tardi, & rari, quoniam tunc usus maxime est imminutus propter cordis refrigerationem, & facultas valde languida est reddita dissipata triplici partium substantia ob validum illum motum. Quod si eo devenerit exercitatio, ut ad virium usque dissolutionem perveniat, tales fient pulsus, quales in virium exolutione, in sequentibus fieri, dicemus.

DE MVTATIONE PVLSVVM ratione balnei.

¶ *Balneæ calidæ, dum sint moderatæ, pulsus creant, magnos, celeres, crebros, vehementes, &c.*

Ratione balnei mutantur etiam pulsus. Balnea autem sunt in duplici differentia; quædam enim, balnea simpliciter dicuntur, quæ ex aqua dulci fieri solent, & hæc, vel calida sunt, vel frigida; alia vero sunt balnea medicamentosa, quæ parari solent ex aliqua aqua medicamentosa, veluti aluminosa, bituminosa, sulphurea, &c. Gal. hoc loco non agit de balneis medicamentosis, sed solum de illis, quæ ex aqua dulci parari solent, qualia in hac nostra Civitate Valentina reperiuntur. Pro varia igitur aquæ dulcis natura, variæ accidunt mutationes pulsus in ipso balneo: nam balea quæ calida sunt; vel potius tepida, si moderate in eis detineamur, pulsus faciunt magnos, vehementes, celeres, & frequentes, vehementes quidem, quia facultas robustior redditur corroborata à calore balnei; magnos, quia usus adauctus est, & instrumenta expedita sunt reddita; celeres vero, & frequentes, quia magnitudo sola non potest usui satisfacere. Si in balneo calido multum detineamur, pulsus fiunt parvi, & languidi, quia tunc facultas jam labe-

labefactata est, & maxima copia spirituum dissipata; celeres tamen adhuc fiunt pulsus, & frequentes, quia cum maxima copia caloris in corpore reperiatur, usus etiam adaugetur. Quod; si in balneo calido ulterius detineamur, tunc fient pulsus parvi, languidi, tardi, & rari, quia facultas valde est labefactata, & usus maxime imminutus corde frigidiori reddito,

¶ *Balenea frigidæ ilico parvos, ac languidos, & tardos, rarosque pulsus efficiunt, &c.*

Vario modo immutatur pulsus propter balneum aquæ frigidæ, quoniam in illis qui aqua frigida lavantur, ilico, & primo statim occursu, fiunt pulsus parvi, languidi, tardi, & rari: nam propter frigiditatem aquæ facultas languida redditur, & usus simul quoque imminuitur, cùm maxime refrigerentur corpora propter præsentiam aquæ frigidæ sanguine, & spiritibus ad interna retracti. Si vero balneum internas partes refrigeret, & veluti torporem inducat, pulsus facit parvos, languidos, tardos, & raros propter usum imminutum, & languidam facultatem. Quod si balneum frigidum solam superficiem corporis refrigeret, & partes internas calfaciat, pulsus edit magnos, & vehementes propter usum adauctum, & facultatem robustam: in celeritate tamen, & frequentia moderatos, cùm magnitudo usui satisfacia.

DE MVTATIONE PVLSVVM ratione cibi, & ratione potus.

¶ *Cibus largus, ut etiam gravet facultatem, pulsus inæquales, atque inordinatos concitat, &c.*

Vltimo loco tradit Gal. mutationes pulsuum quæ fiunt ex cibo, & potu. Imprimis, si alimenta large, & in multo quantitate fuerint assumpta, pulsus fiunt inæquales, & inordinati in magnitudine, vehementia, celeritate, & frequentia: quoniam cùm facultas ventriculi multum sit oppressa, & gravata à nimia alimentorum quantitate, languida per aggravationem efficitur. Si vero alimenta moderate fuerint assumpta, faciunt pulsus magnos, vehementes, celeres, & frequentes, quia tunc partes optime nutriuntur, substantia caloris nativi moderata ratione augetur, & facultas simul robustior efficitur. Quod, si in minima quantitate assumpta sint alimenta, ita, ut non multum præbeant nutrimentum, pulsus quoque faciunt magnos, & vehementes; minus tamen, quoniam calor innatus non ita adaugetur, nec facultas robustior efficitur à minori quantitate alimentorum, quam à moderata.

¶ *Vinum pulsus cætera ut cibus variat, &c.*

Ratione potus, mutantur quoque pulsus; potus vero duplex est, vel enim est potus vini, vel potus aquæ. Vinum, inquit Gal. easdem

mutationes infert pulsibus, atque alimenta: nam, si large potetur, & in multa quantitate, quam par sit, pulsus facit inæquales, & inordinatos; si autem in mediocri quantitate assumatur, pulsus facit magnos, vehementes, celeres, & frequentes propter causas superius dictas, in eo tamen differt vinum ab alimentis solidis: quod scilicet pulsus ratione vini celeriter immutetur, quia vinum ob partium tenuitatem promptius alteratur, & per partes corporis distribuitur: at vero pulsus ratione alimenti solidi, multo tempore indiget, ut in mutetur. Distinguntur secundo, quod scilicet mutationes quæ fiunt in pulsu à vino, parum durent: ab alimento vero solido, multum.

¶ *Aqua minimum omnium ciborum mutationem inducit, quanquam perinde, ut cibi, & hæc mutet, &c.*

Potus aquæ, minimam omnium ciborum, & potuum mutationem in pulsu inducit, licet eodem modo, atque alimenta, pulsum immutet; nam quemadmodum alimenta, si in multa quantitate assumantur, ventrem aggravant: eodem modo aqua; minima tamen sequitur oppressio ex aquæ assumptione, quam ex alimentis, si cætera sint paria, quia, si aqua in multa quantitate potetur, alimenta vero pauca assumantur, multo magis opprimet aqua, quam alimenta, proptereaque recte asserit Gal. in contextu, aquam, minimam mutationem in pulsu efficere, quia non tanto tempore detinetur aqua in ventre, atque alimenta. Reliquæ etiam alimentorum differentiæ vario modo pulsuum immutabunt, pro diversa eorum natura, aut quantitate. Atque hoc modo mutantur pulsus à causis non naturalibus.

DE MUTATIONE PULSUUM A CAVSIS præternaturam.

CAPVT XI. ET VLTIMVM.

¶ *Nunc mutationes ex causis præternaturam exponamus, illaque commemoremus prius, quæ jam de causis præternaturam communitate orationis conscripsimus, &c.*

VT finem imponat Gal. huic secundæ disputationis parti, quæ est de causis pulsuum, agit tandem hoc ultimo capite de mutatione pulsuum à causis præternaturam. Causæ vero præternaturam, sunt in duplici differentia, ut docet Gal. in contextu: quædam quantitate solum dicuntur præternaturam: aliæ vero non solum quantitate, sed etiam toto genere præternaturam sunt. Causæ quantitate præternaturam illæ appel-

lan-

lantur quæ per se, & ex sua natura non sunt præternaturam, sed tantum ex accidenti, nempe, si immoderate, & intempestive illis utamur, cujus generis sunt causæ naturales, & non naturales: quoniam licet somnum inter causas naturales pulsus immutantes numeraverit Gal. causa, tamen quantitate præternaturam solet esse, & morbosos afectus solet procreare si longior sit, quam ex sua natura requirat, eodem etiam modo alimenta, si in multa quantitate fuerint ingesta, causæ dicentur quantitate præternaturam, & affectus morbosos inducent. Idem judica de alijs causis naturalibus, & non naturalibus, quæ, si modum excesserint quantitate præternaturam redduntur. Causæ quæ non solum quantitate, sed etiam toto genere præternaturam sunt, illæ dicuntur, quæ perpetuo lædunt, semper præternaturam sunt, Quare hæc vox præternaturam, apud Gal. hoc loco, id omne significat quod declinat à naturali statu corporis vel animi, & in hoc sensu animi pathæmata, morbus, ejus causa, & symptomata dicentur præternaturam, & de his causis præternaturam agit Gal. hoc capite, ostendens quomodo ab illis immutentur pulsus, quæ pene infinitæ sunt, sed quoniam ars infinita non admittit, propterea eas ad duo capita redigit Gal.

Causæ igitur omnes præternaturam id habent commune, ut pulsus immunent lædendo vires ipsius cordis, quod duobus modis præstant, aut eas, languidas per essentiam reddendo: aut eas aggravando aut opprimendo, vires, languidæ per essentiam fiunt, vel quia plurimum dissipatur ex triplici substantia cordis, nempe solida, humida, & spiritosa: vel quia vitiatur cordis temperamentum; idque dupliciter, vel exsuperante una, vel alia simplici qualitate, vel duabus: vel in toto temperamento, aut in tota substantia, ut accidit ex assumpto veneno, & in febribus pestilentibus, & in reliquis etiam omnibus quæ à tota substantia valent cordis temperamentum alterare. Vires vero opprimuntur, vel aggravantur, vel potius languidæ per aggravationem redduntur quando triplex cordis substantia non est dissipata, sed solum valde oppressa atque gravata à copia, & multitudine alicujus substantiæ. Deinde dissipatur multum ex triplici substantia cordis, & vires languidæ per essentiam fiunt, vel ab inopia alimenti, vel à malignitate morborum, vel à vi, & vehementia pathæmatum animi, vel à dolorum vehementia aut diuturnitate, vel tandem ab evacuationibus immodicis. Imprimis ab inopia alimenti dissolvuntur vires, quia dificiente alimento deficit quoque substantia ex qua restaurari debet substantia cordis deperdita. Secundò dissolvuntur vires à malignitate morborum, quoniam morbi maligni, illi dicuntur qui superant vires animalis, licet humor faciens morbum sit toto temperamento contrarius, vel qualitate aliqua manifesta: nam febres pestilentes, & venenum assumptum, ut an-

antea dicebamus, corrumpunt partium temperamentum, ac præcipue cordis: idem etiam præstat bilis atra, vel bilis æruginosa sua prava qualitate, & acrimonia. Tertiò, vires languidæ per essentiam redduntur à vi, & vehementia pathæmatum animi, veluti iræ, mæstitiæ, &c. Quoniam in his maxime dissolvuntur spiritus: nam si ad externas partes deferantur per illas fit eorum disipatio: si vero ad interna, ibi exolvuntur, & conculcantur. Quartò, dissolvuntur vires à vehementia dolorum aut diuturnitate, quoniam partes vicinæ conantur expellere id quod molestum est, & propter hanc causam comprimunt se, ex qua compresione necessario transmittunt sanguinem, & spiritus ad partem dolentem, quibus disipatis maxima sequitur virium exolutio, adeo, ut multi ex vehementisimo dolore in aliqua parte existente brevi temporis spatio vitam cum morte commutarint. Quintò vires, languidæ fiunt per essentiam ab evacuationibus immodicis, sivè sensiles fiunt evacuationes, veluti humorum secundum naturam, nempe sanguinis, per quamcumque partem fiant, aut præternaturam, ut alicujus humoris depravati, vel alicujus excrementi alterius naturæ, quale est pus, aqua hydropicorum, aut aliud simile; sive insensiles sint evacuationes, veluti quæ fiunt in balneo, in vigilijs evacuationes, veluti quæ fiunt in balneo, in vigilijs immoderatis, nimia exercitatione, vel immoderato veneris usu, quoniam licet in coitu aliqua substantia excernatur, multo tamen magis vires labefactat id, quod per insensilem transpiratum disipatur. Qua autem ratione per immodicas evacuationes vires debilitentur, id quidem notum est, partim, quia deficit solidum partium alimentum, partim vero, quia maxima copia spirituum vitalium disipatur.

Tandem opprimuntur vires, vel potius, languidæ per aggravationem redduntur à copia, vel multitudine materiæ, aut ab instrumentorum affectibus; à multitudine quidem materiæ, ut accidit in plethora, & in cacochymia, in quibus propter humorum multitudinem, venæ, & arteriæ maxime distenduntur, sicque non possunt libere dilatari, unde vires multum gravantur à maximo onere oppressæ. Vires quoque languidæ fiunt per aggravationem quando aliquis affectus reperitur in instrumentis pulsationis, veluti in corde, & arterijs qui potest esse inflammatio, scirrhus, abscessus, & variæ corruptiones, quoniam in his, motus arteriarum impeditur, quia, cùm ipsæ arteriæ maxime tendantur, & comprimantur non possunt libere moveri, sicque cordis vires oprimuntur, & aggravantur.

¶ *Itaque fatiscens facultas pulsum parvum, languidum crebrum admodum efficit, &c.*

Quibus ita explicatis, tradit Gal. pulsus qui apparent quando vires sunt languidæ per essentiam, & eos etiam qui fiunt viribus languidis per aggra-

va-

vationem existentibus. In viribus itaque languidis per essentiam pulsus fiunt parvi, languidi, & admodum frequentes; parvi quidem, & languidi, quoniam facultas, languida est per essentiam; fiunt vero admodum frequentes, quia cùm deficiat magnitudo in pulsu non potest usui satisfacere, sicque frequentia supplet, quod deficit de magnitudine. Si facultas non sit languida per essentiam, sed potius per aggravationem, fiunt pulsus inæquales, & inordinati; præcipue tamen in magnitudine, & vehementia: hæc tamen inæqualitas non eodem modo se habet quando facultas est multum aggravata, aut quando parum, namque si multum sit aggravata, & oppressa natura, pauciores sunt pulsationes vehementes, & magnæ: parvæ vero, & languidæ, multæ; e contra vero si facultas parum sit oppressa. Hæc inæqualitas accidit propter maximam pugnam quæ reperitur inter facultatem vitalem, & materiam aggravantem, & ita fit, ut, si vincat facultas fiant pulsus magni, & vehementes: si vero vincatur, parvi, & languidi, atque hæc inæqualitas reperitur in pulsationibus.

Ex quibus facile erit colligere, utrum facultas, languida per essentiam existat, an vero per aggravationem: quoniam si Medicus pulsum tangens percipiat, omnes pulsationes parvas esse, & languidas atque admodum frequentes, certo certius colliget, facultatem languidam esse per essentiam; quod si percipiat, pulsationes inæquales esse in magnitudine, & vehementia, ita, ut aliquæ pulsationes sint magnæ vehementes: aliæ vero parvæ, & languidæ, haud dubie colliget facultatem languidam esse per aggravationem. Hæc distinctio maximam præbet utilitatem ad finem artis sæpe namque contingit ægrotantes in maximo vitæ periculo versari propter Medicorum imperitiam qui nesciunt, hæc ita distinguere, atque ita non audent sanguinem mittere existimantes vires languidas esse per essentiam, cum tamen languidæ per aggravationem existant.

Præterea quando facultas est languida per aggravationem, & oppressa, solet reperiri alia inæqualitas in pulsu ex qua fiunt pulsus intermittens, & intercurrentes, intermittentia alio nomine dicitur intercadentia, & pulsus intercurrens vocatur etiam interruptus. Intercadentia igitur fit quando adeo rarus est pulsus, ut deficiat, per spatium unius, vel duarum, vel trium pulsationum, quæ intercadentia, si in morbis accidat, magnam esse opresſionem, & aggravationem, & magnum etiam malum indicat, adeo, ut audeat Gal. affirmare, non posse hominem servari quando per duarum pulsationum spatium intermittit arteria. Intercurrens pulsus est, qui bis ferit tactum. Unde pulsus intermittens deterior erit pulsu intercrrente; quia majorem aggravationem denotat.

¶ *Peculiares accipit quaque ex causa efficiente, &c.*

Huc usque agit Gal. de communibus mutationibus quæ fiunt in pulsu vi-

viribus existentibus languidis per essentiam, & per aggravationem: accedit vero nunc ad explicandas peculiares pulsus mutationes, quæ à varijs causis præternaturam vires debilitantibus, proveniunt, constituens tres imbecillitatis gradus: quoniam si vires sint exolutæ propter alimenti inopiam, pulsus in principio, id est in primo imbecillitatis gradu, fiunt parvi, languidi, celeres, & frequentes: parvi quidem, & languidi, quia facultas est languida: celeres vero, & frequentes, quia cùm adhuc urgeat usus caloris, nempe refrigeratio, magnitudo imminuta non potest ei satisfacere. Ex hac imbecillitate metitur Galen. libr. de sang. mism. cap. 12. quantitatem sanguinis missionis usque animi deliquium, docens sistendum esse à sanguinis missione quando aliqua mutatio in pulsu fit ad parvitatem, languiditatem, celeritatem, & frequentiam eo tempore quo sanguis mittitur, quoniam tunc jam vires debilitari incipiunt, ne ad secundum gradum imbecillitatis deveniant in quo apparent jam pulsus parvi, languidi, tardi, & rari, quia tunc facultas valde languida est reddita, & usus maxime imminutus deficiente calida substantia ipsius cordis. In hoc gradu secundo imbecillitatis fit pulsus vermiculans, quia in hoc pulsu vires non sunt adhuc omnino dissolutæ, quo nomine distinguitur à pulsu formicante in quo vires maxime sunt exolute, atque ideo pulsus est maxime parvus; tum etiam in pulsu vermiculante adhuc potest percipi inæqualitas à Medico, si attente arteriam pulset: in formicante vero nulla potest percipi inæqualitas. In tertio imbecillitatis gradu fiunt pulsus extreme parvi, languidi, & frequentissimi, quoniam tunc facultas ad extremam debilitatem devenit, adeo, ut fere in totum sit extincta, in quo gradu inæqualitatis consistit pulsus formicans.

DE MVTATIONE PVLSVVM in animi pathæmatis, & primum de ira.

¶ *Iræ altus est pulsus, vehemens, celer, & creber.*

DIsputat jam Gal. de causis pulsuum propter animi pathæmata, agens primum de ira. Ira est effervencentia sanguinis circa cor, ut docet Gal.lib. de caus. morb. cap. 2. in ea enim duo motus reperiuntur, unus est quando statim in principio retrahuntur sanguis, & spiritus ad interna medio quo facultas irascibilis in seipsam cogitur atque unitur, ut postea majori cum vehementia, & impetu in externum objectum deferatur, & hæc est causa cur, qui irascuntnr, in principio pallidi appareant, propter illam scilicet subitam revocationem sanguinis, & spiritus ad interna. Alius motus qui reperitur in ira est, quando scilicet facultas irascibilis propterquam sanguis, & spiritus ad interna erant retracti, postea subito ad externum objectum deferuntur, ut ex eo vindictam sumere pos-

posſint atque hæc eſt etiam cauſa, cur eo tempore homines irati rubicundi conſpiciantur, ac præcipue in auribus, delato ſanguine, & ſpiritu ad partes externas.

Hoc poſito, pulſus in ira fiunt alti, vehementes, magni celeres, & frequentes, magni quidem, & vehementes, quia uſus maxime eſt adauctus propter illam ſanguinis effervеſcentiam juxta cor, & facultas quoque robuſta exiſtit, fiunt vero celeres, & frequentes, quia cum uſus multum ſit adauctus, ſola magnitudo non poteſt illi ſatisfacere, fiunt tamen in ira pulſus alti, quia magni: Gal. autem hoc loco ſolius altitudinis fecit mentionem, non vero aliarum partium magnitudinis, nempe longitudinis, & latitudinis, quia altitudo in ira magis manifeſta eſt, quam aliæ partes magnitudinis.

Sed non eſt ſilentio pretereundum dubium quoddam quod movetur à Gal. 4. de cauſ. pulſ. cap. 2. an ſcilicet in ira fiant pulſus vehementiores, quam antea. Gal. quidem circa hanc rem dubius eſſe videtur: nam ut colligitur ex 1. lib. de cauſ. pulſ. cap. 4. & 1. de præſag. ex pulſ. cap. 7. in ira pulſus non fiunt vehementiores, licet re vera vehementiores appareant. Libr. vero 4. de cauſ. pulſ. cap. 2. contrarium expreſſe affirmat dicens in ira re vera fieri pulſus vehementiores, idque probat, exemplo eorum qui ſe exercent, in quibus propter conatum, pulſus vehementiores fiunt, quam antea. Huic dubio reſpondemus, in ira re vera pulſus eſſe vehementipres quam antea, quoniam cùm in ea ſanguis, & ſpiritus ad interna revocentur, facultas, vehementior, ac robuſtior ſe ipſa redditur: igitur ſi in ira, facultas robuſtior eſt reddita, neceſſario pulſus fient vehementiores quam antea. Quod, ſi Gal. locis citatis contrarium dixit, id propterea fecit, quia tunc temporis non adhuc integre explicaverat quæ neceſſaria erant ad pulſuum dignotionem.

¶ *Lætitiæ magnus, rarus, & tardus eſt pulſus, at vehementia nihil differt.*

Ratione lætitiæ ſeu voluptatis mutantur itidem pulſus. Lætitia autem; eſt motus animæ iraſcibilis, in quo ſanguis, & ſpiritus per totum corpus diſtribuuntur ut externum objectum jucundiſsimum amplecti poſsint. Qua propter in illa, fient pulſus magni, tardi, ac rari; magni ſane, quia cum in lætitia calor in partibus externis augeatur, propterea arteriæ in illa parte majorem pulſationem obtinebunt, ſicque magni fient pulſus; fiunt vero tardi, & rari, quia magnitudo illa ſufficiens eſt ut poſsit uſui ſatisfacere. Hæc autem quæ dicta ſunt non ſunt ſimpliciter, & abſolute intelligenda de omni lætitia ſeu gaudio, ſed ſolum de moderato quia ſi adeo ſit immoderatum gaudium, ut vires maxime diſſolvat, tunc ſane, tales fient pulſus, quales viribus exolutis fieri diximus, nimirum prius vermicantes, deinde formicantes.

¶ *Triſtitiæ parvus, languidus, tardus, & rarus eſt.*

Tristitia, est quoddam animi pathæma in quo sanguis, & spiritus ad interna revocantur, ubi inculcatus calor fere extinguitur, & ideo redditur corpus frigidius. Quare facultas cordis maxime labefactabitur, & usus valde imminuetur, propterea pulsus fient parvi, languidi, tardi, &c.

¶ *Timoris recentis, & vehementis celer, & vibratus, & inordinatus est, &c.*

Ratione metus seu timoris, mutatio etiam accidit in pulsu: est autem timor, quædam animi passio in qua sanguis, & spiritus ad interna retrahuntur: nam facultas irascibilis fugiens externum objectum, timet, & veluti se abscondit, & in partibus internis diletescit, propterquam causam, homines in timore seu metu pallidi apparent ex subita illa revocatione sanguinis, & spiritus ad interna. Quare in timore non semper eadem mutatio accidit in pulsu; namque, si timor sit inveteratus, similem habet pulsum tristitiæ: si vero sit recens timor, exiguus tamen, eosdem faciet pulsus. Quod, si recens sit, & vehemens timor, facit pulsum celerem, vibratum, inæqualem, & inordinatum, celerem sane, quia usus non in totum est deperditus: quoniam cùm pulsationes non recte ipsi satisfaciant, pulsus adhuc celeritatem servat. Vibratum vero, quia facultas maxime est oppressa, quamvis non sit valde languida, quoniam, si talis esset, non faceret pulsum vibratum, ad quem, robur facultatis requiritur. Tandem inæqualem, & inordinatum facit pulsum timor recens, & vehemens, quia statim multam mentis conturbationem inducit; tum etiam, quia in timore vehementi magna fit retractio sanguinis, & spiritus ad cor, sicque maxime aggravantur ejus facultas, & opprimitur qua oppressa, necesse est fieri tales pulsus: namque oppressa facultas conatur expellere quod sibi noxium est, & quod non potest prima vice, aggreditur secunda, tertia, & quarta cùm autem sit maxime aggravata, non potest illud exquisite præstare, & propter hanc causam quasdam pulsationes facit magnas, alias parvas, quasdam vehementes, alias tandem languidas. Atque hæc, de pulsibus qui fiunt in animi pathæmatis.

DE MVTATIONE PVLSVVM ratione doloris.

¶ *Dolor, qui quidem variat pulsus, &c.*

Non omnis dolor pulsum solet immutare: nam, si parvus, & exiguus sit, & longe distet à partibus principibus, nullam mutationem in pulsu inducit; solus itaque ille dolor pulsum variabit qui vehemens erit, & in aliqua parte principe extiterit, aut illi vicina. Igitur, cùm incipit dolor, & adhuc ad summum non devenit, pulsum ædit majorem, vehementiorem, celeriorem, & frequentiorem, quoniam pars dolorifica maximos ædit conatus ut causam sibi infestantem expelleat, sicque valde

com-

comprimitur versus seipsam: cum autem primis conatibus nihil eflatu dignum efficiat, partes quæ sibi vicinæ sunt, versus seipsas valde etiam comprimuntur, sanguinemque arterialem, & spiritus vitales ad eam transmittunt, propterquam causam cor maximam mutationem, & agitationem acquirit, ut causam illam infestantem, & dolorificam expellere possit, & maximam copiam sanguinis, & spiritus ad eam transmittit, sicque pulsum edit majorem, vehementiorem, celeriorem, & frequentiorem. Si autem dolor magis, augeatur, & admodum validus sit, ita, ut vitalem facultatem offendat, tunc minorem efficit pulsum, languidorem, celerem, & frequentem, quoniam facultas jam aliquo modo est labefactata, & dissoluta, atque ita non potest magnitudinem apponere, quæ satisfaciat usui; sed solum celeritatem, & frequentiam. Quod, si dolor eo devenerit, & ita reddatur vehementior, ut facultas maxime languida reddatur, dissolvaturque, tunc fiet pulsus summe parvus, & languidus, non tamen celer, licet falsam celeritatis speciem repræsentet, quia ad pulsum celerem, virium robur requiritur, cujus defectum supplet frequentia, sicque fit etiam pulsus frequentissimus.

DE PVLSV INFLAMMAtionis.

¶ *Inflammatio habet omnis communem pulsum veluti serrantem, &c.*

PRo exacta intelligentia eorum quæ dicenda sunt supponendum prius est, inflammationem tribus modis sumi. Primò modo, sumitur pro intemperie calida sive in toto corpore existat, sive in aliqua parte particulari, sive sit nuda, sive cum affluxu humoris docente Gal. 2. ad Glauc. cap. 1. & 13. meth. cap. 1. Secundò modo sumitur inflammatio pro intemperie calida cum humoris affluxu, sive pro tumore facto ex quocumque humore calido, & in hac significatione comprehendit sub se herpetem, eresipelas, carbunculum, ferunculum, & quemvis alium tumorem calidum. Tertiò tandem modo sumitur inflammatio pro tumore ex sanguine facto, phlegmone scilicet, in quo reperitur calor, rubor, dolor, & renittentia, & hæc est propria inflammationis significatio, de qua agit Gal. in præsentia. Secundo, supponendum est Gal. prius tradere pulsus qui reperiuntur in omni inflamatione in communi, sive sit in principio, sive in augmento, sive in statu, sive in diclinatione, descendens postea ad pulsus qui reperiuntur in quacumque inflammatione in prrticulari, & propria.

Quibus præmonitis, docet Gal. in omni inflammatione in communi reperiri plsuum veluti serratilem, ita

ut alia pars arteriæ videatur dilatari, alia vero quæ durior est non adeo percipiatur, ratio hujus rei est, quia cum in omni inflammatione maxima tensio reperiatur; propter repletionem factam ex humoribus in ipsa contentis, & hæc tensio inæqualis sit in arterijs ibi existentibus, quia inæqualiter sunt illæ arteriæ ab humore repletæ, propterea fit, ut illa pars arteriæ quæ nimis repleta est, & dura non posit libere dilatari: illa vero quæ non ira repleta est, & non ita dura magis dilatetur, sicque pulsus serratilis necessario sequitur. Deinde in omni inflammatione fit pulsus aliquantulum vibratus, quia in quavis inflammatione facultas valida est, instrumentum durum, & usus adauctus, quæ omnia necessaria sunt ad pulsum vibratum. Fit etiam in inflammatione pulsus celer, & frequens, quia cùm usus sit adauctus, illique non posit magnitudo satisfacere, celeritas supplet defectum, & quod deficit de celeritate supplet frequentia, non tamen semper magnus reperitur pulsus in inflammatione, quoniam magnitudini motus, durities arteriæ resistit.

Sed obiiciet aliquis in lethargo, & peripneumonia non fiunt pulsus serratiles, sed potius molles, igitur, non in omni inflammatione reperietur pulsus serratilis. Huic respondeo, lethargum, & peripneumoniam semper fieri ab humore pituitoso, atque ita propter nimiam illius humiditatem impeditur arteriæ durities: at vero sententia Gal. solum est intelligenda, quando durities arteriæ ab aliquo non impeditur à mollitie scilicet humoris ad ipsam venientis.

¶ *At vero cuique est proprius, nascenti quidem major justo, & vehementior, & celerior, & crebrior, &c.*

Agit deinde Gal. de mutatione pulsus quæ fit in qualibet inflammatione in particulari, in quibus mutantur pulsus, vel ratione temporum inflammationis, vel ratione illius magnitudinis, vel ratione variæ naturæ partis inflammatæ, vel tandem ratione symptomatum quæ in ea reperiuntur. Primum autem sciendum est, in qualibet inflammatione duo tempora reperiri, tempus scilicet fluxionis, & tempus coctionis humoris. Vnumquodque autem horum in quatuor alia tempora dividitur, principium scilicet augmentum; statum, & declinationem. Quo posito, vario modo mutantur pulsus ratione temporum inflammationis: nam in principio inflammationis major justo fit pulsus, vehementior, celerior, & frequentior; major quidem; quia usus est adauctus, & instrumentum obediens, cum arteria parum sit tensa; vehementior, quoniam facultas robusta est, & maxime concitatur ad expellendam causam infestantem; celerior vero, & frequentior, quia non sufficit magnitudo ut usui satisfaciat. In augmento inflammationis augetur magnitudo, vehementia, celeritas, & frequentia ob causas dictas, & tunc fit pulsus durus, & vibratus, cùm adaugeatur tensio, & arteriæ magis repleantur propter majorem copiam humo-

humoris qui ad partem fluit. In ſtatu durior eſt pulſus, & magis vibratus ob cauſas dictas, ſed minor quam antea, & merito ſane, quia ſi durior eſt, & magis vibratus; arteria non ita poterit libere dilatari: non tamen fiet pulſus languidior niſi facultatem labefactet inflammatio, quod ſolet aliquando accidere ſi ingens ſit inflammationis calor, aut dolor qui eam ſequitur; ſit etiam pulſus celer, & frequentiſsimus propter uſum maxime adauctum cui non poteſt magnitudo ſatisfacere. Tandem ſi inflammatio diutius perſeveret, nempe quando fit ex ſanguine valde craſſo, & in ſcirrhum terminetur, tunc fiet pulſus durus cum gracilitate conjunctus, quia non multum urget uſus; neque inſtrumentum eſt obediens.

Hæc omnia quæ dicta ſunt, non de omni inflammatione intelligenda veniunt, ſed ſolum de illa quæ magna eſt, vel aliquam partem principem occupat, quoniam ſi inflammatio exigua ſit, & in aliqua peculari parte reperiatur, talis erit pulſus, qualem diximus eſſe in parte inflammata, nimirum major minus ſerratilis, atque vibratus, & minus celer, & frequens. Atque hoc modo mutantur pulſus ratione temporum inflammationis, & rationis illius magnitudinis. Tertio, variatur pulſus pro varia ac diverſa natura partis inflammatæ; namque ſi inflammatio exiſtat in partibus nervoſis, & membranoſis fient pulſus duriores, & magis ſerratiles propter majorem tenſionem, cùm partes ſint magis duræ; minores tamen, qua propter duritiem non poteſt libere dilatari arteria, quod, ſi reperiatur inflammatio in pattibus carnoſis, & mollibus fient pulſus minus ſerratiles, minus duri, majores, & magis inæquales, quia cùm hæ partes ex ſua natura ſint humidiſsimæ, exigua reperitur tenſio magis vero inæqualis fient pulſus, ex eo quod in partibus carnoſis majores reperiuntur arteriæ, ſicque fit, ut earum inæqualitatem facilius percipiamus. Tandem mutantur pulſus ratione ſymptomatum quæ cum varijs inflammationibus conjunguntur: nam inflammato ſepto tranſverſo ſequitur convulſio: inflammato pulmone ſequitur ſuffocatio: inflammato orificio ventriculi fiunt ſyncopes, & ſic de reliquis, ratione quorum ſymptomatum varia accidit in pulſibus mutatio.

DE PVLSV PLEVRETICORVM.

¶ *Pleureticorum celer pulſus eſt, & creber, nec ad modum magnus Videatur etiam vehemens eſſe, &c.*

PLeuritis eſt inflammatio membranæ coſtas ſuccingentis, quæ exquiſita pleuritis dicitur, & de hac aigit Gal. in loco. In pleuricitis ergo fit pulſus celer, & frequens, non admodum magnus, & ad apparentiam vehemens: Imprimis pulſus fit celer, & frequens propter uſum adauctum, qui in pleuriticis ad eſt, quoniam cùm in pleritide ingens adſit inflammatio in ipſa pleura, & pars ſit maxi-

me

me vicina cordi, ex illa quidem vapores putres elevantur qui delati ad cor, sunt causa febris acutæ ex qua maxime usus adaugetur: & cum magnitudo non admodum sit magna, non potest ipsi satisfacere, atque ita celeritas, & frequentia supplent quod de magnitudine deficere videtur. Deinde fit pulsus non admodum magnus in pleuriticis propter tensionem, & duritiem instrumenti ab inflammatione factam, namque cùm arteria valde sit dura, & tensa inobediens maxime est dilatationi, sicque pulsus fit non admodum magnus. Hoc autem, de principio pleuritidis est intelligendum in quo non adhuc multa tensio reperitur in arteria, & in hoc sensu loquutus etiam fuit Gal. 2. de crisi. cap. 10. quando dixit, in pleuritide pulsum magnum reperiri: in alijs vero temporibus parvus est pulsus in pleuritide, nullamque magnitudinem obtinet. Tandem in pleuriticis pulsus vehemens per apparentiam reperitur, quamvis re vera non sit vehemens, quod accidit propter duritiem instrumenti, quia cum arteria sit dura quandam falsam vehementiam repræsentat: ratione igitur pleuritidis, nec vehemens, nec languidus existit pulsus; proprius tamen pulsus in ipsa, durus, & serratilis debet esse propter maximam tensionem.

Animadvertit autem Gal. frequentiam quæ reperitur in pulsu in pleuriticis non semper esse æqualem, sed variari pro diversa natura humoris inflammationem facientis, nam si humor fuerit biliosus, cùm febris augeatur, & vires cordis labefactentur, major frequentia reperietur in pulsu propter usum maxime adauctum. Ex hac pleuritide ab humore bilioso facta prædicit Gal. futuram esse syncopem, aut peripneumoniam, & delirium etiam aliquando; syncopem quidem, quia cùm humor biliosus maxime sit tenuis multi spiritus dissipantur, qui sunt causa syncopis; peripneumoniam vero, quoniam ob eandem humoris tenuitatem facile transludat ad pulmonem, & in eo inflammationem excitat; aliquando etiam delirium solet accidere ex pleurite ab humore bilioso proveniente propter vapores acres, & mordaces ad cerebrum ascendentes qui ipsum valde mordicant, & irritant. Quod, si humor qui facit pleuritidem fuerit pituitosus, & frigidus, tunc cùm usus non ita augeatur minor erit frequentia in pulsu: & ex hac pleuritide prædicit Gal. futuram esse cataphoram, & paralisim; cataphoram quidem, quia ex humore pituitoso vaporosa quædam excrementa, & calliginosa ad cerebrum ascendunt, ipsumque valde humectant, & gravant, & ita cogunt hominem sopiri, & in gravem somnum deferri; quod, si cerebrum robustum sit, ita ut excrementa hæc possit à se propellere, sequitur paralisis, & alij nervorum affectus delato humore ad nervorum principia.

DE

DE PVLSV SVPPVRATORVM.

¶ *Suppuratorum pulsus initio statim pulsuum refert vigescentis inflammationis, &c.*

SVppuratio nomem est ambiguum, varias enim obtinet significationes in lectione Gal. primo namque significant conversionem humoris in pus in qualibet parte corporis factam, & hac significatione usus est Hippoc. 2. aphorism. sentent. 47. Secundo, significat congregationem, seù collectionem puris in cavitate thoracis, nempe inter thoracem, & pulmonem factam ex inflammatione pulmonis, vel ex pleuritide, ut colligitur ex Gal. 3. progn. comm. 60. in qua ultima significatione sumitur à Galen. hoc loco, & hoc modo sequi solet suppuratio sivè emphyema pleuritidem, & peripneumoniam. In principio itaque suppurationis, nempe quando incipit fieri pus, idem pulsus fit atque in statu inflammationis, quia quando inflammatio est in statu, tunc temporis incipit suppurari, igitur quando incipit fieri pus, pulsus erit durior, & magis vibratus, minus vero, quam antea: non tamen fit languidior, nisi morbus superaverit vires ipsius cordis; fit etiam celerior, & frequentior. Fit quidem pulsus durior, & magis vibratus, quoniam dum pus fit, maxima copia vaporum elevatur quæ defertur ad arterias, & maximopere lædit, & impedit. Fit vero pulsus celer, & frequentior, quia quando fit pus dolores, & febres augentur, sicque usus valde adaugetur, & ita celeritas, & frequentia supplent quod deficit de magnitudine. Est etiam aliquando pulsus inæqualis, & inordinatus, ut ait Galen. in contextu, propter certamen quod reperitur inter naturam, & causam morbificam, & propter motum inordinatum vaporum qui huc, & illuc feruntur transitum spirituum impedientes. In suppuratione jam facta pulsus similis est prædictis, inæqualis scilicet, & inordinatus, non tamen adeo, quia non est tanta pugna, neque tot vapores elevantur qui transitum impediant spiritibus: & hoc sibi volunt Gal. cùm dixit, esse pulsum æqualiorem, hoc est, minus inæqualem. In tertio, tandem tempore, nempe quando rupta est suppuratio, & erumpit pus, fit pulsus languidor ex præterito labore imbecilla reddita facultate; latior, quia cùm evacuata sit materia, arteria libere potest dilatari; tardior etiam, & rarior, quia deficit usus, cùm tunc febris jam cessaverit.

DE PVLSV MARCESCENTIVM.

¶ *Marcescentium pulsus non uno modo variat, &c.*

MArcor sivè marasmus est corruptio corporis viventis à siccitate proveniens: hanc appellationem obtinuit hic affectus ob similitudinem flammæ marcescentis quando destituitur alimento. In marasmo igitur non uno eodemque modo pulsus

ſus immutantur: nam in maraſmo torrido, in eo ſcilicet qui ortum ducit ex inflammatione adhuc non diſcuſſa, pulſus fiunt languidi, celeres, & valde frequentes, & decurtati in uno ictu in magnitudine dilatationis, quos Archigenes innuentes, & circumnuētes appellat. Languidi fiunt pulſus, quia facultas eſt languida; celeriores vero, hoc eſt, parum celeres propter uſum adauctum, & languidam facultatem: & cum hæc celeritas non ſit multa non poteſt uſui ſatisfacere, ſicque fiunt etiam pulſus valde frequentes. Tandem pulſus decurtati fiunt in uno ictu, quoniam dilatationis parvitas tanta eſt, ut utrinque paulatim imminuatur, id eſt, in omnibus digitis: nam cùm in his facultas ſit valde imbecilla non poteſt æqualiter partes inferiores, & ſuperiores elevare, ſed paulatim imminui videtur. Deinde ſi maraſmus ſit frigiditati conjunctus, tunc fiet pulſus parvus, languidus, tardus, & rarus, quia facultas languida eſt, & uſus imminutus, qui maraſmus, proprius eſt ſenibus. Tandem in omni maraſmo in communi, pulſus durus reperitur, & hectictus: durus ſane, propter ingentem ſiccitatem quæ in eo adeſt, & aliquando ex hac duritie judicamus an febris hectica tranſierit adhuc in maraſmum; hecticus etiam pulſus reperitur in omnibus maraſmo affectis, quia ſemper eodem modo talis perſeverat, cùm cauſa efficiens maraſmum non ſit in humoribus, neque in ſpiritibus, ſed potius in partibus ſolidis, ſicque ſtabilem, & permanentem ſiccitatem efficit, quemadmodum febris hectica, quæ ſtabilis etiam dicitur affectus.

DE PVLSV PTHISICORVM.

¶ *Pthiſicorum, quos vocant, pulſus parvus, & languidus eſt, & molliſque, & modice celer, atque hecticus.*

PThiſici, proprie illi appellantur, qui habent ulcus in pulmone, qua ſignificatione uſus eſt Hipp. 5. aphor. ſent. 15. & hi comitem ſemper habent febrem hecticam quia æqualiter calefit cor propter continuos vapores ad illum delatos. Alio modo ſumitur pthiſis pro totius corporis abſumptione à quavis cauſa facta, ut colligitur ex Gal. 1. epidem. prrte 1. comm. 13. Gal. hoc loco de pthiſi propria loquitur, nam ex pleuritide non diſcuſſa ſuppuratio ſequitur, quod ſi ſuppurati, intra quadraginta dies non expurgantur, ſequitur ulcus in pulmone docente Gal. 5. aphoriſm. comm. 15. Pthiſicorum pulſus, inquit Gal. parvus eſt, & languidus, quia uſus imminutus eſt, & facultas languida, mollis vero, propter excrementa quæ fluunt ex pulmone quæ arterias molles reddunt; modice celer fit pulſus, quia uſus non eſt valde adauctus. Tandem ſit pulſus hecticus in pthiſi, quia eſt febris hæctica, quæ ſemper ſibi ſimilis perſeverat.

DE PVLSV PERIPNEVmonicorum.

¶ *Peripneumonicorum magnus est pulsus, & undosi quid habens, & languidus mollisque similiter atque lethargicorum pulsus, nisi quatenus præpollet inæqualiter, & in unu pulsu, & collectiva, quam vocant, &c.*

PEripneumonia est inflammatio pulmonis à sanguine crasso, & pituitoso facta. In hoc affectu pulsus est magnus, quia usus est adauctus, instrumentum obediens, & facultas robusta aliquantulum. Habet aliquid undosi hic pulsus, quoniam facultas propter mollitiem arteriæ, & plenitudinem non potest inceptum motum absolvere, sicque veluti fluctuare videtur ad similitudinem undarum maris. Est etiam pulsus languidus, quia facultas non est multum robusta propter arteriæ irrigationem ab humore pituitoso, quæ facultatem veluti infringit, hoc est, non patitur arteria dilatari eo modo ut tactum propellat: nam ad pulsum vehementem requiritur instrumenti mediocritas. Præterea est pulsus mollis in peripneumonia, quoniam licet ratione inflammationis arteria sit tensa quæ pulsum durum efficit: quia tamen causæ quæ arterias molles reddunt exsuperant eas causas à quibus arteriæ fiunt tensæ, propterea pulsus mollis reperietur in peripneumonia: in quo convenit hic pulsus cum pulsu lethargicorum, quia etiam mollis est; distinguuntur vero hi pulsus, quia magis inæqualis est pulsus in peripneumonia quam in lethargo, quoniam cùm sit inflammatio magis vicina cordi magis aggravat ejus facultatem. In pulsu etiam peripneumonicorum inæqualitas quæ reperitur, non solum est in uno pulsu, sed etiam in multis, quam collectivam vocant, quod, verum esse, ex eo depræhendemus quod comprimantur principes arteriæ: tum etiam, quia quam citissime pulmo noxam cordi communicat. Reperitur etiam aliquando in hoc affectu pulsus dicrotus, hoc est, bis pulsans, quod solet contingere, præcipue puando hæc inflammatio à sanguine bilioso, & crasso ortum ducit, qui arterias tendere solet, indurare, & exiccare: hoc autem raro accidit, cùm peripneumonia, ut in plurimum, ab humore pituitoso generetur. Tandem in hoc affectu solet fieri aliquando pulsus intercurrens, aliquando vero intermittens pro varia læsionis magnitudine, quoniam si læsio, fuerit multa, fit pulsus intermittens; si vero exigua sit læsio, pulsus intercurrens ortum ducet.

DE PVLSV LETHARGICORVM.

¶ *Lethargicorum pulsus similis peripneumonicorum est magnitudine, imbecillitate, mollitudine, &c.*

LEthargus est inflammatio cerebri, & tenuis menyngis ex sanguine pituitoso facta. Quare lethargicorum

pulsus similis est, inquit Gal. pulsui peripneumonicorum magnitudine imbecillitate, & mollitie, magnitudine quidem, quia usus adauctus est, & instrumentum obediens; imbecillitate, quia facultas languida est, & contentio remissa propter instrumenti mollitiem: mollitie vero, quia arteria mollior sese offert tactui propter illius irrigationem ab humore pituitoso. Cæterum quamvis hi pulsus in his quæ dicta sunt conveniant: distinguuntur tamen, quia in lethargo affectis pulsus tardior est, quoniam minus urget usus caloris febrilis: in peripneumonia vero magis rarus est pulsus, hoc est minus frequens, quia magis est adauctus usus propter acutam febrem, & vicinitatem cum corde. Distinguuntur etiam hi pulsus, namque in lethargo pulsus minus est inæqualis, quoniam cùm inflammatio magis distet à corde minus opprimit facultatem: in peripneumonia vero majorem inæqualitatem obtinet pulsus, quia cùm propinquior sit affectus ipsi cordi magis incitatur facultas ad noxam expellendam.

Præterea in lethargo pulsus magis est intermittens quam intercurrens, quoniam facultas statim languida redditur, quia obruitur calor nativus cerebri, & reliquarum partium à nimia frigiditate, & humiditate. Nonnunquam etiam accidit ut in lethargo pulsus sit dicrotus, fieri enim potest aliquando ut in lethargo maxima copia humoris biliosi sit permixta cum pituitoso, & aliquantulum indurescat arteria, ex cujus duritie fiat pulsus dicrotus. Tandem lethargici proprium habent pulsum, nempe undosum, præcipue ubi somnus in eis, fuerit maxime profundus, quia ab humore illo pituitoso irrigantur atque humectantur arteriæ.

DE PVLSV PHRENITICORVM.

¶ *Phreniticorum parvus pulsus est: rarissime autem conspectus est magnus esse, &c.*

PHrenitis est inflammatio tenuis menyngis à bilioso humore ortum ducens: in hoc enim affectu major portio humoris reperitur in tenui menynge, quamvis aliqua communicetur substantiæ cerebri: non secus ac in lethargo reperitur major quantitas humoris in cerebri substantia, reliqua vero in tenui menynge. Pulsus igitur phreniticorum parvus est, non quia deficit usus, sed quia instrumentum adeo est inobediens, & durum propter tensionem ab inflammatione factam, ut repugnet maxime magnitudini motus: quamvis interdum posit accidere ut pulsus magnus sit, nempe quando humor qui causa est phrenitidis paucus est, & major illius quantitas in substantia cerebri reperiatur. Est etiam in phrenitide pulsus moderate vehemens, quoniam non multum languida est facultas, & arteria ita est disposita, ut posit facultas eam contendere. Est itidem pulsus durus, & nervosus; quia propter tensionem arteria dura est;

est; namque cùm in hoc affectu maxima adsit inflammatio, parsque inflammata membranosa sit, & humor inflammationem faciens calidissimus, & siccissimus, propterea durus pulsus, & nervosus excitatur. Præterea in phrenitide est pulsus valde celer, & frequens, quia cum dilatatio arteriarum maxime impediatur ab earum duritie, proinde celeritas, & frequentia supplent magnitudinis defectum. Accidit etiam nonnunquam ut pulsus sit undosus, sicuti in lethargo dicrotus, quando scilicet aliqua portio humoris pituitosi fluit ad inflammationem, hoc autem raro accidit, ut docet Gal. 1. de caus. puls. cap. 14. In phrenitide quoque pulsus subtremere videtur, quia cum facultas quæ est in arterijs eas distendere conetur propter usum adauctum, idque arteriæ durities prohibeat, propterea pulsus veluti tremere videtur, quod præcipue accidit ubi imminet syncopes propter virium lapsum. Fit etiam pulsus intercisus cum convulsione quadam, id est interrumpitur motus arteriæ, præcipue quando phrenitis est lethalis, & imminet convulsio, quod accidit ob maximam tensionem, & siccitatem. Tandem in phrenitide pulsus inæqualis reperitur inæqualitate febrili in qua dilatatio celerior est in principio, & fine: quam inæqualitatem obtinent etiam illi omnes qui propter aliquam inflammationem internam febre corripiuntur: ratio hujus rei est, quoniam cùm maxime usus dilatationis sit adauctus, facultas celerem dilatationem efficere conatur, cùm autem arteriæ durities impedimento sit quo minus omnem celeritatem acquirat, pro inde in medio dilatationis veluti quiescit arteria, & tardiorem motum efficit: cumque postea usus compressionis etiam urgeat eademmet celeritatem versus compressionem aggreditur, sicque fit pulsus inæqualis inæqualitate febrili.

DE PVLSV TYPHOMANICORVM.

¶ *Jam etiam alius est affectus, qui sive medio loco ponendus sit inter lethargum, & phrenitim, ut qui cum neutro in totum conveniat, &c.*

Typhomania mixtus est affectus ex phrenitide, & lethargo, non enim est idem cum lethargo, cùm particeps sit humoris biliosi, neque idem cùm phrenitide, cùm participet etiam ex humore pituitoso. Dicitur etiam mixtus hic affectus ex phrenitide, & lethargo, quia est inflammatio facta ab humore bilioso, & pituitoso. Qui ergo pulsus fiant in hoc affectu, facile constat ex his, quæ de pulsu lethargicorum, & phreniticorum dicta sunt. Celeres itaque fiunt pulsus, & frequentes, sicuti in phrenitide, sed minus, quia minor est calor: minus etiam roboris obtinent quam illi: non sunt tamen adeo languidi, ac in lethargo, quia calor non adeo oppressus. Fiunt etiam in hoc affectu pulsus lati, & breves, breves quidem, quia cùm non possit tota arteria dilatari ob tensionem, ne-

cessario fieri debet pulsus brevior, lati vero fiunt pulsus, quoniam cùm arteria non posit in trinam dimensionem dilatari, ut longitudinem ammitat, latitudo, ejus defectum snpplet.

DE PVLSV CATOCHORVM.

¶ *Catochorum pulsus (catochous enim, & catechomenous veteres Græci appellabant juniores ipsum affectum catochin, & catalipsin vocant) &c.*

Catoche sive catalepsis est detentio, comprehensio, sive congelatio totius corporis in qua tali figura remanent ægrotantes, qualem obtinebant eo tempore quo fuerunt catalepsi comprehensi. Affectus est partis posterioris cerebri ab intemperie frigida, & sicca factus cum humoris melancholici affluxu. Catochorum igitur pulsus, inquit Gal. lethargicorum pulsibus similes sunt, in magnitudine, tarditate, raritateque: nam quemadmodum in lethargo pulsus magni sunt, tardiores etiam, & rariores, quam in phrenitide, quia usus non ita est adauctus: ita etiam in catoche pulsus sunt minores, tardiores, & rariores quam in lethargo; minores sane, quia in hoc affectu usus non est adauctus, cùm non adsit febris, & arteriæ molles non sunt, sed potius duræ, & ita non facile dilatantur; tardiores etiam sunt pulsus, & rariores, quia non est adauctus usus. Distinguuntur autem hi pulsus inter se, quoniam in catoche, pulsus non sunt molles, & languidi, quemadmodum in lethargo, cum arteriæ non sint molles neque facultas languida, sicut in lethargo, cùm arteriæ non sint molles neque facultas languida, sicuti in lethargo. Discrepant etiam, quia in lethargo totus habitus corporis laxatur, & intumescit; in catoche vero, è contra, cogitur, atque constipatur totum corpus, quod fit propter contrarios humores à quibus excicantur hi duo affectus. Distinguitur tandem hic pulsus æqualitate, & inæqualitate: in catoche enim pulsus æqualis est, in lethargo vero inæqualis propter arteriæ compresionem, & facultatis oppesionem.

DE PVLSV CONVVLSORVM.

¶ *Convulsorum ipsum corpus arteriæ videtur contractum, ac undequaque coarctatum, non seu compressum sit, &c.*

Convulsio est motus depravatus involuntarius quo partes nervosæ motui deservientes retrahuntur versus suum principium, Gal. 2. de caus. puls. cap. 12. docet, affectus nervorum communionem obtinere cum corde ob permixtionem aliquorum nervorum cum arterijs: unde fit, ut retracta parte nervosa versus suum principium, necessario quoque tendatur arteria, ideoque fit motus inæqualis arteriæ ad modum chordæ sursum deorsumque agitatæ: in convulsione enim non reperitur dilatatio distincta à compresione, sed veluti sur-

ſurſum exilit, & poſtea violenter verſus partem internam retrahitur, ſicque merito dicitur à Gal. pulſum in convulſione ſimilem eſſe vibrato, qui fit ob inſtrumenti inobedientiam ex nervorum tenſione ortam. In convulſione etiam, pulſus vehemens, & magnus videtur eſſe, quam ſit ex ſua natura ob motus antea dictos: nam quando ſurſum trahitur arteria, exterius exilere videtur, & ob maximam tentionem, apparet robuſtior: unde aliquando, quando ſurſum trahitur arteria, latior videtur: alias vero ubi deorſum trahitur veluti ſtrepitum quendam facit aſperum ad tactum, id eſt arteria offert ſeſe alta in una parte, in alia vero minus alta: non tamen neceſſarium eſt, ut pulſus convulſorum parvus ſit, & languidus, nam non ſtatim imminuitur uſus, & facultas languida redditur.

DE PVLSV PARALITICORVM.

¶ *Paraliticorum parvus pulſus, & imbecillus, tarduſque eſt, &c.*

PAralyſis eſt privatio ſenſus, & motus in una tantum parte ob impeditum tranſitum facultatis animalis in principio nervorum. In hoc igitur affectu pulſus parvus, tarduſque eſt, quia cùm ſit affectus frigidus uſus eſt imminutus; languidus quoque eſt, quia infirma redditur facultas: nonnullis rarus eſt, alijs vero frequens ſi facultas imbecillior reddita ſit; & hæc paralyſis in qua hæc frequentia reperitur facit reſpirationem impeditum, & fient pulſus inæquales, & nonnihil inordinate intermittantes: inæquales, quia arteria eſt aliquo modo impedita à frigiditate, & humiditate humoris: nonnihil etiam inordinate intermittunt, quia facultas reddita eſt languida à materia frigida.

DE PVLSV EPILECTICORVM, & Appoplecticorum.

¶ *Comitialium, & attonitorum ſimiles pulſus ſunt, &c.*

EPilepſia eſt motus totius corporis convulſivus non perpetuus, ſed per intervalla factus cum mentis læſione. Apoplexia vero eſt privatio ſenſus, & motus in toto corpore dempta reſpiratione, ob impeditum tranſitum ſpirituum animalium. Hi duo affectus ratione majoris, & minoris ſolum diſtinguitur: major namque obſtructio reperitur in ventriculis cerebri in apoplexia, quam in epilepſia, propterquam cauſam, inquit Gal. in contextu, epilepticorum, & apoplecticorum ſimiles eſſe pulſus, cum ſolum ſecundum magis, & minus inter ſe diſcrepent. In epilepſia igitur, dum modice infeſtatur natura, & morbus non adhuc multum eam ſuperavit, nulla inſignis reperitur in pulſu mutatio in magnitudine, vehementia, celeritate, & frequentia, igitur exigua ſe quetur mutatio in his pulſuum differentijs: ratio hujus rei eſt, quia cum in hoc affectu maxima concuſsio, & irritatio ad ſit in

om-

omnibus partibus nostri corporis ad hoc ut noxium humorem expellant, simul quoque excitabitur cor ad expulsionem, & suo conatu pulsum efficiet magnum, vehementem, celerem, & frequentem. Fit etiam pulsus aliquantulum durus in epilepsia, quia tenditur arteria ob nervorum convulsionem. Quod, si epilepsia ita gravis sit affectus, ut facultatem oneret, & gravet, tunc pulsus inæqualitatem quandam comparabit, & validam tensionem, quoniam cor ob cerebri consensum maxime agravatur ab humore facultatem cerebri opprimente, & ob hanc oppresionem reddetur pulsus minor, languidior, tardus, & rarus. Si tandem humor magnopere oprimat, facultatemque deijciat, tunc pulsus languidos, parvos, & celeres procreabit. Jam vero in apoplexia eædemmet differentiæ pulsus reperiuntur, præterquam intensiora appareant, quam in epilepsia: in illa enim; pulsus magis est languidus, parvum, tardus, & magis rarus, quia major est affectus: non autem adest pulsus durus in illa, veluti in epilepsia, quoniam in hac, arteria tensa est, sicuti in convulsione, non autem in apoplexia.

DE PVLSV ANGINÆ.

¶ *Anginæ pulsus tensione quadam præditus est convulsivo per simili, &c.*

ANgina in universum est difficultas respirandi nullo existente vitio in pectore aut pulmone: nos hic solum loquimur de inflammatione earum partium quæ in gutture, sunt quam febris necessario sequitur, & respirandi difficultas. In angina itaque pulsus tensione quadam præditus est simili tensioni quæ in pulsu convulsio reperitur; nam cùm in ea adsit inflammatio, & pars inflammata nervosa sit, cordique vicina, ideo multum tenditur arteria. Magnus etiam est pulsus in angina, & undosus, veluti pulsus peripneumonicorum; magnus sane, quia usus adauctus est, undosus vero, quando inflammatio non reperitur in parte nervosa, & non fit ab humore bilioso, sed potius pituitoso, transmutaturque angina in peripneumoniam: tunc enim necessario habet aliquid undosum: si vero angina in convulsionem transmutetur, tunc pulsus tensus apparebit, similis convulsio. Quod, si angina ita adaugeatur, ut suffocare videatur ægrotantem, tunc pulsus fit parvus, & rarus propter usum imminutum, & facultatis imbecillitatem. Si tandem ægrotantes proximi sint morti, pulsus frequens fit, & inæqualis, frequens, propter maximum langorem, qui dilatationis facit frequentes, parvas tamen; in qualis vero, quia facultas valde oppressa est.

DE

DE PVLSV ORTHOPNOEÆ.

¶ *Orthopnœa acuta inæqualem, & inordinatum pulsum habet, & nonnihil deficientem, &c.*

ORthopnœa est affectus in quo ægrotantes non possunt respirare, nisi erecto thorace; hic morbus longus est, & accessiones habet acutas, sicut epilepsia, & ob hanc causam dixit Gal. in contextu, orthopnœam acutam. In hoc affectu pulsus fit inæqualis, & inordinatus; inæqualis quidem, ob maximam oppressionem facultatis ab onere, & repletione humorum crassorum, qui asperas arterias replent; inordinatus vero, quia ordinis perturbatio semper conjungitur cum inæqualitate. Fit etiam pulsus nonnihil deficiens seu decurtatus, quia facultas non potest totam arteriam æqualiter dilatare ob oppressionem. Atque hi sunt pulsus communes omnibus orthopnœis. Deinde othopnœa quæ mediocriter est gravis, propter dictas differentias, frequentiam habet in pulsu, quia usus auctus est, & facultas languida. Quæ vero vehementissima est, pulsum habet tardum, & deficientem, quoniam usus valde est imminutus, & facultas languida. Quod, si orthopnœa morti proxima sit, frequentem, & languidum reddit pulsum, quia usus maxime urget, & ob langorem facultaris, tam exigua est dilitatio, ut necessarium sit superveniat frequentia.

DE PVLSV VTERINÆ SVFFOCATIONIS.

¶ *Vterinæ suffocationis pulsus, ut si convelleretur, protensus est, & rarus, &c.*

SVffocatio uteri, ab alijs hysterica passio dicta est: est autem retractio uteri versus partem dexteram vel sinistram: illam vero appellationem obtinuit, quia vapores elevati ex sanguine menstruo vel semine in utero retento, sursum feruntur, & veluti soffocari videntur mulieres compresso septo transverso vel musculis laryngis: qui, si deferantur quoque ad caput, epilepsiam per consensum excitant: si vero ad nervos, convulsionem. In uterina igitur suffocatione fit pulsus maxime tensus, & rarus: ratio est, quia cum in hoc affectu multum refrigeretur cor, & tendantur arteriæ ob validam uteri distentionem, qui inter partes nervosas adnumeratur a Gal. propterea pulsus maximam tensionem obtinet, quasi convulsione laboraret ægrotans, quia vero frigidus est affectus, ideo adjuncta est raritas. Quod, si hic affectus exitialis sit, pulsus fit frequens, inordinatus, & nonnihil deficiens sive decurtatus; frequens, quidem quia cum usus adauctus sit excitat facultatem ad frequenter pulsandum, quæ ob imbecillitatem id præstare nequit sicque ob hanc imbecillitatem, maximamque oppressionem, inæqualis, inordinatus, & aliquantulum deficiens fit pulsus.

DE

DE PVLSV ORIFICIJ VENTRICULI AFFECTI.

¶ *Stomachus affectus (ut sic vocemus in præsentia os ventriculi, quod is usus apud vulgus obtinuit) non uno modo commutat pulsum, &c.*

ORificio ventriculi affecto, varia in pulsu accidit mutatio: neque hæc pars maximum habet consensum cum corde, non solum ob vicinitatem, sed etiam ob communionem quam obtinet cum ipso. Et quamvis orificium ventriculi varijs afficiatur affectibus, illos tamen ad tria solum capita revocare possumus: nam vel afficitur hæc pars inflammatione sive tumore aliquo præternaturam, vel intemperie nuda, vel tandem intemperie cum humoris affluxu. Si inflammatio aut tumor aliquis præternaturam infestent ventriculi orificium, tunc pulsus fient duri ob maximam nervorum copiam, quales fieri solent in inflammatione partis nervosæ. Si orificium ventriculi afficiatur aliqua intemperie nuda, tunc varia in pulsibus mutatio evenit pro diversa intemperiei natura nam si intemperies fuerit calido fient pulsus qui familiares sunt usui adaucto. Idem judica de alijs intemperibus. Tandem si ventriculi orificium afficiatur intemperie ex affluxu humoris à qua excitantur mordicationes, compresiones, singultus, vomitus, nauseæ, dolore, aliaque simptomata, vario itidem modo immutabuntur pulsus; morbus enim ventriculi, vomitus, nausea, singultus, & langor non solum parvum, & languinum pulsum efficiunt, & modice celerem sed etiam admodum frequentem; languidum quidem, & parvum, ob imbecillitatem facultas magnitude dilationis non potest usui satisfacere: si autem facultas non sit valde exoluta, acquirit pulsus aliquid celeritatis. Quod, si orificium ventriculi compresione afficiatur, vel ob multam alimentorum quantitatem, vel copiam humorum aliunde fluentium, tunc fiet pulsus, rarus, tardus, parvus, & languidus, quia à valida illa oppresione refrigeratur calor, & languida redditur facultas: hæ autem differentiæ pulsus multo magis manifestiores apparebunt, si, id quod comprimit ventriculi orificium, habeat vim refrigerandi, & propter hanc causam in bulimo tales pulsus reperiuntur.

DE PVLSV HIDROPICORVM.

¶ *Atque intercutem pulsus, Ascitæ parvus, crebrior, subdurus cum quadam tensione est, &c.*

HIdrops est tumor ventris seu totius corporis ob vitiatam hepatis sanguificationem. Tres sunt ejus differentiæ, ascites, tympanites, & anasarca: in ascito pulsus parvus est, frequentior, subdurus, & cum quadam tensione, ratio est, quia cùm ascites fiat à nimia quantitate humoris

aquosi

aquosi in cavitate abdominis collecti, & aliquam etiam portionem flatuum habeat adjunctam, proterea arteriæ tenduntur, & opprimuntur ob gravitatem, aquæ, & ob multam humiditatem refrigerantur: ob hanc igitur arteriarum tensionem ascites facit pulsum subdutum cum quadam tensione, & quia facultas cordis læditur, & calor refrigeratur, pulsum facit parvum, ideoque frequentiorem, præcipue si ascites febrem habuerit adjunctam. In hydrope tympanite dicta pulsus fit longior, celerior, frequens subdurus cum quadam tensione: nam cum in ea, multa substantiæ flatuosæ quantitas collecta sit in cavitate abdominis cum portione aliqua humoris sensi, ideo non ita opprimit arterias, minusque facultatem labefactat, quam ascites, atque ita pulsus minus languidus est, est tamen celerior, & frequens: & quia non minus tendit arterias, ideo pulsus etiam est subdurus cum quadam tensione, veluti in ascite: longior etiam est pulsus in tympanite, quia motus arteriæ à nullo corpore circumiacente impeditur, & obscuratur, cum solus flatus posit communicari, non autem humiditas. Tandem in anasarca pulsus undosus est, latior, & mollis, quia in hac hydrope totum corpus imbutum est irrigatum nimia humiditate, & tunicæ arteriarum molles redditæ sunt, ideoque pulsus fiunt molles, undosi, & latiores.

DE PVLSV ELEPHANSIASIS.

¶ *Elephansiasis pulsus, parvus, languidus, tardus, creberque est.*

Elephansiasis Græcè. Latine idem est quod lepra: est autem tumor præternaturam ab humore melancholico factus ex quo omnes partes corporis nutriuntur. In hoc ergo affectu fit pulsus parvus, languidus, tardus, & frequens: hoc autem intelligendum est, non de elephansiasi incipiente, sed de ea quæ plurimum increvit, adeo, ut facultatem valde languidam reddat: nam hæ differentiæ pulsus apparent quando facultas labetactata est à causa frigida.

DE PVLSV ICTERICORVM.

¶ *Ictericorum pulsus est, si absit febris minor, durior, crebior, non languidus, nec celer.*

Icterus, alio nomine morbus regius sollet appellari: qui est depravatus totius corporis color ad flavum vel nigrum tendens. Duplex est icterus, flavus, & niger: flavus fit à bile flava: niger vero, ab humore melancholico. Galen. hoc loco solum agit de ictero flavo, docens, in hoc affectu, si non adsit febris, pulsum esse minorem, duriorem, & frequentiorem; non vero languidum, & celerem; minorem quidem, & duriorem, quia cùm flava bilis, à qua hic affectus ottum ducit, maximam vim exic-

candi obtineat, veluti muria, idcirco arteriarum tunica non solum indurat, vel etiam deficcat, sicque pulsum duriorem simulque minorem efficit, ex eo quod instrumenta ob duritiem libere dilatari nequeant frequentiorem vero efficicit pulsum, ut frequentia suppleat magnitudinis defectum: non vero efficit pulsum languidum, nec celerem, qui non est imbecilla facultas, & non adest febris, quia, si hæc sit adjuncta, ex eo quod urgeat usus, tunc celer fiet pulsus.

DE PVLSV EORVM QVI VERAtrum sumpserunt.

¶ *Veratrum qui sumpserunt, qui paulo ante vomitum ubi comprimantur pulsum habent latum rarum languidiorem, tardiorem, &c.*

VT huic disputationi finem imponat Gal. disserit tandem de pulsibus eorum qui veratrum sumpserunt. Veteres autem Medici frequentissimi utebantur ad humores crassos expurgandos hoc medicamento, ut ex varijs Galen. locis colligere licet: cæterum, quia vehementissimum est medicamentum, & varia solent subsequi symptomata ex illius usu, nimirum suffocationes, motus convulsivi, singultus, convulsiones, syncopes, & alia hujusmodi, propterea illius usus maxime suspectus est hac nostra tempestate, tum ob illius vehementiam, tum etiam, quia incertum est, utrum veratrum quod apud nos extat, antiquorum sit, neque. Est autem veratrum, sive elleborus (de albo loquimur) vehementissimum quoddam medicamentum quod humores crassos per vomitum expurgat familiaritate substantiæ, ad cujus assumptionem, maxima præparatio ex parte corporis requiritur, ut crebris scilicet vomitionibus assuefiat docente Gal. 4. aphor. com. 13. ne tam gravia subsequantur symptomata.

His ita intellectis, Gal. contextum interpretemur. Qui veratrum sumpserint, inquit Gal. hi paulo ante vomitum, quando maxime opprimitur ventriculi orificium à nimia quantitate humoris ibi attracti, pulsum habent latum, rarum, languidiorem, & tardiorem, quia tunc temporis facultas valde labefactata est, usufque imminutus ob nimiam illam oppressionem. Quando vero vomunt ægrotantes, & divelluntur, pulsus inæqualis est, & inordinatus, inæqualis quidem, quia cùm maximum edat conatum ventriculus, nervi multum tenduntur, sicque facultas nequit arterias libere dilatare, unde pulsus sequitur inæqualis; inordinatus vero, quia ordinis perturbatio semper sequitur inæqualitatem, At ubi melius se habere cœperint ægrotantes, & evomuerunt jam inordinatum, quidem etiam obtinent pulsum, sed inæqualem adhuc minus tamen, quam antea, quia arteriæ jam aliquam tensionem amiserunt. Tandem quando jam ad naturalem statum reverterint ægrotantes, æqualitate in pulsu recuperant, & fit major, vehementiorque pul-

pulsus, quam antea. Cæterum, quia plura solent subsequi symptomata ex veratri assumptione, veluti syncopes, convulsiones, & singultus, propterea in his, fient pulsus parvi languidi, inordinatique, quia facultas languida est, & maxime oppressa: celeres etiam, si facultas sit aliquantulum robusta: & multum frequentes, ut usui satisfaciant. Tandem si suffocentur ægrotantes ob nimiam humoris quantitatem, & crassitatem, in his fiet pulsus parvus, languidusque, ob imbecillitatem facultatis: inordinatus, & inæqualis, ob multa excrementa in ventriculo detenta: non autem frequens, nec celer, imò potius tardus, quia ob oppressionem usus est diminutus, atque ita pulsus magis tardus est: repræsentat tamen aliquid undosi, quia inæqualitas illa, hunc pulsum vermiculantem dictum constituit, quod nonnihil undosi obtinet, licet non sit re vera undosus: nonnihil etiam latitudinis obtinet, atque parvam quandam arteriæ tensionem ob calidos humores ibi impactos, qui tensionem faciunt, quamvis usum non adaugeant. Atque hæc sunt quæ pertinent ad hujus libri de pulsibus ad Tyrones explanationem.

JOANNIS BAPTISTÆ NAVARRO CASTVLLONENSIS, DOCTORIS MEDICI, ET MEDICINÆ IN VALENTINA SCHOLA PROFESSORIS.

IN DVOS GALENI LIBROS DE FEBRIVM DIFFERENTIIS, Explanationes.

NICOLAO LEONICENO VICENTINO INTERPRETE.

PRÆFATIO.

CVM proximis ſuperioribus annis diſputationem de urinis, & pulſibus abſolverimus (*ſtudioſiſſimi juvenes, meique amantiſſimi*) quæ duo; maxima, ac præcipua ſigna ſunt, quæ nos in cognitionem deducunt affectuum: & partium affectarum, ac præcipue febrium, docente Galen. 1. ad Glauco, cap. 2. Jam nunc, ut ad particularia magis accedamus, de febribus diſputationem inſtituimus, ut commodius ad praxim accedere valeatis. Namque tres iſti tractatus maxime neceſſarij ſunt ad curationem, cum ex illis tota methodus curatoria dependeat: quis enim, quæſo, alicujus affectus, aut febris curationem aggredietur, niſi exactam de pulſibus, & urinis cognitionem habuerit, & quis ſane febrium curationem ſuſcipiet, quin prius earum differentias, cauſas, & ſigna ad unguem calleat? nullus ſane. Qua propter cum hæc omnia tam neceſſaria ſint ad curationem, merito poſt tractationem de urinis, & pulſibus, duos libros Gal. de febrium differentijs explanandos aggredimur, juxta verſionem doctiſsimi Nicolai Leoniceni, cum magis correcta cenſeatur, & ab

erro-

erroribus, mendacisque libera.

Inscribitur itaque hoc opus, *de differentijs febrium*, idem autem est agere de febrium differentijs, ac de febrium generibus, aut speciebus: namque, ut docet Gal. 11. lib. meth. med. cap. 1. nihil refert, si quis genus, aut especiem, aut differentiam dixerit; verum quamvis titulus solas febrium differentias polliceatur; nihilominus tamen simul quoque tradit Gal. earum causas, modum generationis, & signa, quibus eas dignoscere valeamus. Quo circa non erit difficile, institutum Gal. intentum, sive scopum toto hoc opere colligere: intendit enim omnium febrium differentias, adducere dividendo summum genus per primas differentias, & eas rursus, per alias ijs proximas, & sic deinceps, donec ad omnium ultimas devenerit quæ nullam fortiuntur divisionem. Instituit quoque exactam, atque exquisitam febrium cognitionem nobis tradere tàm generatim, quàm speciatim omnium differentiarum, & aliarum rerum, quæ ad febres spectant. Quare hæc disputatio non solum ad eam medicinæ partem pertinebit, quæ rationem, & naturam affectuum, & eorundem causas servatur, quæ à Græcis Pathologica dicitur: verum etiam ad illam, quæ de signis Medicis agit, Græce Semioticem dictam.

Quod hi libri, quos interpretandos aggredimus, proprij, ac legitimi sint ipsius Gal. non est quod dubitemus: multa namque sunt quæ id nobis aperte manifestant, modus scilicet loquendi, docendi ratio, & veritas decretorum: imò omnes uno ore profitentur, hos libros ab omnibus fuisse in Galenum, maximum Medicinæ illustratorem, tanquam in Auctorem relatos: & quod magis est, ipsemet Galen. hujus rei fidem facit; 8. enim lib. method. med. cap. 1. horum librorum expresse mentionem fecit, eos inter proprios, ac legitimos connumerans. Methodum quam servat Galen. his libris, certum est esse divisivam: nam quando febrium differentias inquirit, summum genus per primas differentias dividit, & eas mox in alias, donec ad omnium ultimas perveniat, quæ nullas amplius differentes species comineant, quod, proprium est methodi dividendi, ut ab ipso Platone pluribus in locis didiscerat Gal. Vtitur etiam Gal. his libris methodo similium, & dissimilium, veluti cum compareat febrium differentias inter sese, & eas à se invicem secernit: nam, ut ipsemet docet 9. de decret. Hippoc. & Plat. ea quæ inter se similia sunt, diligenter sunt ab artifice distinguenda, ne homonymiam pariant.

Ex his quæ hactenus dicta sunt, satis unicuique patere poterit, quanta sit futura utilitas, dignitasque hujus disputationis: nihil enim in tota nostra arte utilius, digniusque doceri existimo: namque inter omnes morbos nullus est qui magis homines deterreat: nullus qui frequentius mortales invadat: nullusque qui facilius jugulet, quam ipsa febris, propterea-que nihil melius, nihil commodius,

nihil-

nihilque utilius sibi putant ægroti, quam si à febre liberentur; & merito quidem, quoniam vulnerato brachio, aut ventriculo intemperie affecto, aut quavis alia parte laborante, inculpatæ, ac integræ manet aliarum partium functiones: at urgente febre, non una sola pars, sed totum corpus afficitur, adeo, ut omnes actiones concidant, decumbereque cogamur, & omnia vitæ munia intermittere. Deinde febris morbus est frequentissimus, maxime vulgaris, & communis omnibus ætatibus, regionibus, & temperaturis, adeo, ut omnes indifferenter affligat. Præterea febris statim cor, vitæ principium, occupat: affecto vero corde, non solum aliæ corporis partes afficiuntur, sed etiam actiones omnes, vitales, naturales, & animales læduntur. Amplius, febris aliquando ita acutissimus morbus est, ut sævissima soleat inducere symptomata, quorum causa ægrotantes in maximum vitæ discrimen deducuntur. Quapropter tantus fuit apud antiquiores Romanos hujus morbi timor, ut existimantes, Deam quandam esse febrem, Romæ templum Februæ Deæ consecrarint, in quo homines sani assistebant, ne febre corriperentur, & ægrotantes etiam, ut à febre ipsa liberarentur. Tandem utilissima est hæc disputatio ad methodum medendi, sive ad curationem: quoniam cum Gal. his duobus libris omnium differentiarum febrium naturam, & essentiam tradat, nullusque morbus recta methodo possit curari, si essentia ejus ignoretur, ideo hæc disputatio utilissima censebitur ad febrium curationem: quam exercet Gal. ab 8. lib. method. med. usque ad 11. & 1. etiam de arte curat ad Glaucon.

DE FEBRIS NOTIONE, ATQUE natura.

VErum enimvero antequam ad contextus explanationem accedamus, quo dilucidior, ac clarior hæc nostra disputatio evadat, debitoque ordine procedat, aliqua sunt prius de natura, & diffinitione febris in medium proponenda, & dubitationes, quæ ex illa scaturire videbuntur, discutiendæ: ijs enim ignoratis, neque differentias, neque causas, neque signa, immo nec curationem instituere poterimus: quomodo enim, quæso, dividere, ostendere, aut quiduis aliud facere de eo possumus, cujus essentiam ignoramus? Sed quoniam definitionum duo sunt genera, aliud, quod rei notionem tradit, quæ diffinitio nominis appellatur: aliud vero, quod rei naturam, & essentiam explicat, propterea nos febrem definituri, primum & ante omnia ejus notionem trademus, ut commodius postea illius naturam inquirire valeamus, hinc sumentes initium. Affectus ille quem omnes Latini febrem appellant, à verbo antiquo februo, seu ferveo suam obtinuit appellationem, ex eo quod videatur febris immoderatus quidam totius corporis fervor: propter quam causam Græci, *Pyretos*, à nomine *Pyr*, hoc est ab igne, febrem

nuncuparunt, ut animadvertit Gal. 3. de fractur. com. 8. Interdum etiam, *Pyrexiam*, id est, habitum, seu dispositionem igneam, febrem appellarunt. Hippoc. vero 2. epidem part. 3. ægroto 2. & 1. acutorum sentent. 18. non omnem, febrem, sed solum vehementissimam solet ignis nomine nuncupare. Constat igitur ex ipsa nominis notione, febrem esse naturæ igneæ, & in calore fervido seu igneo consistere: cujus rei fidem facere etiam videtur communis omnium opinio, omnes etenim, cum vehementissimum in toto corpore calorem persentiunt, se febricitare dicunt.

Explicata jam notione febris ejus diffinitionem tradamus, quæ veram illius essentiam explicet. In primis febris varijs diffinitionibus solet à Gal definiri varijs in lotis, etenim lib. de caus. morb. cap. 2. his verbis eam definit dicens. *Quod si jam calor totum animalis corpus occupet, tunc ita febris accenditur.* 8. vero lib. method. med. cap. 1. sic habet. *Febris utique tunc adest cum adeo immodice auctus est calor, ut & hominem offendat, & actionem lædat*, 1. etiam hujus operis lib. cap. 3. ait. *Febris est, quando in corde quædam præter naturam caliditas generatur.* Et 2. method. med. docet. *febris communem naturam esse, ut sit calor adeo auctus, ut ejus occasione corpus laboret, nec probe persungi actionibus possit.* Tandem 1. aph. com. 14. & 16. inquit: *Febrem esse conversionem nativæ calijditatis ad igneam.* Idem quoque testatur 8. acutorum com. 18. Alias etiam per multas definitiones adducit Gal. alijs in locis, quæ cùm idem significent ac supradictæ, propterea eas omittimus.

Ex his omnibus definitionibus à Gal. traditis, accuratam, omnibusque numeris absolutissimam febris definitionem elicere possumus, in hunc modum. *Febris est calor præter naturam in corde atcensus, & per arterias ad omnes partes corporis effusus, sin minus in principalioribus partibus contentus.* Hæc definitio optima est, constat enim genere, & differentia. Genus in hac definitione est, *calor præter naturam*; febris namque nullatenus potest sub calore nativo contineri tanquam sub genere, sed sub calore potius præter naturam: si quidem calor nativus suavis est tactui, benignus, & halituosus, est itidem elemento frigido recte contemperatus, & omnium actionum principium: at calor præter naturam è contra, acris est, mordax, & tactui molestus, non est elemento frigido contemperatus, neque actionum principium. Igitur merito febris continebitur sub calore præter naturam tanquam sub genere. Reliquæ particulæ ponuntur in diffinitione loco differentiæ.

Secunda particula est, *accensus in corde*, per quam particulam proximum, & primum febris subjectum declaratur; si quidem calor, nisi in corde prius accendatur, nullo modo nomine febris insignietur: non enim poterit reliquis partibus corpotis communicari, quin prius cor ipsum afficiat: ratio hujus rei est, quia cum cor principium sit, ac fons caloris nativi,

tivi, à quo calor influens, & ſpiritus vitales per arterias in totum corpus diſtribuuntur, nullatenus febris appellabitur, niſi in corde, veluti fonte, calor nativus primum accendatur. Ex quibus colligitur, calorem præter naturam in alia corporis parte exiſtentem non eſſe febrem appellandum, veluti ſi exiſtat in ventriculo, cerebro, immo neque in ipſo hepate: quoniam licet hepar principium ſanguinis ſit, & naturalis ſpiritus, ſi aliquis detur, quia tamen ejus beneficio non reſtauratur calidum innatum partium, cùm non ſit principium caloris nativi, veluti, propterea nullatenus febris appellabitur hepate calore præter naturam affecto, ſed potius intemperies calida illius.

Tertia diffinitionis particula erat, *& per arterias ad omnes partes corporis effuſus*; per hanc particulam ſecundarium febris ſubjectum explicatur: namque, cùm febris calor ſit accenſus in corde, neceſſario ex illo debet ſingulis partibus corporis communicari, cum principium, & fons caloris dicatur.

Vltima particula eſt *ſin minus in particularibus partibus contentus*, quæ addita fuit in diffinitione propter ipſum Gal. qui 6. epidem. parte 1. com. 29. docet, calorem præter naturam in febre maxime quidem per totum corpus eſſe effuſum, ſin minus, in pluribus partibus, vel in nobilioribus accenſum: aliquando namque in partibus externis nulla præter naturam caliditas perſentitur, ſed in profundo corporis alorem perſentiunt ægrotantes, viſceraque ſibi flagrare ajunt: veluti apparet in febre lipyria, quæ eſt maligna quædam febris, ortum habens ex maxima alicujus partis internæ inflammatione: in hac etenim partes externæ alegent, & frigidæ percipiuntur, internæ vero deuruntur: ratio hujus rei eſt, quia inflammatio illa, ſuo vehementi calore ad modum cucurbitulæ ſanguinem arterialem, & ſpiritus vitales attrahit à partibus externis, ſicque hæ partes illa duplici materia calida deſtitutæ, frigidæ neceſſario remanent. In febre itidem epiala partes corporis partim frigidæ, partim vero calidæ percipiuntur, quia cum hæc febris ex pituita vitrea ortum ducat, quæ partim putredinem concepit, partim vero non, ratione ejus partis, quæ putrefacta eſt, calfacit partes, quas tangit, ratione vero partis, quæ non eſt putrefacta, refrigerat partes corporis, ſicque calor inæqualiter per corporis partes diſtribuitur. Præterea in febre ſyncopoſa calor nullatenus diſperſus eſt per omnes partes corporis: eſt autem febris ſyncopoſa, in qua accidit ſyncopes, in hac namque partes externæ etiam refrigerantur, quemadmodum in febre lipyria, ratione revocationis ſanguinis, & ſpiritus ad cor. Tandem initio acceſſionum febrium intermittentium partes externæ frigidæ percipiuntur, quoniam tunc temporis retrahitur ſanguis, & ſpiritus ad interna. Merito igitur addita fuit ultima illa particula in definitione, *ſin minus in principalioribus partibus contentus*.

DVBI-

DVBITATIO PRIMA.

VTRVM FEBRIS ESSENTIA IN calore præternaturam ſit poſita.

INterpretes varias, ac pene infinitas ſolent hoc loco exagitare controverſias ad naturam, & eſſentiam febris ſpectantes, ex quibus nos eas ſolum eligemus, quæ ad finem artis magis neceſſariæ videbuntur, & ad noſttum inſtitutum accommodatiores. Vertitur itaque primo loco in dubium. Vtrum febris eſſentia in calore alieno, & præter naturam conſiſtat. Imprimis Faventinus in ſua quæſtione de febre, in eam ductus fuit ſententiam ut exiſtimet, febrem non eſſe poſitam in calore, ſed eſſe complexionem calidam præter naturam: putavit namque hic vir, temperamentum ſeu complexionem eſſe qualitatem ſecundam productam de novo extinctis quatuor primis qualitatibus, & hanc, ſi occupet totum corpus, & calida ſit, febrem appellari. Quam ſententiam in hunc modum nititur demonſtrare. Magis pugnat medium cuivis extremorum, quam medium alteri medio, ſed unum medium cum altero non poteſt reperiri, quia duo temperamenta non poſſunt exiſtere in eodem mixto: igitur multo minus reperientur temperamentum, & prima qualitas, nam primæ qualitates rationem habent extremorum, temperamenta vero mediorum, & ex conſequenti, febris non conſiſtet in calore, neque erit prima qualitas.

Hæc tamen opinio conſtare nullo modo poteſt: nam quando aplicatur ignis alicui mixto, mixtum redditur calidius ad tactum, non propter generationem temperamenti calidi, quia calor ignis non habet vim producendi temperamentum, ergo propter generationem caloris. Tum etiam, quando ex ligno calefacto fit ignis, vel introducitur in ligno calor actione ignis, vel non; ſi introducitur, habemus in tentum; ſi non introducitur, ergo ſequitur, formam ignis introduci non præcedente ſua prævia diſpoſitione, quæ eſt calor, quod maximum eſt abſurdum. Neque ratio illius aliquid concludit: verum namque eſt, medium magis pugnare cum extremo, quam cum medio; at calor febrilis non habet rationem extremi; ſequeretur enim inde, ſtatim mori ægrotantes, ac febre corriperentur. Deinde falſum eſt, unum medium cum altero non poſſe reperiri, & unum temperamentum cum alio, quia cum optimo temperamento, quod ex primis qualitatibus conflatum eſt, ubi recte ad portionem miſcentur, conjungi poteſt varia temperies ex inæquali primarum qualitatum menſura, veluti quando homo temperatus aeri ambienti frigido, aut ſoli ſe exponit

Alij fuerunt, qui exiſtimarunt, febrem non eſſe qualitatem, ſed potius ſubſtantiam. Hanc ſententiam ſic probant. Contraria ſunt, quæ ſub eodem genere continentur: ſed febris contraria eſt calori nativo; ergo ſub eodem genere continetur: ſed calor

nativus est substantia, ut constat ex Gal. 1. aphor. com. 14. ergo febris substantia quoque erit. Idem etiam confirmant ex Gal. qui 1. aphorism. comm. 16. inquit, febrem esse conversionem nativæ caliditatis ad igneam; sed calor nativus est substantia: ergo febris substantia etiam erit. Sed hæc sententia falsa quoque est: concedimus namque, contraria esse, quæ sub eodem genere continentur: at febris non est contraria calori nativo: quoniam si per calorem nativum intelligant sustantiam, constat, quod substantiæ nihil est contrarium, ut docet Aristotelos in prædicamentis. Adde, quod si calor habet contrarium, hujusmodi est frigiditas: igitur febris non erit calor nativo contraria. Neque locus ille ex 1. aph. desumptus aliquid probat: namque quando inquit, Gal. febrem esse conversionem nativæ caliditatis ad igneam, non reponit eam numero substantiarum; febris enim dicitur conversio nativæ caliditatis, non vero calidi innati, quia in febre qualitas caloris nativi, non autem calidum innatum secundum substantiam adaugetur, immo potius imminuitur: nam, ut febris generetur, necesse est qualitatem caloris nativi ita accendi, ut in alienam naturam transmutetur. Quare falsum erit, febrem esse substantiam, sed potius qualitatem primam, id est intemperiem calidam, seu calorem præter naturam, quæ duo idem significant apud Galen.

Averroes 3. colliget. cap. 3. opinatus fuit, calorem febrilem neque esse naturalem, neque præternaturam, sed compositum ex utroque, ita, ut ex duplici calore unus fiat calor permixtus: quia in homine febre correpto est caliditas quæ ledit actiones, & simul adest caliditas, a qua actiones naturales dimanant: ergo cum totus ille calor, qui in febricitante reperitur, lædet actiones vires naturæ reminendo, & dimanando à corde, compositus erit ex utroque. Hæc tamen opinio minus constare potest, quam supradicta: namque calor secundum naturam naturales actiones exercet, & est earum instrumentum: at calor præternaturam morbus est, qui actiones naturales vitiat: sed impossibile est, quod unus idemque calor naturales actiones exerceat, & eas simul destruat: igitur calor febrilis nullo modo erit compositus ex calore naturali, & ex calore præter naturam.

Tandem Gentilis in suis quæstionibus extravagant. quæstione 4. existimavit, in febre duos distinctos calores reperiri, naturalem scilicet, & præter naturam; febremque solum esse calorem præter naturam calori naturali superadditum. Quam sententiam aliquibus rationibus nititur demonstrare. Prima est, febris est calor præter naturam: sed in febrientibus ille calor dicitur præter naturam, qui calori nativo additus est: ergo hic solus calor erit febris. Probatur minor. calor nativus pendet ex sanguine, & spiritu, superadditus vero pendet ex putredine, ergo solus iste erit præter naturam. Secunda ratio, sicut se ha-

bet morbus frigidus, sic se habet morbus calidus: sed morbus frigidus non est aliqua qualitas præexistens, sed solum frigiditas addita temperamento: ergo idem dicendum est de morbo calido, qualis est febris. Tertia ratio, illa caliditas quæ conservatur, quando febris curatur, distincta est ab illa quæ corrumpitur: sed Medicus intendit conservare calorem naturalem, & corrumpere febrilem: igitur calor febrilis distinctus erit à naturali. Hæc sententia, licet ad veritatem magis accedat: in eo tamen mihi videtur errare, quod constituat, calorem febrilem nativo calori superadditum esse: sequeretur enim inde, in febricitantibus calorem nativum immutatum remanere, cùm continuo à calore alieno, & præter naturam alteretur, ut accidit in febre diaria, in qua calor accensus in spiritibus sensim calorem nativum partium immutat, sicque mutatus, igneus redditur. Idem judica de putrida. Ad primam rationem respondemus negantes, solum calorem superadditum esse præter naturam. Ad probationem dicimus, totum calorem in febricitante repertum pendere ex sanguine, & spiritu, & humore putrescente. Ad secundam respondemus, frigiditatem additam præexistenti frigiditati, & reliquis qualitatibus morbum constituere. Vltimæ rationi dicimus, quod Medicus dum corrumpit calorem febrilem, conservat naturalem, quia corruptio illius, non est, quod omnino extinguatur, sed quod corrigatur excessus, & tunc, quia fit reditus ad temperiem, roboratur calor naturalis.

Quare, his sententijs explosis nostram sententiam proponimus circa propositam dubitationem. Existimamus itaque, febris naturam atque essentiam positam esse in calore præter naturam, & qui elemento frigido non recte contemperatus est: nam ille calor, qui antea erat nativus, & elemento frigido recte contemperatus, nun redditus igneus, & præter naturam, actiones lædit, perpetuo tamen in febricitantibus remanet aliquid caloris nativi, quod adhuc non est redditum præter naturam, neque in igneam naturam conversum, à quo exercentur actiones naturales: alias enim statim, ac homo febre corripetur, interiret, si totus calor nativus in igneam naturam conversus fuisset. Hæc sententiam deprompta est ex Galen. 6. epidem. part. 1. comm. 29. ubi, sic ad verbum scribit. *Essentia quidem febris est, non secundum Hippocr. modo, atque præclarissimos Medicos, sed etiam secundum communem omnium hominum consensum, caliditas præternaturam, maxime quidem in totum animal effusa, sin minus, in pluribus partibus, vel in nobilissimis accensa.* Ex quibus verbis luce meridiana clarius colligitur, febris naturam atque essentiam in calore alieno, & præternaturam esse positam. Quæ sententia nulla indiget probatione, cùm ex his quæ dicta sunt, per se fiat manifesta. Hæc sufficiant de hac dubitatione.

DVBITATIO SECVNDA.

Vtrum febris essentia in solo calore præter naturam sit posita, an vero simul cum siccitate.

VErtitur etiam hoc loco in dubium, utrum febris natura in solo calore præter naturam consistat, an veto in calore simul, & siccitare, quod idem est, ac si dicamus, utrum febris sit morbus simplex, nempe intemperies calida, an vero compositus, intemperies scilicet calida, & sicca. Fere omnes Medici existimant, essentiam febris non solum in calore præter naturam consistere, sed in calore simul, & siccitate, & ex consequenti intemperiem esse compositam. In hanc sententiam ducti sunt quibusdam Gal. auctoritatibus decepti, & falsis etiam rationibus innixi: etenim Gal. 1. aphor. com. 16. reddens caussam, cur omnibus febricitantibus victus humidus conveniat, sic scribit. *Febri enim, quoniam calida, & sicca passio est (est enim conversio nativæ caliditatis ad igneam naturam) victum humidum consulit*: igitur ratione siccitatis id præstat, quia contrariorum contraria sunt remedia, & ex consequenti febris in sua natura includet siccitatem simul cum calore conjunctam. Idem etiam docet Gal. 8. method. cap. 9. inquiens, in febribus corpus calidius, & siccius reddi. 1. itidem de ratione victus in morb. acut. com. 18. sic habet Gal. *Si contrariorum contraria sunt remedia, sane febris peculiare remedium, ut virtute tum refrigerante, tum humectante sit, oportet, id namque febris naturæ, quæ & calida, & sicca est, contrarium erit.* Hanc eandem sententiam tradit 1. de temp. cap. 2. & alijs in locis. Tandem hanc sententiam confirmant ratione in hunc modum. Quotiescumque Hipp. & Gal. ipsius febris mentionem faciunt, eam sub nomine ignis comprehendunt: sed ignis non solum qualitatem calidam, sed siccam etiam obtinet: igitur de ratione febris erit, ut habeat calorem simul cum siccitate conjunctum. Hujus sententiæ fuit Horatius Augenius lib. 1. de febribus, cap. 10. & alij etiam permulti.

Nos tamen, ut hujus dubitationis decisionem tradamus, supponere prius debemus, siccitatem duplicem esse, aliam morbosam; aliam vero non morbosam: siccitas morbosa illa dicitur, quæ lædit actiones nostri corporis, qualis est illa quæ in marasmo reperitur, & in febre hectica marasmode: siccitas vero non morbosa appellatur ea, quæ adhuc est intra limites habitus naturalis, & quæ non lædit actiones, qualis est siccitas quæ reperitur in senibus, quæ naturalis est, & non morbosa.

Hoc posito dicimus, febrem ex sua natura semper sibi associare siccitatem: nam non potest reperiri vehemens calor, quin humiditatem aliquantulum absumat; non tamen propterea licebit colligere, febrem intemperiem esse compositam ex calore, & siccitate, quoniam siccitas non sem-

per

per adest morbosa, sed calor: etenim, ut aliqua qualitas sit morbosa, tantus excessus in ea requiritur, ut lædi possint actiones: hoc autem non semper accidit in febribus, ut apparet in quotidianis, synochis, & alijs febribus, in quibus multa humiditas reperitur, quę exiccatione adhuc eget. Concedimus itaque, siccitatem semper consequi ad ipsam febrem, non tamen essentiam febris constituere, atque ita febris essentia solum in calore præter naturam erit posita. Probatur primo hæc sententia testimonio Gal. qui lib. de different. morb. inter simplices intemperies febrem nominar. 10. etiam lib. method. med. cap. 10. in hunc modum scribit. *Hæc igitur causa est, cur vulgo Medicorum ignotum sit, quod febrium omnium, qua febres sunt, proprium remedium refrigeratio sit, &c.* Ex quibus verbis colligitur, naturam, & essentiam febris in solo calore præter naturam consistere, & solum esse intemperiem calidam, non autem siccam, cùm proprium remedium febris, quatenus febris est, sit refrigeratio: alias enim, non solius refrigerationis, sed humectationis etiam mentionem fecisset Galen. Probatur deinde hæc sententia ratione, in hunc modum: In omni intemperie sicca necessario aliqua partium humiditas debet esse absumpta docente Gal. 7. method. cap. 6. Nam, vel absumpta est humiditas roris, vel humiditas carnis, & adipis, vel humiditas partium nativa: sed in febre, quatenus febris est, nulla humiditas est absumpta sequeretur enim inde, omnes febres esse hecticas marasmodes, quod est maximum absurdum: igitur in febre quatenus febris est, nulla siccitas morbosa reperietur, & ex consequenti, febris in solo calore præter naturam consistet. Adde, quod si quis ex sua natura sit valde humidus, non statim, ac febre corripitur, transibit in siccam intemperiem: cum non ita facile, & cito posset corpus in contrarium statum mutari: igitur febris in sua essentia non includit siccitatem.

Ex his facile erit objectis in contrariam partem satisfacere; & in primis ad locum Galen. ex 1. aphor. desumpto, respondemus concedendo, victum humidum febricitantibus convenire, non quod existimet Gal. siccitatem morbosam in illis reperiri, sed potius, ut auferat siccitatem illam, quæ ad calorem ipsum consequitur, ne morbosa reddatur, & calorem intendat. Ad alia loca dicimus, propterea Galen. dixisse in febre corpora calidiora, & sicciora reddi, & febrem esse passionem calidam, & siccam, non solum ut febris essentiam ostenderet, sed etiam id quod febris essentiam consequitur; quasi diceret Gal. febrem esse calorem quendam exiccantem. Rationi tandem respondemus, verum esse, Hipp. & Gal. semper meminisse Ipsius febris sub ratione ignis, non tamen proinde colligendum est, siccitatem esse de essentia febris, cum siccitas illa, quæ semper febrem asso-

cia-

ciatur, non sit morbosa, sed calorem ipsum sequantur. Quare concludendum erit, febris naturam atque essentiam in solo calore præter naturam esse positam, & ex consequenti simplicem esse intemperiem calidam, non vero compositam.

DVBITATIO TERTIA.

Vtrum febris sit passio caloris nativi insiti, an vero influentis.

CVm Gal. 1. aphorism. comm. 16. dixerit, febrem esse conversionem nativæ caliditatis ad igneam naturam propterea merito orta fuit hæc dubitatio, qua quæritur, utrum in febre calor nativus insitus in igneam naturam convertatur, an vero calor nativus influens. Pro exacta autem illius intelligentia sciendum prius est: calorem duplicem esse, alium esse nativum, alium vero elementalem: calor nativus ille dicitur, qui elemento frigido est recte contemperatus: elementalis vero dicitur, tum quia originem ducit ab igneo elemento, tum quia elemento frigido non est contemperatus, sed suam pristinam naturam servat. Deinde calor nativus duplex est, alius insitus, alius vero influens: calor insitus vereque nativus ille dicitur, qui in singulis partibus nostri corporis reperitur, & insitus est in illis à principijs nostræ generationis, qui alio nomine ingenitus seu innatus appellatur à Galen. Calor vero nativus influens est ille, qui ex corde influit per arterias ad omnes partes corporis. Hi duo calores maxime inter se differunt. Primò, ratione principij à quo originem ducunt, siquidem calor insitus ortum trahit à principijs nostræ generationis, semine scilicet, & sanguine: calor vero influens nascitur ab elementis. Secundò distinguuntur propter diversum subjectum in quo insunt, quoniam calor insitus est propria qualitas calidi insiti, substantiæ scilicet igneæ, & aereæ, calor namque qui in hac duplici substantia reperitur, insitus dicitur; at calor influens est propria qualitas calidi influentis, nempe sanguinis arterialis, & spiritus vitalis: namque calor ille, qui in sanguine arteriali, & spiritu vitali existit; influens calor dicitur: quemadmodum enim datur calor insitus, & calidum insitum: similiter quoque datur calor influens, & calidum influens. Tertiò discrepant propter actionem quam exercent, quia calor insitus actionum omnium est principium, quæ in corpore exercentur: calor vero influens nullatenus est principium actionum, sed solum calorem insitum fovet, & conservat, nam propter hanc causam non est vere nativus, cum non sit insitus partibus.

Quibus ita positis, dubitationi respondemus dicentes, febrem non solum esse passionem calidi influentis, sed etiam calidi insiti vereque nativi: ad febris itaque rationem non satis est calorem influentem accendi, sed necessarium quoque esse, calorem nati-

tivum inſitum vereque nativum in igneam naturam converti. Probatur primo, hæc ſententia in hunc modum. In febre, cùm ſit morbus, nempe intemperies calida, actiones naturales ſunt læſæ; igitur neceſſarium quoque eſt, ut illud quod eſt principium actionum ſit læſum, & præter naturam redditum: ſed calor inſitus eſt principium actionum naturalium, & earum inſtrumentum; ergo neceſſarium etiam erit, non ſolum calorem influentem, ſed inſitum quoque præter naturam eſſe redditum in ipſa febre. Probatur ſecundo, omnis morbus eſt affectus partis viventis: ſed calor influens in igneam naturam converſus non eſt in parte vivente, cùm ſit in ſanguine arteriali, & ſpiritu vitali, quæ non vivunt: igitur calor influens in igneam naturam mutatus non erit febris, quin ſimul quoque calor inſitus in igneam naturam convertatur. Probatur tertio, ſi in febre ſolus calor influens in igneam naturam convertetur, ſequeretur inde, omnes qui iraſcuntur, ſtatim febre corripi, cum in illis calor influens igneus efficiatur: ſed non omnes qui iraſcuntur, febre corripiuntur: igitur in febre præter calorem influentem, ſimul etiam requiritur, ut calor inſitus in igneam naturam convertatur. Concludamus itaque, in febre primo, & per ſe calorem nativum inſitum in igneam naturam converti: ſecundario vero calorem influentem, cum ex corde calor febrilis toto corpori communicetur mediante calore influente, ſanguine ſcilicet arteriali, & ſpiritus vitalibus. Sed hac dubitatione, ſatis.

DVBITATIO QVARTA.

Vtrum febris ſubjectum ſit cor: an vero totum corpus.

DOnatus Antonius ab Altomari lib. 7. de febribus, cap. 11. novam de hac re ſententiam promulgavit, aſſerens, proximum febris ſubjectum non eſſe cor, ſed potius calidum innatum. Hoc autem ſic demonſtrat; quoniam cùm febris ſit converſio nativæ caliditatis ad igneam, ejus forma, eſſentia, ſeu quiditas, inquit ipſe, ſuſcipitur primum tanquam in ſubjecto in ſubſtantia calidi innati: hæc namque eſt, quæ alteratur, & mutatur, accidentalem qualitatem, quæ febris eſt, ſuſcipiens: & propterea aſſerit cujuslibet febris ſubjectum eſſe calorem nativum, cujus principium, fons, & origo eſt ipſum cor, ut docet Gal. 5. de locis affect. cap. 1. & 6. de placitis, cap. 6. Hæc autem ſententia conſtare nullo modo poteſt: namque imprimis ſalſum eſt, proximum febris ſubjectum eſſe formam corporis, ſiquidem calor innatus pro ſubſtantia ſumptus, ut ipſe facit, nihil aliud eſt, quam forma corporis, & natura, docente Gal. varijs in locis: hoc autem aſſerere eſt maximum abſurdum, quoniam illud dicitur ſubjectum alicujus rei, quod paritur, & ab ea re afficitur, cujus eſt ſubjectum: ſed forma non afficitur, neque patitur, immo potius agit,

cum

cùm ejus proprium ſit agere, non autem pati:igitur proximum febris ſubjectum non erit calidum innatum. Secundo, quia calidum innatum ex ſententia Gal. nihil aliud eſt, quam temperamentum cordis, vel potius totius corporis; ſed ſi ipſum eſſet proximum febris ſubjectum, ſequeretur inde, febris ſubjectum eſſe temperiem corporis,& eandem eſſe ſubjectum ſanitatis, cùm contraria ſint, quæ nata ſunt fieri circa idem ſubjectum, ſed hoc dicere eſt maximum abſurdum, ergo, & illud ex quo ſequitur.

Quare aſſerendum erit, proximum,& adæquatum febris ſubjectum eſſe cor: remotum vero, & ſecundarium eſſe totum corpus, vel ſaltim principialiores parte. Quæ ſententia probatúr auctoritate deprompta ex Gal. 1. hujus operis lib.cap. 3. & 10. method. cap. 8. ubi docet, calorem febrilem prius apprehendere cor, ita ut febris eſſe non poſsit, quin calor prius in corde, tanquam in proprio ſubjecto præter naturam exiſtat: conſtat igitur ex his locis, proximum febris ſubjectum eſſe cor. Deinde probatur prima ratione, in hunc modum, in omni febre tranſmutatur calor nativus in igneam naturam, igitur cùm principium à quo calor nativus inſitus reſtauratur, & conſervatur, ſit cor, nulla febris eſſe poterit, quin prius calore præter naturam cor infeſtetur, & per conſequens proprium febris ſubjectum erit cor. Probatur ſecundo, ſi cor non eſſet primum febrium ſubjectum, ſequeretur inde eſſe aliquando febrem, & non eſſe ex calefactum cor, & ex conſequenti eſſe in pulſu mutationem ad magnitudinem; celeritatem, & frequentiam; abſque eo quod eſſet cor præter naturam ex calefactum; ſed hoc non eſt dicendum, ergo, &c. Quod autem totum corpus, aut ſaltim principaliora membra, ſecundarium febrium ſubjectum dicatur, patet: ſiquidem nullatenus poteſt calor præter naturam in ipſo corde accenſus eſſe, quin ſtatim calor ille per arterias ad omnes corporis partes diſtribuatur.

Sed pro adverſa parte urget argumentum, in hunc modum. Poteſt calor præter naturam accendi in alia quavis parte, & febrem generare: igitur falſum eſt, quod diximus proprium febrium ſubjectum eſſe ipſum cor. Probatur antecedens. Ex cerebro, & jecore præter naturam calfactis poteſt caliditas toto corpori communicari: igitur proprium febris ſubjectum non erit cor. Probatur antecedens jecur natura calidum, corde exiſtente frigido; totum corpus ſolet calfacere, docente Gal. in arte med. cap. 37. igitur calefactum præter naturam poterit ſimiliter totum corpus calfacere. Probatur conſequentia, jecur eſt principium ſanguinis, & naturalis ſpiritus, ſi aliquis detur, ergo quemadmodum cor mediante ſanguine arteriali, & ſpiritibus vitalibus tranſmittit ſuam caliditatem in totum corpus: ita etiam jecur poterit idem præſtare. Et confirmatur, quia maniſeſte videmus, jecore exiſtente frigido commu-

municari illam frigiditatem toti corpori, ut apparet in hydrope anasarca dicta: igitur eodem modo quo frigiditatem transmittit jecur ad omnes partes corporis, similiter caliditatem poterit transmittere, & per consequens febris accendetur absque eo quod cor calore præter naturam prius afficiatur. Huic argumento respondemus, nullo modo fieri posse, ut jecur ita reddatur calidum, ut totum corpus calfaciat, quin prius calor ille in ipso corde accendatur, quoniam hæc duo viscera, ut anatomes docet maximam communionem habent mediante potissimum vena cava, quæ statim ac ex jecore egreditur, ramum omnium maximum defert in dextrum cordis ventriculum. Adde, quod nulla pars in nostro corpore reperitur, quæ facilius, ac citius possit calefieri, quam ipsum cor, cum ex sua natura omnium corporis partium calidissimum sit. Igitur verisimile erit, nullatenus posse transmitti calorem à jecore in totum corpus, quin prius cor afficiatur. Ad confirmationem dicimus, non posse totum corpus adeo refrigerari, ut lædantur actiones, quin simul quoque cor afficiatur, & aliquo modo refrigeretur: nam quomodo id fieri potest, nisi cor prius frigidus reddatur, cum sit caloris nativi fons, à quo ille in totum corpus diffunditur? idque visus fuit insinuare Gal. de sang. cap. 5. sic scribens. *Quidquid cor per caliditatem, & frigiditatem patitur, hujus etiam confestim aliæ corporis partes participes sunt.* Et cocludit. *Particulares caliditates, & frigiditates, quæcunque parti malæ affectæ vicinæ sunt, simul alterare: in totum vero corpus, priusquam cor alterent, non extendi.* Atque hæc sunt quæ pertinent ad essentiam febris. Et hæc de præfatione sint satis.

IN PRIMUM LIBRUM GALENI DE FEBRIUM differentijs.

DE GENERALI FEBRIUM DIVISIONE.

CAPUT PRIMUM.

¶ *Febrium differentiæ, quæ quidem maxime propriæ sunt, ac principalissimæ, ab earum sumuntur substantia; aliæ vero ab accidente aliquo, &c.*

EXPLANATIO.

Postquam de natura, & essentia febris satis superque in superioribus disputatum fuit; ratio jam postulat, ut ad contextus explanationem accedamus, insequentes semper peritissimi Nicolai Leoniceni versionem

utpote magis correctam, à mendacijsque liberem. Præsens autem caput in quatuor dividitur partes, in quarum prima methodum tradit Galen. unde sumendæ sunt febrium differentiæ; & errores à veteribus Medicis commissos in dividendo reprehendit. In secunda parte ex mente Hippoc. veram, & absolutam febrium divisionem affert. In rertia differntias febrium à materia desumptas tanquam maxime proprias amplectitur, totam rem exemplis confirmans; in quarta vero, & ultima cap. parte generationem febrium adducit, mutuamque in se invicem transmutationem.

Accedentes igitur ad primam contextus partem, ut antiquorum errores in dividenda febre referat Gal. statim supponit, differentias febrium maxime proprias, & essentiales eas esse, quæ ex ipsa febris substantia, seu essentia desumuntur, ut pote ex calore præter naturam: sed quia in calore tria consideramus, qualitatem scilitet caloris: ejus motum, & subjectum in quo accenditur, propterea omnes febrium differentiæ, quæ ex his tribus desumentur, merito essentiales dicentur. Alias vero, inquit Gal. esse differentias accidentales, nempe quæ ex aliquo accidenti desumuntur; quoniam vero accidentium non una est natura, sed alia propinquiora, & magis propria sunt rei dividendæ, alia vero remotiora magisque aliena, ideo fit, ut hæ accidentales differentiæ non sint ejusdem generis: nam illæ quæ propriæ magis sunt, eæ scilicet quæ conveniunt omni, soli, & semper, utiliores quidem erunt; quæ vero magis fiunt remotæ, & alienæ, minus utiles censentur.

His ita positis, veterum Medicorum errores tradit Gal. qui in dividenda febre maxime peccarunt. Imprimis maxime quidem aberrant, qui proprias differentias, & maxime principales prætermittunt; ratio est, quia cum hæ differentiæ ex substantia, seu essentia febris desumantur, omissis his differentijs neutiquam febris optime dividetur, imò potius necessarium erit indivisa ipsa permaneat. Secundo aberrant illi, qui mentione facta differentiarum febrium maxime principalium, permiscent cum illis aliquas differentias accidentales, & omnes æqualiter, non separantes utiles ab inutilibus. Tertio non solum quidem peccarunt plerique Medicorum, ex eo quod plures, paucioresve, quam oportuerit, tradiderint febrium differentias, ita ut inutilium quoque meminerint, & aliquas etiam utiles omiserint: sed etiam, quod non recte fuerint progressi à summis differentiarum generibus ad ultimas usque differentias, quod proprium est methodi dividendi.

Sed rogabit aliquis, cur Galen. ante divisionem febris nullam fecerit mentionem ejus diffinitionis, cùm ipsemet 1. meth. cap. 5. doceat, alicujus rei differentias, aut species nulla ratione posse adinveniri, eo, quod dividitur, non plane explorato; & quod magis est, ipsemet lib. de different. morb. ubi tradere instituit morborum differentias, à diffinitione

ne morbi auſpicatus eſt. Hic modus diſſolvetur ſane verbi: ipſiuſmet Gal. qui 4. de differ. pulſ. cap. 1. docet, quod quando res nomine ipſo comprobatæ ſunt, & cognitæ tunc nulla indigere diffinitione: cum autem febris natura, non ſolum Medicis, ſed omnibus quotquot ſunt, cognita ſit ex ipſomet nomine febris, idcirco Gal. libenter diffinitionem febris prætermiſit, at vero lib. de different. morb. quia non omnibus conſtabat de notione morbi, propterea à diffinitione ipſius diſputationē inchoavit.

¶ *Licet Hippocrates in libro epidemiarum ſexto, optimam fecerit diviſionem, &c.*

HÆc eſt ſecunda contextus pars, in qua oſtendit Gal. Hippocr. reliquos Medicos ſuperaſſe in dividenda febre: etenim 6. epidem. parte 1. ſentent. 29. in hunc modum ſcribit. *Febres aliæ quidem mordaces ſunt manui, aliæ vero mites: aliæ non mordaces quidem, ſed poſt inſurgentes: aliæ vero acutæ, ſed quæ à manu vincuntur: aliæ ſtatim pervrentes, aliæ in totum debiles, aridæ: aliæ ſalſuginoſæ: aliæ pemphigodes aſpectu terribiles: aliæ tactui humectæ: aliæ valde rubræ: aliæ valde pallidæ, aliæ lividæ, & id genus alia.* Hæc Hippocrat. Cæterum quia propoſita hæc verba maximam obſcuritatem videntur obtinere, ideo minutatim ſingula per ſe erunt à nobis explicanda, oſtendentes quoque ſub quo genere qualibet ex his differentijs reponenda ſit. Hippocrates igitur in præfata ſententia non ſolum febrium differentias tradere videtur, quæ ex propria ſubſtantia ſeu eſſentia deſumuntur, ſed etiam eas, quæ ab aliquo accidenti proveniunt; dictum autem fuit ſuperius, febris eſſentiam ſeu ſubſtantiam in calore præter naturam conſiſtere, quare omnes illæ differentiæ, quæ ex calore præter naturam deſumentur, merito eſſentiales dicentur: cum autem in calore præter naturam tria conſideremus, ejus ſcilicet qualitatem ſub qua intenſio aut remiſsio continetur; modum quo movetur calor: & ſubjectum ſeu materia in qua calor præter naturam accenſus eſt, propterea febrium differentiæ, quæ ex his tribus deſumentur, merito eſſentiales dicentur. Quo circa recte dictum fuit ab Hippocr. in principio hujus ſententiæ. *Febres, alias eſſe manui mordaces, alias vero mites.* Quæ verba intelligenda ſunt de febribus, quæ in totum mordaces, aut mites apparent, docente Gal. in com. hujus ſentent. id eſt, de illis quæ à principio ad finem uſque ſemper mordaces, vel mites perſeverant: merito autem dixit Hippocr. has febres manui eſſe mordaces, quia, ut docet Gal. Hipp. febrium differentias perſequitur, non quas ægrotantibus apparere videntur, ſed quas ipſi Medici tactu diſcernunt, cujus proprium eſt primas qualitates dignoſcere. Febres autem mordaces illæ dicuntur, quæ tangentis manum continuo erodunt, pungunt, ac ſtimulant propter ejus acrimoniam, quod effluere ſolet ex corporibus eorum,

rum, qui febre corripiunt, ex quorum numero ſunt febres ardentes, cauſodes à Græcis dictæ: & tertianæ etiam continuæ, que à principio ad finem uſque calorem acrem, & mordacem tactui ræpræſentant. Febres autem quæ mites manui ſunt, illæ appelantur, quæ ſunt minus mordaces quam ſupradictæ, & quæ exiguam acrimonianiam inſinuant, veluti ſunt febres diariæ, in quibus calor febrilis mitis apparet, parumque à naturali recedere videtur.

Addit deinde Hippoc. in diviſione. *Aliæ non mordaces quidem, ſed poſt inſurgentes.* Per hæc verba intelligit Hippocr. illas febres, quæ ſtatim impoſita manu mites apparent: poſtea vero dum detinetur manus in tangendo carpo, caliditas mordacior perſentitur. Sub hoc genere continentur illæ febres, quæ craſsis viſcidiſque humoribus ortum ducunt, cujuſmodi ſunt quotidianæ, & quartanæ: namque cum hæ febres fiant ex frigidis, & craſsis humoribus, ſtatim in principio difficile accenduntur: dum vero ſemel fuerint accenſæ, tangentis manum mordicant, atque erodunt.

Subijcit præterea Hipp. inquiens. *Aliæ vero acutæ, ſed quæ à manu vincuntur.* Hactenus tradidit Hippocr. febrium differentias, quæ ex qualitate caloris deſumuntur, nunc autem eas adducit, quæ à modo motus caloris dependent. Ea autem dictio, *Acutæ*, intelligenda eſt de caliditate celeriter manui occurrente, ſuumque velocem motum oſtendente, quemadmodum acutos aliquos nominamus, quod idem eſt, ac ſi celeres dixerimus: acutos etiam morbos appellamus, quicumque propria tempora uſque in finem velociter pertranſeunt, docente Gal. in prædictæ ſent. com. Hæ autem febres acutæ, ſed quæ à manu vincuntur, ſunt illæ, quæ ſtatim in prima manus appoſitione calorem acrem, & mordacem repræſentant: poſtea vero diutius perſeverante manus applicatione, mitem, & ſuavem, veluti ſunt febres tertianæ intermittentes, in quibus ſtatim ac manum carpo applicamus, calorem acrem, & mordacem percipimus: namque cùm hæ febres ex humore bilioſo fiant, & hic tenuiſsimus ſit, facile ſtatimque accenditur: perſeverante vero manus applicatione hic calor vincitur à manu, quia fuligines illæ, quæ ab humore bilioſo elevantur, facile diſcutiuntur, rarefacta nempe cute ob detentionem manus.

Sequitur deinde in diviſione Hippocr. *Aliæ ſtatim pereuntes, aliæ in totum debiles, aridæ.* Per hæc verba demonſtrat Hipp. febrium differentias ex quantitate, ſeu magnitudine, vel ex parvitate caloris deſumptas, ut docet Gal. in comm. Perurentes febres ſunt illæ, quæ magnam copiam caloris, & quantitatem continent, & quæ fiunt ex multitudine materiæ ad incendium paratæ, quales ſunt febres, quas ſynochos græce appellamus, latine vero continentes, quas ardentiſsimas appellat Gal. 1. aphor. com. 23. quoniam cum hæ febres ex multitudine ſanguinis putrefacti ortum ducant, magna copia fuliginoſorum vapo-

vaporum ex eo elevatur, quæ per poros cutis effluens, calorem ſtatim pervrentem tactui inſinuat. Neque placet hoc loco eorum opinio exiſtimantium, febres bilioſas ardentes proprie dictas ſub hoc genere contineri: ſiquidem, ut docet Gal. in com. Hippocr. in hac particula differentias febrium ex magnitudine caloris deſumptas oſtendit, non autem quæ ex qualitate caloris proveniunt, hæ enim ſub prima particula hujus ſententiæ comprehenduntur, ut ſuperius dicebamus. Per febres in totum debiles, & aridas, meo quidem judicio intelligit Hippocrates febres hecticas, quæ à principio ad finem uſque (id enim ſonat illa particula, *in totum*) debilem, & puſillum calorem tactui repræſentant: namque cúm modo traderet differentias febrium ex quantitate caloris deſumptas, cúm dixit: *Aliæ ſtatim pervrentes*: poſtea ſubjungit, *aliæ intotum debiles*, id eſt, aliæ ſunt febres, quæ ſemper debilem, & puſillum calorem in quantitate inſinuant; hæ autem nullæ aliæ poſſunt eſſe, quam hecticæ. Adde, quod id confirmat illa alia particula, quæ ſequitur, nempe, *aridæ*: quæ magnam dubitationem omnibus interpretibus attulit, cùm potius facillima omnium ſit; quaſi dicat Hippocr. aliæ ſunt febres in totum debiles, ſiccæ: quia cum hæ febres hecticæ, ſicciſsimæ omnium ſint, cùm in illis pars ſolida ipſius cordis calfacta ſit, calorem ſiccum, & ſqualidum tactui repræſentant. Quidquod, in hac diviſione febrium nulla particula tradita fuit ab Hippocr. ſub qua poſsint contineri febres hecticæ, præterquum ſub hac antea dicta: igitur febres hecticæ merito ſub illa comprehenduntur.

Majorem difficultatem videtur obtinere particula illa, quæ ſequitur, nempe, aliæ ſalſuginoſæ: nam propter quam cauſam fuliginoſas febres dixit, cùm falſum non tactu, ſed potius guſtu percipiatur? aut ſi hoc ita eſt, cur febres inſipidas prætermiſit Hippocrates? in quibus ægrotantes inſipidum guſtant? aut quid non retulit amaras? quia ſapor frequentiſsime ægrotantibus accidit? Hanc dubitationem ſolvit Gal. in hujus ſententia commentario, dicens, hoc ad tactum referri, & deſumptam eſſe ſimilitudinem à muria, & ab alijs falſis corporibus: quoniam ſi quis muria corpus abſtergat, aut illud tangat ſalito aliquo corpore, pruritum, morſumque faciet, eodem etiam modo illas febres ſalſuginoſas appellavit Hippoc. quæ morſum quendam atque pruritum tangentibus afferunt, non ſecus, ac ſi muria eſſet cutis aſperſa. In hoc genere continentur febres putridæ, in quibus multa, & valde uſta fuliginoſa excrementa ad cutem fervntur, quæ pruritum quemdam, & calorem ſalſuginoſum ſolent excitare, ut recte animadvertit Sylvius.

Quod autem poſtea ſubſequitur majores continet difficultates: nam, inquit Hippoc. *Aliæ pemphigodes, aſpectu terribiles*: dubium etenim maxime videtur, quid, per febres pemphigodes intelligendum ſit, & quid, per aſpectu terribiles? Prætermiſsis alio-

rum

rum Auctorũ interpretationibus, quæ variæ sunt, ac pene infinitæ, Galen. sententiam amplectamur, quæ magis ad mentem Hippoc. accedere videtur: is namque in comm. in hanc sentent. postquam varias hujus vocis, *pemphix*, significationes retulit; aliorumque expositiones refutavit, hanc rem sic ad verbum concludit. *Igitur verisimilimum est febrem pemphigodeam dictum esse, aut spirituosam quæ ad tactum referatur, aut pestilentem. In sermone autem cum huic voci (pemphigodes) hæc (terribile) adject fit, sola pestilens febris denotatur: cujus ab alijs calor per putredinis excellentiam differt, sicut in hanc nostræ tempestatis longissima pestilentia visum est. Atque idcirco neque calidi, & pervrentes, qui pesse laborabant, tangentibus videbantur, quamvis interius magno flagrarent incendio: quemadmodum, & Thucydes ajebat: & exterius quidem tangenti corpus neque valde calidum erat, neque viride sed subrubrum, lividum, pustulis exiguis, & ulceribus efflorescens, &c.* Ex quibus Gal. verbis liquido constat, per febres pemphigodes, vel esse intelligendas febres flatuosas, si auferatur illa vox, *terribilis*; aut, si simul legatur cum priori, intelligendas esse febres pestilentes, & si adjungamus aliam vocem, ut fecit Sabinus, nempe, *aspectu*, meliorem reddet sensum hic locus: quoniam febres pestilentes aspectu sunt terribiles, & maxime horridæ, non solum propter pustulas, & ulcera; quæ totum corpus difforme faciunt: sed etiam propter malignitatem febris pestilentis, in qua sola fuga est remedium, ut dicunt vulgo.

Prosequitur Hippocrat. inquiens: *Aliæ tactui humectæ.* Hæc differentia febris ad qualitatem caloris pertinet, docente Gal. in com. Febres tactui humectæ illæ dicuntur, quæ humidum torridum, vel halituosum calorem tactui insinuant, ita ut halitus quidam permultus ex laborantium corpore emanans perspicue sentiatur; quemadmodum e contra febres siccæ sunt, quæ calorem siccum, & squalidum demonstrant, perinde, ac si lapidem aliquem calefactum tangamus. Sub hoc genere continentur febres, quæ ex pituita putrefacta generantur, quales sunt quotidianæ: tum etiam, & febres synochi putres, percipue decrescentes, quæ calorem humidum tactui ostendunt propter materiam in qua calor accenditur; quæ humida est.

Cum absolvisset hactenus Hippoc. maxime proprias principesque febriũ differentias; deinceps ad eas, quæ ex accidentibus, ac præcipue ex colore, desumuntur transgressus, sic inquit. *Aliæ valde rubræ: aliæ valde pallidæ: aliæ vero lividæ.* Valde rubras dixit Hippocrat. non rubras simpliciter: & valde itidem pallidas, non pallidas, lividas vero simpliciter tales appellat, non valde lividas; quasi indicans, hunc colorem semper esse malum: rubrum vero, & pallidum visitatos esse; ac familiares ipsis ægrotantibus, nullumque insigne malum denotare. Febres valde rubræ sunt illæ, in quibus febricitantes valde rubri apparent, quæ vehementissimam caliditatem indicant, & materiam esse sanguinem: qua-

quales sunt febre synochi putres. Febres valde pallidæ dicuntur, in quibus febricitantes valde pallidi conspiciuntur, quæ maximam redundantiam bilis flavæ indicant, & hæ febres, nisi cum rigore atque sudore præjudicatæ fuerint, tabem inferunt docente Gal. in comm. Febres tandem lividæ sunt illæ, in quibus febricitantium corpus lividum conspicitur, & præcipue facies, partesque extremæ: hæ febres sanguineum succum deficere nunciant, & cum ipso etiam calidum innatum, & propter hanc causam mortiferæ sunt, & perniciosæ, cum caloris nativi extinctionem denotent, & ex his aliquem syncopem efficiunt.

Restat modo, ut ultimam sententiæ particulam explicemus, quæ habet, *& id genus alia.* Quasi significans, nimis operosum ei videri omnes differentias recensere, cum præter dictas, aliæ quoque reperiantur; quæ ex communibus accidentibus desumuntur: nam ex febribus etiam aliæ sunt intermittentes: aliæ continuæ: & ex intermittentibus hæc tertiana, illa quartana, alia vero quotidiana: ex continuis alia semitertiana, alia epiala. Deinde ex accidentibus communibus aliæ etiam sumuntur differentiæ: veluti cum dicimus, febrium alias esse acutas, alias diuturnas, alias benignas, alias malignas, ordinatas, vel inordinatas, alias circulares, alias erraticas. Quidam quoque ex Medicis veteribus ex varijs partibus affectis varias cognominabant febrium differentias, veluti pleuriticam, hepaticam, lienosam, &c. alias vero a symptomate, ut soporificam, somnolentam; lethargicam, phreniticam, auriginosam, &c. Atque hæc sunt, quæ pertinent ad hujus sententiæ explanationem.

Supra dictam febrium divisionem, quam in præfata sententia adduxit Hippoc. multum commendat, & laudat Gal. hoc loco, ex eo quod ab ipsa febris essentia, seu substantia, & simul quoque ab ipsa dignotione in proprias differentias fecerit divisionem; quod autem sint differentiæ essentiales ostendit Galen. ex eo quod desumptæ sint ex calore præter naturam, in quo consistit propria febris essentia: cùm autem in calore præter naturam tria consideremus, ut superius dicebamus, hæ differentiæ febrium, aliæ ex qualitate, seu quantitate caloris: aliæ ex modo motus ipsius: & aliæ ex materia, seu subjecto in quo calor præter naturam accenditur, desumuntur, ut in explanatione sententiæ dictum fuit. Hæc de secunda contextus parte.

¶ *Sunt autem omninò evidentes, quæ in eo quid majus, aut minus consistunt, &c.*

IN tertia hujus capitis parte comparans Gal. hoc triplex differentiarum genus ex essentia febris desumptum, differentias febrium à materia, seu subjecto desumptas, in quo calor præter naturam accenditur, maxime proprias esse inquit, prætermittens

eas

eas, quæ ex motu caloris desumuntur; quæ autem ex qualitate caloris, seu intensione, & remissione petuntur manifestas esse docet. Quo loco veluti obiter observat Galen. modum loquendi improprium à veteribus maxime usitatum, qui magnam, & parvam febrem, de qualitate intelligebant, cum potius de quantitate sit intelligendum, quod non solum in febribus, sed in alijs etiam morbis, qui in qualitate suam habent essentiam, facere consueverunt: quod etiam animadvertit ipsemet Gal. 3. apho. com. 14. & 3. quoque secund. genera. Differentias itaque febrium, quæ ex materia desumuntur in qua calor prærer naturam accenditur, maxime proprias esse, inquit Galenus, quia tamen triplex est materia, in qua calor accendi potest, nempe pars solida cordis, humores, & spiritus, propterea tres differentiæ febrium ex illa desumuntur: namque si calor febrilis solidam cordis substantiam præhendat, nascitur febris differentia, quæ proprie hectica appellatur; si autem calor febrilis accendatur in humoribus in ventriculis cordis existentibus, alia febris differentia ortum ducit, quæ putrida ab omnibus dicitur; quod si tandem calor præter naturam in spiritibus cordis accendatur, nascitur alia febris differentia diaria propriæ dicta.

Sed dubitabit aliquis, calor accensus in spiritibus, & humoribus non est febris, igitur spiritus, & humores non erunt febrium subjecta. Probatur antecedens, omnis febris est morbus, sed omnis morbus est affectus partis viventis, spiritus autem, & humores non vivunt, igitur calor præter naturam in illis existens non erit morbus. Respondemus, calorem præter naturam in spiritibus, & humoribus existentem non esse febrem, sed necesse est, ut calor ille præter naturam dicatur febris, quod inhæreat in ipsa substantia cordis, & in eo calidam intemperiem reperiri, atque ita cor erit sane subjectum omnium febrium in universum, inhæsionis scilicet, in quo omnes febres inhærent; spiritus vero, & humores subjectum dicentur febrium diariarum, & putridarum non inhæsionis, sed denominationis potius, à quibus febres diariæ, vel putridæ denominantur.

Sed adversus hanc solutionem insurget aliquis, cor est subjectum omnium febrium in universum, igitur nulla dicetur febris diaria, neque putrida, sed omnes erunt hecticæ. Huic respondet Gal. in contextu dicens, non parum differre incalescere aliquid dicas, an vero incalvisse: in diaria namque febre incalescit substantia cordis, & humores, quia in illis totus calor non est mutatus adhuc in igneam naturam, sed mutatur, & ideo est inæqualis intemperies in corde: incalverunt vero spiritus, quia in illis calor jam est mutatus in igneam naturam, & calefacti sunt; ita etiam in febre putrida incalescit substantia cordis, & spiritus, quia calor in illis non est adhuc mutatus in igneam naturam: incalverunt vero humores, quia calor jam mutatus est;

at

at in febre hectica incalvit jam solida cordis substantia in totum, non re vera; sed sensus judicio: incalescunt vero spiritus, & humores.

Cæterum quia hæc res aliquantulum difficilior videtur, ne aliquid obscurum relinqueret Gal. idcirco eam aliquibus exemplis à rebus externis depromptis explanare nititur. Primum exemplum desumptum est ex vase æneo, quod lebetem appellant: si quis enim ferventem jam aquam in frigidum lebetem inijciat, nec totum impleat, lebes ex injecta aqua calefiet, calefiet etiam aer qui est in superiori parte vasis ad quam non accedit aqua fervens. In hoc exemplo explicatur febris putridæ natura in qua incalverunt humores, spiritus vero, & solida pars cordis incalescit. Secundum exemplum è contra habet: nam si quis frigidam aquam in lebete adeo calido inijciat, ut vrere posſit, ex lebete calefiet aqua, tum etiam, & aer. Hoc exemplum febrem hecticam ostendit, in qua calefacta est substantia solida cordis, & ab ea calefiunt spiritus, & humores. Tertium exemplum desumptum est ex follibus fabrorum ferrariorum; nam finge, inquit Gal. fabrilem follem ubi dilatatur, attrahere aerem admodum calidum, deinde calfieri ab eo, nondum tamen incalvisse; & ut magis apta reddatur similitudo, finge etiam intra follem contineri aquam, vel alium humorem, ita ut follis foramina, per quæ attrahit, & expellit aerem, ita augusta sint, ut humori quidem in via; aeri vero pervia sint. Hoc exemplo febris diariæ natura explicatur, quia quemadmodum aer calidus calfacit follem, & humorem intra eum contentum: ita etiam in febre diaria calefacti semel spiritus, humores, & partes solidas cordis calfaciunt.

¶ *Incipit igitur hic præter naturam calor, &c.*

IN quarta tandem, & ultima contextus parte agit Gal. de generatione harum febrium, quæ ex materia petuntur, & de mutua in se invicem conversione, docens, febrium alias ex alio de prædictis subjecto incipere: namque cùm triplex sit subjectum, in quo calor præter naturam accendi potest, in quocumque accendatur; vocabitur febris, quoniam si accendatur calor præter naturam in spiritibus, dicetur diaria; si in humoribus, putrida; si vero in partibus solidis accendatur, dicetur febris hectica. Cæterum licet hoc verum sit, negare tamen non possumus spiritus facillime ac prompte accendi, partes solidas difficillime: humores vero medio modo se habere. Vnde quamvis calor præter naturam, qui humores accendit, in spiritibus facile accendatur: attamen calor accensus in spiritibus difficile humores accendet, & multo adhuc difficilius partes solidas: ratio hujus rei est, quia omnis substantia tenujum partium facilius alteratur quam crassa: spiritus autem omnium quæ in nostro corpore reperiuntur, sunt tenuiſsimi, partes vero

solidæ, crassissime: medium autem locum obtinent humores. Ex hoc Gal. loco manifestissime colligitur, febrem putridam, aut hecticam nullatenus posse consistere sine diaria.

Hanc triplicem febrium divisionem, quæ ex tribus illis substantijs desumitur, confirmat Gal. celebri illa sententia Hippocr. 6. epidem. parte 1. sentent. 8. quando dixit: continentia, contenta, & impetum facientia: hæc namque sunt quæ corpus nostrum constituunt: continentia appellat Hippocr. hoc loco, & alijs solidas corporis partes, per quas non solum intelligit eas, quæ vere, & proprie sunt solidæ, veluti sunt spermaticæ, sed carnosas etiam à sanguine genitas, quæ sub solidis continentur, teste Galen. 14. method. cap. 6. quamvis 11. lib. method. capit. 3. eas ab illis separet. Hujusmodi itaque partes solidas appellavit Hippocrat. continentia, non solum quod humores, & spiritus in suis cavitatibus contineant, sicuti dolia continent vinum, sed etiam quod proprijs facultatibus ipsos procreent, foveant, atque conservent. Contenta vocavit Hippocr. humores ipsos, quia à partibus solidis continentur, & conservantur, quamvis continentia possint etiam aliquo modo appellari, cum spiritus sibi permixtos semper contineant. Impetum vero facientia, seu impetentia vocavit Hippocr. spiritus non solum vitales, sed animales etiam, qui cum tenuissimi sint atque levissimi, nullibi quiescunt, sed hinc inde cum impetu perpetuo moventur, quamvis, & hi spiritus contenta quoque vocari possint, cùm à partibus solidis contineantur, ac guvernentur, quemadmodum humores.

In calce tandem cap. breviter tradit Gal. febrium conversionem, seu transmutationem, dicens, febrilem dispositionem aliquando accendi in spiritibus, nonnunquam in humoribus, interdum vero in partibus solidis: minime autem permanere in eodem subjecto, quod primum affectum est, sed reliqua duo occupare, nisi prius solvatur, progressu vero temporis illa similiter afficere. Quorum verborum sensus talis est, calor præter naturam, qui in facto esse reperitur verbi gratia in spiritibus, communicatur etiam humoribus, & partibus solidis dumtaxat in fieri: sed nisi hic calor prius solvatur, & longiori tempore perseveret, illa similiter afficere, nimirum, ut humores, & partes solidæ calorem etiam concipiant in calefacto esse, quemadmodum spiritus esse cœperunt. Atque hæc sunt, quæ pertinent ad hujus capitis explanationẽ.

DVBITATIO PRIMA.

Vtrum febrium differentiæ ex subjecto desumptæ, sint plures: an vero pauciores.

CVm tertia parte capitis docuerit Gal. febrium differentias ex subjecto desumptas tres tantum esse, nempe diariam, putridam, & hecticam, propterea merito insurgit dubitatio, an hæ differentiæ, sint tantum

tres,

tres, an vero plures, vel pauciores. Namque ex una parte sunt quidam, qui contendunt, unicam tantum esse febris differentiam ex subjecto petitam, nempe hecticam: diariam vero, & putridam ad hanc esse referendas: præcipuum autem fundamentum quo suam sententiam stabilire conantur, est hujusmodi. Ille solus calor præter naturam dicitur proprie febris, qui in substantia cordis existit, igitur calor qui in humoribus, & spiritibus accensus erit, non dicetur febris, & ex consequenti unica solum erit febris differentia à subjecto desumpta, nempe hectica. Probatur antecedens, omnis febris, cùm sit intemperies calida, est morbus, sed calor præter naturam accensus in spiritibus aut humoribus non est morbus, igitur neque erit febris. Probatur minor, morbus semper debet esse in parte viventi, ut docet Aristot. lib. de sensu, & sensili capite primo, ubi scribit, in carentibus vita neque morbum, neque sanitatem fieri posse, igitur cum spiritus, & humores non vivant, quia vitalibus operationibus carent, ex quarum læsione, morbus, & earum integritas sanitas cognoscitur, concludunt, calorem in spiritibus, aut humoribus existentem non esse febrem, sed illum solum qui in substantia cordis erit accensus, & per consequens unicam solum statui febris differentiam ex subjecto petitam nempe hecticam.

Huic difficultati varij varia respondent. Nos autem, ut commodius eam dissolvere possimus, advertere prius debemus ex Galeno lib. de mor. different. cap. 6. 1. de usu part. cap. 9. & ex multis alijs locis, omnes nostris corporis actiones proprie ad instrumenta pertinere: cum autem omnia instrumenta ex pluribus partibus componantur, in quolibet instrumento unica tantum pars similaris reperietur, cui debet propria ipsius instrumenti actio, & quæ sit præcipua causa actionis: alias vero partes solum aliquem præbere usum illi parti, cui præcipue debetur propria instrumenti actio. Igitur cùm hoc ita sit, merito poterit actio instrumenti vitiari, sive lædatur ea pars cui debetur proprie actio, sive alia ex his quæ aliquem usum præstant: unde fit, ut non solum læsio partis præcipuæ morbus appellandus sit, sed etiam læsio illius partis, quæ aliquem præbet usum; in hoc autem differunt hæ partes, quod læsio partis præcipuæ, & cui propria instrumenta actio debetur, semper est morbus: aliarum vero partium læsio, quæ aliquem præbent usum, non semper est morbus, sed aliquando morbus, aliquando vero morbi causa: namque si affectus harum partium nullam inferat noxam primo actionis instrumento, sed per se ipsam actionem lædat, tunc sane morbus erit: quod si non primo, & per se, sed illata noxa parti præcipuæ lædat actionem, tunc causa morbi dicetur. Exempli gratia in oculo plures partes reperiuntur, nimirum tunicæ, humores, venæ arteriæ, &c. Inter quas præcipua pars, & princeps, cui propria videndi actio debetur est,

humor cryſtallinus, aliæ vero partes huic ſuum præſtant uſum. Igitur ſi accidat aliquando, ut lædatur præcipua pars, & videndi actio vitietur, hic perpetuo eſt morbus: quod ſi alia ex reliquis lædatur, veluti humor aqueus, qui actionem lædat primo, & per ſe, non communicata noxa humori cryſtallino, hic etiam morbus erit: ſi vero non primo, & per ſe, ſed communicata noxa parti præcipue, actionem lædat, tunc temporis non morbus, ſed cauſa morbi erit appellanda.

Quibus ita poſitis non erit difficile propoſitæ difficultati reſpondere: nam cum humores, & ſpiritus ſint partes ipſius cordis, quæ uſum præbent præcipuæ ejus parti, quoniam ſine ſpiritibus, & humoribus calor nulla ratione per totum corpus poſſet diffundi, ſi calor præter naturam accenſus fuerit in ſpiritibus vel humoribus, ita ut actio cordis lædatur, quid impediet, quominus hic calor, & febris, & morbus dici non poſsit? Neque hinc colligas velim, ſpiritus, & humores ægrotare, & febre laborare, nam cor eſt quod afficitur, & febricitat læſis ejus ſpiritibus, & humoribus: quemadmodum neque aſſerendum eſt humorem aqueum, ſed oculum laborare, cum ſanitas, & morbus ſint affectus partis viventis.

Sed ex altera parte non deſunt, qui exiſtiment, plures eſſe febrium differentias quam tres: aſſerunt enim alias quaſdam febres reperiri, quæ ſub nulla ex tribus differentijs poſſunt compræhendi: quam ſententiam tribus potiſsimum rationibus nituntur demonſtrare. Prima ratio eſt, febres ſynochi non putres non ſunt diariæ, quia plures dies durant: neque etiam putridæ, cum nulla reperiatur putredo: & multo minus hecticæ, igitur alia differentia febris aſsignanda erit, quæ ſub nulla ex tribus dictis contineatur. Secunda ratio, ſi contingat, generari febrem ex cibis in ventriculo corruptis, & ex vermibus, hæc febris non eſt putrida, nam nullus humor putreſcit, non diaria, neque hectica, ergo, &c. Tertia ratio, ſi fiat febris putrida ex bile putreſcente, & totus humor evacuetur, remaneatque febris, hæc ſub nulla ex tribus illis differentijs poteſt contineri, igitur præter tres prædictas febrium differentias, aliæ quoque reperientur. Sed hæc ſententia falſa itidem eſt: neque illius rationes aliquid concludunt. Ad primam enim reſpondemus cum Gal. 9. meth. cap. 1. febres ſynochos non putres revera eſſe diarias, licet plures dies durent: habent enim calorem accenſum in ſpiritibus, atque ita diariæ dicuntur non veræ, nempe, plurium dierum. Ad ſecundam rationem dicimus, neque cibos in ventriculo corruptos, neque vermes, neque quidvis aliud poſſe febrem excitare, quin prius calor præter naturam, vel in ſpiritibus, vel in humoribus, vel in ſubſtantia cordis fuerit accenſus. Ad tertiam rationem reſpondemus, febrem, quæ relinquitur poſt evacuationem humoris putreſcentis, putridam eſſe, cùm ortum duxerit ex putredine, tuncque eſſe febrem ſine cauſa,

ſa,

ſa, cujus multoties Gal. mentionem facit: ſed ſi hæc febris diutius perſeveret, migrare in primam ſpeciem febris hecticæ.

Tandem Argenterius lib. ſuo de febr. cap. 2. ut aliquid contra Gal. diceret, novam quandam ſententiam machinatus eſt: exiſtimat enim, duo eſſe tantum genera febrium ex duplici materia deſumpta, unum, quod hecticum, alterum, quod in humore poſitum dicitur, cùm nomine alio careamus ſimplici, inquit ipſe, quo illud exprimamus: neque enim putrida febris vocari poteſt. Concludit igitur, febres omnes accendi, vel in partibus ſolidis, vel in humoribus, & ea quæ in partibus ſolidis fit, hectica vocatur: quæ vero in humoribus, varia nomina capit; vel enim putrida eſt, vel non putrida; ſi non putrida, vel diaria, vel ſynocha non putrida dicta; ſi putrida, vel eſt ſynocha putrida, vel tertiana, quotidiana, vel quartana, &c. Quam ſententiam tum ratione dnce, tum Gal. auctoritate nititur demonſtrare: quæ omnia, quia nimis longum eſſet recenſere, ideo in præſentia prætermittimus. Verum hæc opinio minus conſtare poteſt, quam antea dicta, cujus examen in præſentia ſilentio obvolvimus, cùm omnia, quæ in ea continentur, facile poſsint refutari ex his, quæ ſuperius dicta ſunt.

Quare his rejectis ſententijs exiſtimandum erit, differentias febrium à ſubjecto deſumptas ſolum eſſe tres, non vero plures, nec pauciores, nimirum diariam, putridam, & hecticam, quæ excitantur pro varia apprehenſione caloris præter naturam in ſpiritibus, vel humoribus, vel in partibus ſolidis; quoniam ſi calor præter naturam in ſpiritibus accendatur, fit febris diaria: ſi in humoribus, putrida ſi vero in partibus ſolidis, febris hectica ortum ducit. Sed de hac dubitatione, hactenus.

DVBITATIO SECVNDA.

Num omnes febres poſſint ſtatim à principio hominem invadere.

EX doctrina tradita in quarta contextus parte emergere videtur dubitatio, qua quæritur, utrum omnes febres poſsint ſuam generationem ſtatim à principio obtinere: quod idem eſt, ac ſi dicamus, num omnes poſsint incipiendo fieri. Imprimis de febre diaria dubium non eſt, ſtatim à principio hominem præhendere: dubitatio vero ſolum eſt de febre hectica, & putrida, an incipiendo poſsint fieri. Communis Medicorum opinio noſtræ Scholæ tenet, febrem hecticam poſſe incipiendo ſuam generationem obtinere; quam ſententiam non probant ratione, ſed ex varijs Galen. locis eam deducere conantur: Siquidem hoc capite inquit, febrem, alias ex alio de prædictis ſubjecto incipere. Et hoc lib. cap. 9. docet Galen. febrem hecticam quoties ſine cauſa extrema conſiſtit, nunquam ab initio præhendere: quoties autem à cauſa externa fit, proculdubio à principio invadere. Idem quoque ſcribit

3.

3. de præsag. ex pulf. cap. 3. ex quibus omnibus locis colligunt, febrem hecticam posse incipiendo fieri, & statim à principio hominem invadere.

Cæterum quamvis hæc opinio communis sit, & ab omnibus nostræ Scholæ Medicis recepta: nihilominus tamen falsa est, & ab omni ratione maxime aliena. Existimamus itaque, febrem hecticam nullatenus posse statim à principio hominem invadere: quam sententiam non solum Galen. auctoritate, sed rationibus etiam quibusdam ostendere conabimur: etenim Gal. 2. de cris. cap. ultimo, in hæc verba prorumpit. *De hecticis autem non est præsentis temporis sermo, nulla enim earum in primis diebus, sed in progressu temporis talis fit.* Ex quibus verbis luce clarius colligitur, febrem hecticam non posse fieri incipiendo, siquidem nulla earum in primis diebus, sed in progresiu temporis talis fit. Deinde neque desunt rationes, quibus nostram sententiam confirmemus, quarum prima est. Ea quæ tenujori constant substantia, ut docet Galen. hoc cap. facilius, ac promptius alterantur, quam ea quæ crassiora sunt, sed spiritus tenujori constant substantia partibus ipsis solidis, igitur facilius, ac promptius alterabuntur quam solidæ partes, & ex consequenti non poterit fieri febris hectica, quin prius præcedat diaria. Respondent contrarij dicentes, veram esse primam propositionem; attamen posse aliquando contingere, ut dispositio quædam sit in partibus solidis, quæ cum eo tempore in spiritibus, & humoribus non reperiatur, in causa sit, ut hæc difficilius: illa vero facilius incalescat: atque ita poterit fieri febris hectica, quin prius præcedat diaria. Sed contra, hæc dispositio in nullo alio potest consistere quam in calore, tenuitate, & varietate, & varietate causarum agentium, sed spiritus perpetuo sunt calidiores, rariores, & tenujores quam ipsæ partes solidæ, & semper facilius pati possunt à causis agentibus, igitur spiritus perpetuo magis erunt dispositi ad calorem concipiendum, quam partes solidæ, & per consequens non poterit incipere febris hectica, quin prius præcedat diaria. Secunda ratio est; calor mediantibus spiritibus, & sanguine ad omnes partes transmittitur, igitur si hoc ita est, quomodo poterit unquam febris hectica incipere? Probatur consequentia, partes solidæ necesse est, calorem concipiant ab spiritibus, & sanguine, igitur necesse etiam erit ipsos spiritus antea semper esse excalefactos, & ex consequenti diaria semper debet præcedere febrem hecticam. Tertia ratio, experimur in omnibus febribus, quæ sine rigore, & frigore incipiunt, cor, & totum corpus simul concipere calorem præter naturam, sed hoc nullo modo fieri posset, nisi prius sanguis, & spiritus incalescant, igitur non poterit fieri febris hectica, quin prius præcedat diaria. Probatur minor: hujusmodi calor, qui mediantibus spiritibus, & sanguine in universo corpore accenditur, transmittitur à

cor-

corde, sed si partes solidæ prius quam aliæ calefierent non posset calor præter naturam momento temporis in omnes corporis partes transmitti, quia quod solidum est, non statim calidum evadit, igitur febris hectica non poterit incipere, quin prius præcedat diaria. Vltima ratio est; febris non solum ipsius cordis, sed totius etiam corporis possio est, & omnes partes fiunt participes ipsius febris, & caloris præter naturam, qui in corde est, igitur quomodo omnes partes corporis, excepto corde, pati primo dicentur febrem hecticam? si ad illas omne illud quod præter naturam in corde reperitur, mediantibus spiritibus, & sanguine transmittitur?

Ex dictis, facile erit auctoritatibus Galen. respondere. Ad primam etenim ex hoc cap. desumptam respondemus, quod quando Gal. asserit, febrium alias ex alio de prædictis subjecto incipere, per hæc verba non intelligit omnes febres fieri incipiendo, sed solum tradere transmutationem unius febris in aliam, ut ex illius verbis colligitur. Secundæ auctoritati respondemus, quod quando Gal. illis duobus locis dixit, febrem hecticam quoties fit à causa externa, statim à principio invadere, ibi per principium non intelligere Gal. primam invasionem, sed primos dies, id autem colligi videtur ex eodemmet Gal in 10. method. cap. 5. scribit, mulierem quæ ex tristitia, & vigillijs febricitare cœpit, se statim quarto die deprehendisse hecticam fuisse febrem cum putrida conjunctam. Ex quibus verbis manifeste colligitur, per illa verba, statim à principio, idem intelligere Gal. quod in primis diebus: propterea namque dixit, illam mulierem à principio esse febre hectica correptam, quia quarto die illam hectica laborare deprehendit.

De febre putrida dubium itidem esse potest, utrum possit incipiendo fieri anvero calor præter naturam eodem modo atque in hectica, prius invadat spiritus quam humores. Et ratio dubitandi est, quoniam quemadmodum humores ipsi omni ratione videntur paratiores ad calorem concipiendum quam partes solidæ, ita etiam necesse est, ut hi humores tanto tardius spiritibus accendantur, quanto crassiores, frigidioresque erunt. Sed si hoc ita est, cur fit, ut sæpius febres putridæ statim invadant nulla præcedente diaria? Respondemus breviter, vere, & proprie loquendo non posse febrem putridam statim invadere, quin prius præcedat diaria: quoniam statim atque humores accenduntur, simul quoque, aut prius ipsi spiritus calorem concipiunt, quorum calor cum statim ipsis humoribus communicetur, & eorum putredine febris excitetur, contemdimus id quod in spiritibus primo factum est, ex eo quod curationem non variat: aut certe non cognoscimus, tanquam illud sit obscuratum à majori affectione, quæ in humoribus est facta. Concludamus itaque, solam febrem diariam posse statim ab initio hominem invadere, hecticam vero, & putridam nequaquam.

DE EVIDENTIBUS, ET COMMUNIBUS CAUSIS febrium.

CAPVT SECVNDVM.

¶ *Et oportet, quæ jam dicta sunt unà demonstrare, &c.*

POstquam superiori capit. prima jecit fundamenta Galen. totius hujus operis, docueritque, tria tantum esse febrium genera ex materia desumpta: jam nunc ad particularia accedens, antequam ad has differentias explicandas deveniat, causas omnium febrium tradit, ostendens etiam earum generationem, & notas, quibus quamlibet separatim dignoscere valeamus. Præsens autem caput duas continet partes: in prima earum varias febrium causae tradit Gal. non solum externas, quæ propriæ sunt febribus diarijs: sed internas etiam, & quæ putridas febres generare solent. In secunda vero parte, eorum ignorantiam reprehendet Galen. qui non assequuti fuerunt, qui affectus, vel dispositiones nostris corporibus adveniant ex dictis febrium causis. Ad primam contextus partem accedentes, docet Gal. neminem esse qui ipsa experientia doctum non agnoscat quod ex laboribus, ira, & tristitia, & solis ardoribus, atque frigoribus, vigilijs, & cruditatibus, ebrietatibus, & crapulis, quidam se febricitate conspiciuntur. Ex his omnibus causis externis febres diariæ præcipuum ortum ducunt, cùm inseparabile sit ab his febribus, ut à causa externa, sivè procatarctica generentur, qua autem ratione quælibet ex supradictis causis febrem generare valeat, sequenti cap. docebit Galen. & nos simul cum illo id præstabimus. Has easdemmet causas latius retulit Gal. 2. de cris. cap. 13. & 1. ad Glauc. cap. 2. addens dolorem, furorem, satietatem, & bubones.

Inter prædictas causas externas particulares, alias quoque communes recenset Gal. quæ non solum febrem diariam, sed alias quoque febres generare valent, inquiens, neminem sanæ mentis dubitare, pestilentem aeris statum febrem itidem afferre: quod sane verissimum est, cùm quotidie doceat experientia aerem coinquinatum, & prava qualitate infestum perniciosissimas febres excitare, quæ non solum civitates sed totum fere orbem devastare consuescunt, ut docet Gal. lib. de theri. ad Pyso. cap. 16. propterquam causam docet, pestem esse contagiosam: adeo ut valde sit periculosum versari cum his, qui peste laborant: neque immerito, cùm pestis ex communi causa generetur, aere scilicet maligno, & prava qualitate infecto, quem con-

continuo media inspiratione attrahimus, & aliquando etiam transpiratione, attrahentibus arterijs, quæ ad cutem finiuntur aerem illum prava qualitate coinquinatum. Potest igitur qui peste afficitur multos adstantes inficere, quoniam cùm ille aerem pravum, putridumque continuo expiret, hic itidem inspiratus inspirantes haud dubie inficiet: nam eodem modo quo aër pravus potuit inficere, poterit etiam, & alium, si adsit in eo dispositio.

Cæterum quia hoc loco mentionem fecit Galen. ipsius contagij, idcirco non erit extra rem, aliquid de ejus natura in medium adducere, ut commodius contextum Gal. intelligere valeamus. Contagium nihil est quam, *communicatio affectus ex uno corpore in aliud, producentis affectum similem specie*. Prima particula hujus diffinitionis est, *communicatio affectus*; per quam intelligere debemus rem præter naturam, quæ cùm triplex sit, morbus scilicet, causa morbi, & symptoma; affectus qui communicatur non erit morbus, quia sequeretur dari morbum in re non vivente, nimirum in illa substantia, media qua communicatur contagium: morbus autem semper est affectus rei viventis. Neque affectus ille qui communicatur est symptoma, hoc namque perpetuo morbum ipsum consequitur, veluti umbra corpus. Igitur necessario illud quod communicatur, debet esse morbi causa, quæ possit moveri, cujusmodi est humor, vapor, vel spiritus. Secunda particula est, *à corpore in corpus*; quæ tradita fuit, ut inde intelligamus, affectum communicatum ex una parte in aliam ejusdem corporis non fieri per contagium; & propter hanc causam quando Gal. 3. de locis affect. cap. 6. & 7. docuit, epilepsiam, aut melancholiam fieri proprium affectum cerebri, aliquando vero per consensum alicujus partis, ut ventriculi, uteri, &c. Hos affectus debemus appellare per consensum, non autem per contagium, quoniam fit communicatio inter duas partes ejusdem corporis, non vero inter duo corpora distincta, quod requiritur ad contagium. Vltima particula est, *producentis affectum similem specie*: namque ad hoc ut communicetur contagium, debet produci affectus in alio similis specie, ut accidit in morbo gallico, in quo, qui tali morbo afficitur, alium inficit per contagium, quia affectus productus in alio ægrotante est etiam morbus gallicus similis in specie. Vnde colligitur, quod quando torpedo marina media rete aut baculo torpidam reddit manum piscatoris, ejusque sensum stupefacit, talis affectio non fit contagiosa, quia affectus in piscatore productus non erat antea in torpedine marina, & ita non est similis specie. Quare de ratione contagij erit, ut sit affectio, & quod talis affectio communicetur de corpore in corpus, & quod producat affectum similem in specie. Requiritur etiam ad contagium, ut humor, vel vapor, vel spiritus hæc omnia obtineat, nempe fervorem ratione cujus fiat evaporatio, putredinem,

& lentorem. Hinc dissolvemus illud problema, quo quæritur, cur hydrops non sit contagiosa, scabies vero maxime: quia scilicet cùm scabies fiat ex humore lento adhæret partibus, & ita est contagiosa: at cùm humor faciens hydropem sit tenuis, & aqueus, etiam si evacuetur, non potest adhærere partibus, atque ita hydrops non erit contagiosa.

Explicata contagij natura, de ejus differentijs aliqua dicamus. Tres sunt contagij differentiæ: prima est, in qua communicatur contagium medio contactu, sunt enim aliqua corpora, quæ nisi mutuo se tangant non possunt affici contagio, quoniam vapor, qui evacuatur ex uno corpore, habet aliquando multam humiditatem, ita ut facillime dissipetur, & absumatur, sicque non poterit ad aliud corpus inficiendum pervenire, quin illud physico contactu tangat: ut apparet in fructibus, nam pomum putrefactum aliud etiam pomum inficit medio contactu. Secunda differentia contagij est, in qua communicatur contagium medio fomite, id est, quod in corpore infecto seminarium contagij per aliquod tempus remaneat, ita ut alia corpora inficere possit, ut in scabie, pthisi, & alijs affectibus demonstrat experientia. Tertia differentia est, in qua communicatur contagium ad corpus distans, ut tempore pestis accidit, in quo divagatur contagium non solum per totam urbem, sed per totum fere orbem. Circa secundam contagij differentiam advertendum est, quod fomes contagij nihil aliud est, quam corpus quod secum retinet vapores pravos, & semen contagij per aliquod tempus, ad quod requiritur, ut corpus sit rarum, & porosum, ut facile possit vapores recipere, quibus communicatur contagium, & illos servare per aliquod temporis spatium. Vnde corpus non debet esse summe calidum, nec summe frigidum: caliditas intensa extingui semen contagij; & propter hanc causam metalla, & lapides non sunt contagiosa, quia scilicet sunt corpora densa, tum etiã, & frigida. Quare corpora, quæ recipiunt, & servant contagij fomitem, debent esse lanea, vel linea, vel pellicea, vel lignea, quæ sunt rara, & porosa, quæ facile possunt vapores recipere, & illos conservare.

Causa ipsius contagij unica tantum reperitur, vehemens scilicet, & profunda putredo, quam perfectam corruptionem appellant: ex hac namque quædam substantia putrida, vel vapores effluere solent, in quibus seminarium putredinis, & corruptionis continetur. Quare ut putredo sit contagiosa, tres requiruntur conditiones: Prima est, ut putredo ingens sit, & profunda: Secunda, ut aliquæ substantiæ putridæ effluant ex illa. Tertia, quod adsit inter res ipsas quædam substantiarum similitudo, & analogia, cujus ratione similem infectionem recipiant, & propter hanc causam fit, ut in aliquo homine affectus aliquis contagiosus reperiatur, qui alijs animalibus communicari non potest, quia scilicet substantiarum

rum

rum similitudo non reperitur. Ex quibus intelligemus rationem, propterquam febres putridæ non sunt contagiosæ, quia scilicet putredo, quæ in illis adest, exigua est, & superficiaria, atque ita vapores qui ex illis elevantur, non sunt adeo lenti, & viscidi, ut pertinaciter adhærant proximis corporibus. Sed de contagio hæc sint satis quantum ad nostrum institutum; si quis autem plura de hac re cupiat legat Hieronymum Mercurialem lib. suo de peste, cap. 12. & Horatium Augenium, lib. 6. de febr. cap. 20. qui inter cæteros diffuse in hac materia versati fuerunt.

Ad institutum itaque reversi, cùm pestis contagiosa sit, merito docuit Gal. periculosam esse conversationem pestilenti morbo laborantium. Ea autem quæ de contagio pestis docuit Gal. & de periculo cum peste laborantibus, ulterius confirmat exemplo earum affectionum, quæ contagium solent etiam inducere, quorum conversatio periculosa quoque est: hi autem affectus sunt scabres, lippitudo, & tabes. Scabies, ut docet Gal. 2. de caus. symp. cap. 6. nihil aliud est quam summæ cutis asperitas cum pruritu, squammis, & ulceribus saniosis, à bile adusta, vel pituita salsa putri, & nitrosa proveniens. Quod hæc sit contagiosa, experimento patet in his, qui cum scabie affectis versantur: nam si in eodem lecto decumbant, aut si in eisdem linteis manus abstergant, statim scabie inficiuntur: quoniam cum ex corporibus scabie laborantibus effluat excrementum quoddam adustum, lentum, & tenax, id media alterius corporis transpiratione trahitur, ab arterijs ad cutim finientibus, sicque prava sua qualitate inficit cutem, & humores, quod fit, vel medio contactu, vel medijs linteis, ut vestibus relicto fomite contagij in illis.

Recenset etiam Galen. inter hos affectus contagiosos lippitudinem, quæ à Græcis ophthalmia dicitur: hæc autem nihil aliud est quam tunicæ ad natæ oculi inflammatio. Sed dubium maxime videtur, quomodo ophthalmia fit contagiosa, cum id non conveniat aliarum partium inflammationibus. Relicta interpretatione Aristot. & Alexand. Aphrodisæi, qui ad mollitiem, & facilitatem motus ipsorum oculorum retulerunt facile hoc dubium dissolvetur, si recte animadvertamus ea, quæ docuit Gal. 7. de decret. Hipp. & Plat. cap. 4. ubi docet, spiritus animales non descendere ad omnes partes corporis, ut ipsis vim sentiendi, & movendi tribuant, sed sola irradiatione facultatem animalem ex cerebro descendere, præterquam ad oculos, & ad spinalis medullæ principium, ad quas partes descendit facultas animalis simul cum maxima copia spirituum animalium; id autem constat ex harum partium formatione, siquidem in principio spinalis medullæ meatus quidam apparet, qui nullum alium usum præbet, nisi ut animali spiritu repleatur: & propter hunc eundem usum nervi optici fuerunt à natura perfutati, ut per ipsos multa copia spirituum ex

cerebro transmitteretur, ut visio recte fieret. Docet etiam Gal. loco citato, hos spiritus animales, qui ad oculos per nervos opticos deferuntur, continuo ex oculis in ambientem aerem affluere, eumque alterare, cùm visio ipsa fiat extramittendo, foras scilicet ab oculis erumpente spiritu: non vero intramittendo: ut voluerunt peripatecici. Ex his facile dissolvetur dubium, quomodo scilicet ophthalmia sit contagiosa: quoniam cùm maxima copia spirituum ex oculis continuo exeat, & in ophthalmia affectis ipsi oculi sint intemperati, & inflammatione affecti, necessarium quoque est, ut spiritus intemperati etiam reddantur, qui in aerem ambientem effluentes sanos oculos veluti feriunt suam intemperiem eis communicantes: oculi vero intemperie calida affecti à calore illo acri stimulati idonei maxime redduntur ad recipiendam fluxionem, ex qua nascitur inflammatio, & ex hac ophthalmia ortum ducit.

Ex solutione hujus dubij non erit quidem difficile, permulta alia problemmata dissolvere: nam si verum est, quod de lupo dicitur, quod si aliquem inopinantem, & incautum prius aspiciat, in eo raucedinem loquendique difficultatem inducat: id sane fiet, quia ab oculis lupi spiritus quidem maligni, & perniciosi emanant, qui aerem alterantes prava illa qualitate, dum eum inspiratione attrahimus, raucedinem inducit, & loquendi difficultatem. Illud itidem quod ajunt de basilisco, quod scilicet solo intuitu homines interficiat, nulla alia ratione fiet, quam quod spiritus animales, qui ab oculis basilisci perpetuo effluunt, lethales sint, & maligni, qui prava illa qualitate aerem inficientes homines feriunt, illosque interficiunt. Idem etiam collige, quod vulgus inquit de fascinatione; & de mulieribus quas fascinatrices appellant. Huc etiam pertinet, quod quotidie ostendit experientia de mulieribus menstruatis, & quibus menstrua fluunt, quæ solo intuitu solent specula polluere, eaque inficere, nisi prius frigida aqua oculos abluerint.

Inter supradictos affectus contagiosos alium quoque connumerat Gal. qui tabes dicitur: quæ vox varias obtinet significationes: namque apud veteres omnem corporis extenuationem significat. Sumitur etiam, & magis proprie, pro ulcere insanabili pulmonis, vel potius pro ulcerosa dispositione in pulmone, quæ phthisis proprie dicitur. Ex his prior tabes nullam obtinet putredinem, atque ita non erit contagiosa; hæc autem posterior, quæ phthisis appellatur, contagiosa quidem est: cujus contagium in hunc modum communicatur. Quando pulmo ulceratus est, necessario ex illo resudant excrementa, veluti ex alijs ulceribus, quæ cùm non recte diffluentur, multo tempore ibi detenta necesse est, ut putrefiant: putrefacta vero simul quoque corrumpunt, ac putrefaciunt aerem qui experatur, qui ita corruptus acrimoniam, & putredinem adeptus, ubi media inspiratione ab alijs attrahitur,

tur, pulmones qui rara, ac laxa constant substantia, facile læduntur sensimque eroduntur donec tandem ulcerentur.

Non solum autem supradicti affectus contagiosi sunt, sed etiam, ut ait Gal. in contextu, omnes illi in quibus ægrotantes putridum expirant, adeo, ut domus quas habitant, fœtidum exhalent odorem, quorum conversatio maxime est fugienda, ne inde contagium contrahatur. Cæterum hæc omnia quæ de his affectibus contagiosis dicta sunt, non simpliciter, & absolute sunt intelligenda, sed potius si omnia concurrant, quæ omnes hi affectus sint contagiosi, non propterea inde sequitur, contagio statim affici debere omnes illos, qui cum his qui dictis affectibus laborant, versantur, sed requiritur, ut tantum sit agentis robur, aut malignitas, ut ei non posit satis resistere virtus corporis, quod affici debet; requiritur quoque, ut certum, ac sufficiens tempus adsit, ad hoc ut communicetur contagium; vicinia etiam aut contactus intercedere debet: ac tandem necessarium est ut concurrat passivi corporis dispositio, ac præparatio: quæ omnia si non adsint, neutiquam contagium inducenti hi affectus.

Recensitis jam affectibus contaginosis, revertitur iterum Gal. ad tradendas febrium causas, inter quas connumerat etiam intermissam exercitationis consuetudinem, quæ non solum febres, sed alia itidem morborum genera inducere solet. Adnumerat quoque plethoram, alimenta pravi succi, medicamenta, & æstus circa caniculam: ex quibus febres nascuntur, veluti ex supradictis causis. Imprimis intermissa exercitatio, seu otiũ febrem inducere solet, quoniam detinentur intra corpus ea excrementa, quæ per exercitationem excerni solita erant unde nativus omnium partium calor languidior redditur, & naturales actiones non recte exercentur, & proinde multa redundare debent excrementa, quæ intro detenta obstructiones pariunt, ex quibus sequitur putredo, & ex hac febris necessario ortum ducit. Deinde plethora ad vasa febres synochos generat aliquando vero non putres; plenitudo autem ad vires alia febrium genera afferre solet, de quibus suo loco agemus. Præterea alimenta pravi succi febres quoque excitant, tum quod pravos humores generent, tum quod obstructiones pariant. Tandem medicamenta actu calida, vel potestate; & æstus circa caniculam febres itidem inducunt: qua autem ratione id fiat, per se notum est, facileque ex dictis colligere unusquisque poterit. Atque hæc de prima contextus parte.

¶ *Qui vero ab ejusdem causis nostris corporibus adveniat affectus, ex quo febricitemus, hoc sane multos latet, & à plerisque etiam qui se Medicos profitentur, ignoratur, &c.*

AD secundam contextus partem accedentes, eorum ignorantiam reprehendit Galen. qui non assecuti fuerunt, qui affectus, seu dispositiones

nes

nes nostris corporibus adveniant ex supradictis febrium causis: non enim omnibus notum est, qua ratione, & quomodo affecto corpore nostro à prædictis causis, febres accendantur: imò hoc à multis ignoratur non solum idiotis, sed ab illis etiam, qui se Medicos profitentur. Horum autem Medicorum duplex est genus, alterum eorum qui Empiricam sectam colunt, & solam experientiam sequuntur: hi enim satis esse putant supradictarum causarum notitiam habere, & febres inducere, ut diversa remedia posiint adhibere, qualia eos experientia edocuit: rationes vero tradere, cur hæ causæ ita nostrum corpus afficiant superfluum esse dicunt, nullaque ratione posse à nobis comparari, cùm rerum naturæ incognitæ prorsus nobis sint. Alterum genus Medicorum est eorum, qui Methodicam sectam profitentur: hi enim tantum agunt ut scire, & sapere videntur veram tamen sapientiam negligunt, dummodo sapientes esse credantur, cum tamen isti parem cum prioribus habeant ignorantiam, quorum ignorantia inde ortum habuit, quia scilicet artes, & disciplinas tractare audent, priusquam in logica disciplina sint exercitati, cujus munus est verum à falso discernere, & probationes veras à falsis, & apparentibus dijudicare; ijs vero si ad hanc ignorantiam accesserit arrogantia, eo insaniæ, & temeritatis perveniunt, ut ea negare audeant, quæ nos quotidie docet experientia, & de quibus nullus hactenus dubitavit, negantes interalia, à supradictis causis febres induci posse: quorum opinionem non est quod hoc loco refellamus, cum abunde lib. de caus. procat. eos reprehenderit Gal. Hæc sunt, quæ pertinent ad hujus capitis explanationem.

DE DISPOSITIONIBUS QUÆ A PRÆDICTIS febrium causis in nostris corporibus generantur.

CAPVT TERTIVM.

¶ *Sunt igitur suppositiones hæ: calidum, frigidum, humidum, & siccum, esse corporum elementa: primasque ex eorum intemperaturis consitui ægritudines: ex quarum numero febris est una, quando in corde quædam præter naturam caliditas generatur, &c.*

VT recta methodo exponere possit Galen. quales sint dispositiones, seu affectus, qui à supra dictis febrium causis nostris corporibus adveniunt, tradit prius quasdam hypotheses alijs in locis à se demonstratas.

Hoc

Hoc autem caput, clarioris doctrinæ gratia, in duas secabimus partes: in quarum prima eos affectus tradit Gal. qui sunt in nostris corporibus à causis externis, & qui præcipue febres diarias generant. In secunda vero parte, dispositiones seu affectus explicat, à quibus febres putridæ ortum ducunt. Ad primam igitur partem devenientes, priusquam hæc omnia ostendat Galenus, hypoteses quasdam proponit. Prima est, calidum, frigidum, humidum, & siccum sunt communia rerum omnium elemmenta; quam hypothesim tradidit quoque Hippocr. lib. de hom. natur. & Galen. lib. de element. ex horum autem intemperaturis constituuntur primi morbi partium similiarum, ex quorum numero est febris, quando in corpore quædam prærer naturam caliditas generatur. Secunda hypothesis est, febrium differentiæ secundum genus caloris tres sunt, quæ desumuntur ex varia materia, in qua calor præter naturam accenditur: nam si accendatur calor in corpore cordis nascitur febris hectica si in humoribus, putrida: si vero in spiritibus accendatur, febris diaria ortum ducit; quam hypothesim 1. etiam cap. tradidit Gal. Vltima hypothesis est, in omnium febrium constitutione causas ipsas præincipere, cùm nihil possit sine causa fieri: has vero causas necessario observare oportet, in quibus medici, qui ab experientia Empirici vocantur, eas observant tanquam ad curationem non parum conferentes, cum ipsi habeant certa quædam medicamenta quæ utilissima esse cognoscunt ad curandas febres ex cruditate ortas: alia vero ad febres ex lassitudine, &c. At vero medici rationales in his causis non immorantur, sed ulterius progredientes ipsius rei naturam scrutantur, quæ per indicationes ad rationem prædicendi, & curandi deducit, contemnentes etiam quæ experientia observantur, & inventa sunt.

His ita positis accedit jam Gal. ad exponendas dispositiones, quæ fiunt in nostris corporibus a supradictis febrium causis: quod ut facilius præstet, omnes febrium causas sub quinque capitibus compræhendit, nempe sub motu, putredine, vicinia rei calidæ, constipatione, & sub alicujus substantiæ calidæ permixtione: quemadmodum etiam præstitit lib. de caus. morb. cap. 2. dum traderet causas morbi calidi. Qua igitur ratione corpora nostra à supradictis causis afficiantur, & febres accendantur, ostendit nunc, initium sumens à vicina rei calidæ; hanc vero, febrem inducere ostendit Gal. exemplo exustionis quæ fit à sole tempore æstatis, sive sit solis actio quatenus ab ipso dimanat, sive sit affectus, qui jam omnino factus est à sole, & qui jam ab ipso non dependet: hic enim affectus est calor præter naturam, nondum tamen febris dicitur, nisi cor simul calefiat. Hoc itidem ostendere possumus exemplo ab alijs rebus externis desumpto, nam si quis diutius in balneo nimis calido detineatur, aut multo tempore juxta ignem verse-

versetur, haud dubie febre corripietur, quatenus scilicet hæc vicinis partibus per continuam alterationem calorem ita communicant, ut tandem ad cor dispositio deveniat.

Sed hoc loco duo occurrunt animadversione digna. Vnum est, qua ratione fiat; ut qui diutius sub sole maneat, facile febre corripiatur? qui vero ad ignem multo tempore immoratur, tali non afficiatur? videmus enim, eos qui juxta ignem operantur, vix unquam febricitare. Est etiam illud animadversione dignum, cur non facile febre afficiatur, qui continuo contractat febricitantem? si ob vicinam rei calidæ febres nascuntur? Respondemus, quod ad hoc ut propter vicinam rerum calidarum febres accendantur, necesse est, ut caliditas illa cordi communicetur, communicatur vero caliditas cordi à causis externis medio aere; unde cum illi qui sub sole, aut in aere calido diutius immorantur hoc præcipue habeant, ut calidus ille aer facile penetret in cor, inde fit, ut facile febre corripiantur; at vero qui operantur juxta ignem, & ipsos febricitantes contractant, licet secundum superficiem aliquem calorem acquirant, in ipsis tamen aer qui attrahitur, non est adeo calidus, ut attractus ad cor possit ipsum accendere, & consequenter febrem inducere.

Secunda causa quæ affectionem inducit in nostris corporibus, & febrem accedit, est motus: motus autem duplex est, animi scilicet, & corporis; sed quia motus alij sunt qui fiunt ab internis ad exteriora; alij vero è contra ab externis ad interiora, priores, veluti sunt gaudium, & verecundiam nullo modo febrem inducere apti sunt, quia calor movetur extra corpus, atque ita potius refrigerare, quam calefacere videntur; alij vero motus, ut ira, tristitia, timor, &c. non solum corpora nostra calefaciunt, sed febres etiam inducunt; quod vero hi animi motus, seu pathemata febrem accendant, ostendit Gal. exemplo iræ, & tristitiæ: nam diverso modo generatur febris ab ira, atque à tristitia, quoniam febris quæ fit ab ira, originem ducit à motu sanguinis atque fervore nativæ caliditatis, in ea etenim sanguis, & spiritus subito ad interna viscera retrahuntur, potissimum autem ad cor nativi caloris principium, ibique multum fervent, & propter hanc causam ira est veluti quidam sanguinis fervor cum vehementi motu caloris in corde, at febris quæ à tristitia excitatur, ex solo motu sanguinis, non autem ex fervore generatur, cùm in hoc nullo modo ferveat sanguis, sed solum sanguis, & spiritus ad interna viscera retrahuntur, cumque ibi multo tempore immorentur, ideo fit, ut spiritus veluti atterantur, & concultentur, atque ita necesse est calorem præter naturam concipiant, indeque febrem, vel in spiritibus, vel in partibui solidis accendant. Deinde quod motus corporis febrem quoque excitent, id demonstrat Gal. exemplo lassitudinis, ejus scilicet quæ non spontanea dicitur, & quæ subsequi vide-

videtur ex validis corporis exercitationibus; ex hac itaque laſsitudine ſic corpora noſtra afficiuntur. Ex motu corporis immodico inſtrumenta motus, veluti ſunt muſculi, nervi, ligamenta, & oſsium articuli in ſeſe ita colliduntur, ut maxime arterantur, & inter ſe calefiant qui calor, ſi ultra non progrediatur, ac prius ſolvatur, quam totum animalis corpus invaſerit, præter laſsitudinem nihil relinquit; quod ſi in totum extendatur, & calor nativus in corde accenſus fuerit, febrem neceſſario inducit. Hæc autem intelligenda veniunt de motu immoderato quidem, ſed qui nondum ad extremum pervenit, hic etenim rantum abeſt, ut calefaciat, quin potius frigidos affectus generet triplicem partium ſubſtantiam diſsipans, tandemque corpus refrigerant inſtrumentorum motus robur diſſolvit.

Sed rogabit aliquis, cur Gal. inter cauſas externas recenſuerit animi motus, cum tamen internæ videatur? Reſpondemus motus animi dupliciter poſſe conſiderari, vel ſecundum ſeipſos, vel ſecundum objecta à quibus concitantur: ſi ſecundum ſe conſiderentur, certe res ſunt internæ: ſi vero ſecundum objecta à quibus excitantur, quia hæc ſunt exteriora, ideo Gal. hæc reſpiciens appellavit cauſas externas. Vel reſpondere poſſumus, poſſe aliquid dici cauſam externam, vel quia ſit extrinſeca; vel quia evidens: primo modo animi motus non ſunt res externæ, quia non ſunt extra noſtra corpora: ſed ſecundo modo, nempe quia ſunt cauſæ evidentes; nam ſi quis, exempli gratia, incidat in febrem propter iram, hoc quidem evidens eſt, & ab omnibus cognoſcitur, ideo dicuntur animi motus cauſæ externæ, quia ſunt evidentes.

Tertia cauſa, quæ noſtra corpora afficit febrem inducens, eſt denſitas, ſeu meatuum cutis conſtipatio, quos fabricavit natura ad expellenda tertiæ coctionis excrementa. Condenſatur autem cutis, vel à frigidis rebus, veluti eſt aer frigidus, aquæ gelidæ, balnea frigida, &c. vel à rebus aſtringentibus, ut medicamenta aſtringentia, balnea aluminoſa, &c. Quando igitur ab his cauſis cutis conſtipatur, febris neceſſario accenditur: ex hac namque conſtipatione tali modo afficiuntur, corpora ut acria, & fuliginoſa excrementa; quæ antea per poros cutis diffiari ſolebant, intra corpus coacervata neceſſario detineantur; animalium enim corpora duplici egent difflatione, una media qua attrahatur aer frigidus, qui calorem nativum contemperet, tum per inſpirationem dilatato thorace, tum per tranſpirationem attrahentibus arterijs, quæ ad cutem finiuntur, & terminantur; altera vero media qua expellantur acria, & fuliginoſa excrementa in ſingulis partibus detenta: quod itidem ſit media reſpiratione compreſſo thorace, tum etiam media tranſpiratione contractis arterijs. Propter duplicem igitur cauſam ex cutis conſtipatione oritur febris: Prima eſt, quia retinentur in corpore acria, & fuliginoſa excrementa, quæ

ibi detenta calorem majorem, & acriorem reddunt: Secunda est, quoniam densata cute aer non attrahitur, qui maxime necessarius est ad caloris nativi refrigerium. Quo loco animadvertit Gal. ex cutis constipatione non semper oriri febrem, quoniam si illud quod per cutem effluit, vaporosum, & optimum fit, ut accidit in his in quibus corpus optimis scatet humoribus, tunc temporis ex cutis constipatione non fiet febris, sed potius plethorica dispositio, seu humorum redundantia; quod si illud quod per cutem effluit, acre mordaxque fuerit, tunc sane ex cutis constipatione febris accendetur propter calidi effluvij detentionem; acris autem, & mordax effluit superfluitas ijs, qui aut ex sua natura pravis, & vitiosis abundant humoribus, quales sunt homines cacochymi, aut pravis utuntur alimentis: aut sæpius cruditatibus abundant: ac tum præsertim cum post hujusmodi alimenta assumpta corruptam, ac putridam biberint aquam, seu fæculentam, qualis in lacunis, vel paludibus colligi solet. Vocat autem Gal. prava alimenta, tum ea quæ ex sua natura sunt talia, veluti alia, cæpæ, nasturtium, &c. tum etiam ea quæ cum ex sua natura optima essent, propter quosdam tamen putrefactionis modos magnum vitium contraxerunt, ut sunt frumenta, hordea, atque omnes aliæ fruges, quæ pro alimentis assumuntur, ex quibus aliquæ propter temporis longitudinem ad putredinem deducuntur: aliæ, quoniam male repositæ sunt, situ quodam replentur: quædam vero in primo statim ortu rubigine, seu carie afficiuntur. Cum igitur plenum fuerit corpus hujusmodi pravis humoribus, nulla vero obstructio reperiatur in partibus internis, & totum animal libere difflatur ac refrigeretur, tunc quidem sanitate fruitur, sed dubia, & quæ momento temporis durat: cùm autem pori cutis constipantur, aut meatus interni obstruuntur, ex constipatione sane febris diaria ortum ducent: ex obstructione vero meatuum internorum febris putrida fiet, de qua paulo infra dicemus. Ex quibus concludit Gal. nihil mirum esse, si illi qui cruditatibus abundant, nonnulli febribus corripiantur, alij vero minime: namque si illis pravi abundent humoribus, & non recte difflentur, aut intempestive laborent, aut balneis utantur superfluis, hi facile febribus corripiuntur, quia in his alimenta corrupta facile in totum corpus deducuntur, quod si qui cruditatibus abundant, optimis scateant humoribus, recteque difflentur, & quiescant, & partes quæ circa ventriculum atque hepar sunt, foveant, hi quidem impossibile est, ut febricitent. Ratio est, quoniam in ventre eorum retinebitur omne illud quod corruptum est, & ibi detentum, paulatim per tempus concoquetur vi caloris nativi; & fomenti; etiam calidis adjectis. Hæc de prima capitis parte.

In

¶ *In obstructionibus sanè foraminum, atque humorum intrusionibus (nam, & de hoc dicere distuli) ex putredine patiuntur febrem animalia, &c.*

IAm ad secundam contextus partem accedentes, cùm hactenus ostenderit Gal. febriles dispositiones, quas causæ externæ in nostris corporibus excitant, propter quas in febres diarias incidunt exemplo vicinæ rei calidæ, motus, & constipationis, demonstrat nunc in hac ultima capit. parte febriles affectiones, seu dispositiones, quas in nostris corporibus inducunt causæ, quæ febres putridas generare valent: quod similiter præstat exemplo aliarum duarum causarum, nempe permixtionis alicujus substantiæ calidæ, & putredinis, quamvis non explicet, qua ratione ex permixtione substantiæ calidæ febres generentur, quia facillimum est id intelligere ex his, quæ antea de constipatione docuit: atque ita statim ad aliam causam, nempe putredinem, accedit, ostendens dispositionem, quam inducit putredo in nostris corporibus, ad hoc, ut febres putridæ generentur, quod ut melius præstet, breviter explicat modum, quo febres putridæ generantur, in hunc modum. Meatus intra corpus latentes obstruuntur ab humoribus multis, crassis, & lentis: hanc meatuum obstructionem sequitur impedita transpiratio, quia est symptoma obstructionem consequens: ad hanc impeditam transpirationem statim humorum putredo consequitur: ex qua putredine nascitur febris putrida tanquam ex causa proxima. Idem etiam docuit 11. method. cap. 4. & 10. & propter hanc causam dixit eodem loco, in omni febre putrida septem præter naturam affectus reperiri, humoris scilicet multitudinem, crassitiem, lentitiem, obstructionem, prohibitam transpirationem, putredinem, & tandem febrem ipsam. nam neque putredo potest fieri sine prohibita transpiratione, neque febris putrida absque meatuum internorum obturatione, quæ proprie obstructio dicitur.

Cum igitur proxima febrium putridarum causa sit putredo, & febres putridæ per putredinem intelligantur, & à cæteris febribus distinguantur, operæ pretium erit, ut prius aliqua de natura, & essentia putredinis adducamus, ut commodius ea quæ à Gal. hoc loco traduntur, elicere valeamus, imitantes ipsummet Galen. qui 11. lib. meth. cap. 8. tractaturus de febribus putridis auspicari videtur à natura putredinis. Imprimis Aristot. 4. meteor. cap. 1. sic definit putredinem dicens: *Putredo est interitus, seu corruptio proprij atque innati caloris in uno quoque humido ab alieno calore.* Quam diffinitionem maxime laudat Gal. sequenti lib. cap. 9. & propterea eandemmet adducit 10. lib. method. cap. 8. sub diversis tamen verbis, in hunc modum: *Putredo est mutatio totius substantiæ corporis putrescentis ad corruptionem, à calore extraneo.* Quæ diffinitio optima est, cum per eam explicet Galen. putredinis essentiam, materiam, & causam effi-

cientem. Prima particula est, *mutatio*, hæc autem distincta videtur à priori illa aparticula, quam tradidit Aristot. nempe ab interitu, seu corruptione, siquidem mutatio significat motum quendam, alterationem, & præparationem, seu viam ad putredinem, interius autem, seu corruptio significat finem, & terminum alterationis, igitur hæ duæ particulæ maxime differunt inter sese. Dicimus tamen generationem, corruptionem, putrefactionem, & alia hujusmodi nomina apud Philosophos duobos modis sumi: uno modo pro motu, seu via, quatenus res generantur, corrumpuntur, & putrefiunt: alio vero modo pro termino motus, & quatenus res genitæ corruptæ, & putrefactæ sunt. Vnde quando Aristot. definire voluit putredinem, id fecit de ea quæ jam est absoluta, & ad terminum deducta est; contra vero Gal. eam definivit viam seu mutationem, non vero terminum putrefactionis, atque ita non erunt distinctæ hæ duæ particulæ. Galen. itaque in hac definitione proposita, putredinis essentiam tradidit, cum inquit, *esse mutationem totius substantiæ ad corruptionem*, namque putredo est mutatio ad corruptionem, & non quævis mutatio; sed totius substantiæ. Per quam particulam differt ab alijs mutationibus, quæ à manifestis qualitatibus proveniunt, veluti caliditate, frigiditate, &c. Secunda particula est, *corporis putrescentis*; per quam, causam materialem putredinis explicavit; nam corpus putrescens necessario debet multam humiditatem continere, quæ non recte: calore conservetur, ac gubernetur. Vnde omnia quæ putrescunt, necessario debent esse humida; nam corpora sicca, veluti sunt ossa, & ligna nullo modo afficiuntur putredine, sed carie potius absumuntur propter exsuperantem siccitatem, quam habent. Vltima particula est, *à calore extraneo*: per hanc, causam efficientem putredinis demonstrat Galen. siquidem calor externus causa efficiens putredinis ab omnibus appellatur. Per calorem extraneum non solum intelligere debemus eum, qui extrinsecus corporibus occurrit, veluti est calor solis, aut ignis; sed etiam omnem illum, qui nostro calori nativo contrarius existit, quamvis intra corpus reperiatur, cujus generis sunt vapores intra corpus collecti à prohibita transpiratione propter obstructionem vasorum, vel angustiam meatuum cutis.

Ex his quæ de putredinis natura atque essentia tradita sunt, facile intelligentur ea, quæ docet Gal. in contextu: docet enim, febres putridas generari ex obstructione meatuum internorum, & reddit rationem, quia scilicet promptissime putrescunt quæcunque calida, ac humida, & multa sunt in locis calidis, nisi simul difflentur ac refrigerentur, atque ita nihilmirum esse, si ex obstructionibus febres putres generentur, quia humores calidi, & actu humidi multo tempore detinentur in partibus internis, qui cum ibi non recte difflentur propter obstructiones, necesse est, ut putre-

tre-

trefiant, & putridas generent febres. Quod si hoc ita est, igitur humores frigidi, qualis est pituita, & succus melancholicus non putrescunt, sed pituita putrescit in febre quotidiana, & succus melancholicus in quartana, ergo non solum calida putrescent, sed etiam frigida. Respondemus, Gal. hoc loco non docere, quod solum calida putrescant, quasi non putrescant quæ frigida sunt, sed solum intelligere, quæ calida, & humida sunt promptissime putrescere, quia talia jam sunt disposita ad putredinem; at frigida, & sicca etiam putrescere, tardius tamen, quia non sunt ita disposita ad putredinem, & antequam putrescant, debent calidiora, & humidiora reddi. Ex hoc loco corrigendus erit alius qui legitur 11. method. cap. 4. ubi docet Galen. ea tantum putrescere, quæ calida sunt, & humida, nam loco illius dictionis, *tantum*, legendum est, *prompte*, atque ita non erunt pugnantia hæc duo loca inter sese.

In fine tandem cap. ostendit Gal. nihil mirum esse, si febres putridæ superveniant plethoricis corporibus, sive sit plethora ad vasa, sive ad vires: namque in plethora ad vasa maxime comprimuntur arteræ, ita ut libere dilatari, ac comprimi nequeant, quemadmodum nec reliquæ partes respirationi deservientes, unde calida, & fuliginosa retinentur excrementa, neque calor innatus recte refrigeratur ac ventilatur, sed propter obstructionem prohibetur transpiratio, ex prohibita transpiratione excitatur putredo, ex putredine calor præter naturam, ex quo tandem febris accenditur. In plenitudine etiam ad vires febris quoque generatur, quoniam in ea cito humores ad corruptionem deveniunt, quia non amplius superari, nec concoqui recte possunt à natura, cum vires invalidæ, ac debiliores existant. Deinde quod ex putredine febres generentur, id itidem confirmat ratione alimentorum, quæ crassa sunt, & glutinosa, & eorum etiam quæ acria sunt: & extenuantia, quamvis diversa ratione id præstent: nam alimenta quæ crassa sunt, & glutinosa, febres inducunt ratione obstructionis, & putredinis: at vero alimenta acria, & extenuantia febres excitant, quia pravos generant humores. Neque est, quod aliquis ex hoc loco colligat, ex alimentis acribus excitari febres putres citra obstructionem, quoniam Galen. hoc loco solum comparat hæc alimenta inter sese: nam quamvis omnia, ubi febres putres inducunt, obstructiones generent, attamen quæ crassa sunt obstructiones pariunt ex sua natura: acria vero, & extenuantia, non ex sua natura, sed potius propter vitiosorum humorum multitudinem. Tandem id ostendit Gal. in partibus inflammatione laborantibus, & in quibus tumor calidus præter naturam reperitur, veluti phlegmon, erysipelas, carbunculus, &c. in his enim ratione putredinis febres accenduntur: quoniam cum humor, qui ad has partes fluxit, impactus ibi sit, cum non recte diffletur, necessarium est, ut putrescat. Addit vero Galen. in his inflammationibus

ratione communicationis febrem accendi, parte scilicet inflammata partem sibi vicinam calefaciente, & ipsa alteram, & rursus ab ipsa reliquas, donec ad cor communicatio pertingat. Hæc sunt, quæ pertinent ad hujus capitis explanationem.

DVBITATIO VNICA.

Vtrum prohibita transpiratio sit proxima causa putredinis.

CVm in ultima contextus parte ostendit Gal. febres putres generari ex obstructione meatuum internorum, quia ea quæ calida, & humida sunt in locis calidis detenta promptissime putrescunt, nisi simul difflentur ac refrigerentur, propterea merito dubitatur ab interpretibus, utrum putredinis unica tantum sit causa, nempe prohibita transpiratio: an vero possit etiam fieri ab alijs causis. Et ratio quidem dubitandi est, quoniam ex una parte Galen. 2. method. capit. 4. docet, quod si aliquid manifeste putrescere debet, meatus prædictos, impeditos esse oportet, & cohiberi transpirationem. Capit. etiam 8. ejusdem lib. dixit: impeditam transpirationem putredinis esse ocasionem, & semper putrefactionem dum methodo resolvitur in sua principia, resolvit usque ad impeditam difflationem, & obstructionem: ex quibus locis deduci videtur prohibitam transpirationem proximam esse causam putredinis.

Sed ex altera parte ipsemet Gal. capit. 4. sequenti docet, in febrem pestilentem incidere ea corpora, quæ adstrictionibus, & obstructionibus carent, & vene difflantur, facile tamen liberari, in quibus nascitur putredo sine prohibita transparatione. Deinde lib. de caus. morb. cap. 8. tres estatuere videtur causas putredinis, nimirum prohibitam transpirationem, medicamenta putrefacientia, & excrementa in corpore genita. Similiter lib. sequenti, cap. 9. inquit, sanguinem putrescere, aut quia non difflatur, aut quia à natura non convincitur. Præterea hoc capit. asserit Gal. in plenitudine quoad vires humores celeriter corrumpi, quia non possunt vinci, nec superari à natura, cum vires invalidæ sint tandem libr. de inæqual. intemp. capit. 7. sic scribit Galen. *Neque enim ea solum quæ impacta sunt, & perspiratu carent, putrescunt, verum ea quidem celeriter ac maxime, sed putrescunt, & alia multa, quæ putredini sunt opportuna.* Constat igitur ex his alijs locis, putredinis causam non semper esse prohibitam transpirationem.

Quibus ita positis sit prima conclusio, putredo quæ in nostris corporibus generatur, & quæ à causa interna provenit, aut difficile, aut potius nullo modo potest fieri sine prohibita transpiratione. Hæc sententia Gal. est locis supra citatis in prima hujus dubitationis parte, nempe cap. 4. & 8. 11. lib. meth. med. & alijs locis: quæ itidem aliquibus rationibus corroborari potest. Prima est: in omni putredine interna reperitur humiditas,

tas, quæ non recte gubernantur, ac conservatur à calore nativo, qui languidus est, ergo tunc temporis necessarium erit non recte expurgari excrementa quæ intra corpus detenta prohibitæ ventilationis erunt causa, & ex consequenti putredo interna necessario fiet à prohibita ventilatione. Secunda ratio est: in omni putredine interna necessario debet imminui, vel potius extingui calor nativus, sed quando corpus libere difflatur, impossibile est, ut calor nativus extinguatur; igitur in omni putredine interna necessario debet reperiri prohibita transpiratio.

Sit secunda conclusio. Putredo, quæ ab externa causa, & à rebus externis ortum ducit, non solum à prohibita transpiratione, sed ab alijs etiam causis potest generari. Quæ doctrina Gal. etiam est locis supra citatis in secunda parte. Et confirmatur in hunc modum. Sit Socrates, verbi gratia, qui ex una parte multis abundent excrementis, & recte facileque diffletur, & transpiret ex alia vero parte assumat aliquod medicamentum, quod vim putrefaciendi obtineat: certum quidem erit, hunc hominem ex assumptione hujus medicamenti, putredinem, & pravam qualitatem in humoribus contrahere, sed hoc fit absque prohibita transpiratione, igitur putredo poterit aliquando fieri sine illa. Deinde si quis assumat aliquod alimentum putre, nascitur putredo in ventriculo, sed tunc temporis nulla adest prohibita transpiratio, igitur absque hac poterit aliquando fieri putredo. Tandem id, videtur confirmare Gal. cap. sequenti, illa verborum serie, quæ incipit. *Supponatur igitur ut in exemplis, in ambiente quidem aere nonnulla pestilentia semina contineri, &c.* Quibus verbis significare videtur Gal. ex aere putrido inspiratione attracto putredinem in nostris corporibus generari absque ulla prohibita transpiratione.

Ex his facile quidem erit loca Gal. superius posita conciliare; namque quando dixit Gal. putredinem non posse fieri sine prohibita transpiratione, tunc temporis loquitur de putredine interna, & quæ in nostris corporibus generatur: at quando docuit, putredinis causam non semper esse prohibitam transpirationem, sed posse etiam ab alijs causis fieri tunc sane loquitur de putredine externa, & quæ à rebus externis ortum ducit; quoniam quemadmodum docet Gal. putredinem, quæ non fit à causa externa, aut difficile, aut potius nullo modo fieri posse absque prohibita transpiratione; ita etiam ille non negat, putredinem à causa externa ortam, sine ulla prohibita transpiratione fieri posse, ut in exemplis propositis confirmatum est. Hoc autem sibi voluit Franciscus Vallesius 5. lib. suarum controversiarum capit. ultimo, ubi ex professo hanc exagitat controversiam, docens alios esse modos putredinis generandæ præter prohibitam transpirationem: ille enim non negat fieri putredinem ut plurimum à prohibita transpiratione, sed ostendit etiam alios esse

modos putredinis generandæ; atque ita perperam illum repræhendunt aliqui nostri temporis medici, illius sensum non assequentes, cum veram de hac re sententiam, & doctrinæ Gal. maxime consentaneam proponat. Sed de hac dubitatione satis.

DE FEBRI PESTILENTI.

CAPVT QVARTVM.

¶ *Calidiores autem ambientis aeris status, quales maxime circa canis ortum contingunt, per inspirationes quidem manifestè cor calefaciunt, &c.*

CVm pestilentes febres sub putridis comprehendantur, egeritque superiori cap. Galen. de generatione febrium putridarum, ideo merito hoc capite de febribus pestilentibus disputat. Præsens vero caput duas continet partes, in quarum prima tradit Gal. generationem, & causam febris pestilentis: in secunda vero parte ostendit, maxime esse necessariam patientis corporis dispositionem ad febrem pestilentem inducendum. Sed ut à prima parte ordiamur, cúm præcipua causa febris pestilentis sit aer ambiens, priusquam de ea disputet, ostendit primum calidiores aeris ambientis status febres inducere, sicque experimur circa canis ortum, & in diebus canicularibus febres ardentissimas excitari: hoc namque sydus ingentem caliditatem, & siccitatem his rebus inferioribus inducit; atque ita hoc exoriente, maxime accenduntur solis vapores, fervent maria, vina in cellis fluctuant, agitantur stagna, & eo tempore canes maxime moventur in rabiem. Hic itaque aer ambiens calidus febres inducit tum per inspirationem, tum per transpirationem: per inspirationem quidem, quia totus ille aer calidus attrahitur ad pulmonem, indeque ad cor; sicque in eo febrem necessario accendere debet; per transpirationem vero, quia arteriæ, quæ ad cutem terminantur, media dilatatione aliquid illius aeris calidi ad se attrahunt, qui aer dum pervenit ad cor necessario illi calorem communicat, & eo tempore febris excitatur. Atque hoc modo accenduntur febres ex calidioris aeris ambientis statu vigente canicula.

Hoc posito docet Galen. in pestilenti aeris statu febres pestilentes excitari media potissimum inspiratione, attracto scil. illo aere pravo, & maligna qualitate affecto qui dum ad cor usque pervenit, pravam eam qualitatem illi communicat, quo tempore febrem pestilentem excitat. Cæterum, ut commodius ea quæ hoc loco à Gal. traduntur de generatione febris pestilentis intelligere valeamus, non inutile prius erit intelligere, quid

pestis

pestis appelletur, & in quo posita sit febris pestilentis natura atque essentia. Pro exacta autem horum intelligentia sciendum prius est ex Gal. 1. epid. part. 1. statim in præfat. Morborum omnium in universum duplex esse genus: quidam enim sunt omnibus communes, quos Græci, *paddimos*, seu *pancinos*, appellant, & sunt illi qui plurimos invadunt cujuscunque status, & conditionis sint. Alij vero sunt morbi dispersi, quos Græci *sporades*, nominant, quando scil. illi inter se dissimiles, & genere diversi non omnino multos, sed seorsum unum, vel alium apprehendere solent: veluti si peripneumonia hunc hominem invadat, pleuritis alium, & sic de reliquis. Deinde morbi communes sunt in duplici differentia: quidam enim vel regionem aliquam, aut maltas etiam aliquo tempore infestant, qui à Græcis, *epidemij*, vocantur, à nostris vero, *populares*, aut *vulgares*. Alij vero sunt qui aliquam regionem tanquam familiares perpetuo affligunt, veluti in Ægypto elephantiasis, &c. & hi à Græcis, *endemij* dicuntur: nos vero cum Cicerone, *patrios*, *vernaculos*, ac, *domesticos*, appellamus. Rursus morbi, *epidemij*, seu *populares*, alij contagiosi sunt simul ac pernitiosi, qui magnam ægrotantium partem perdere solent: alij non sunt pernitiosi, sed ab his plerique ægrotantium liberantur, atque hi *simpliciter epidemij* vocantur: illi vero proprie morbi pestilentes, aut pestes. Quapropter pestis ex sententia Gal. hoc loco nihil aliud erit quam epidemia quædam pernitiosa.

Quibus ita animadversis facile erit naturam febris pestilentis ostendere: hæc namque non potest contineri sub numero morborum, qui *sporades*, a Græcis appellantur, seu *dispersi*: sed potius sub numero morborum, *communium*, reponenda erit, atque ita febris pestilens morbus erit communius, non, *endemius*, seu, *regionalis*, sed, *epidemius*, potius, & populariter infestans, qui contagiosus simul, ac pernitiosus est, & magnam ægrotantium partem perdere solet; hæc autem pernities nihil aliud est quam prava quædam ac maligna qualitas nostris corporibus maxime adversa. Quocirca, natura atque essentia febris pestilentis non solum in humorem putredine consistet, quemadmodum aliæ febres putridæ, sed etiam in insigni quadam ac excellenti putredine cum maligna, & venenata qualitate conjuncta. Vt de febris pestilens est morbus communis, & adeo pernitiosus, ut majorem hominum partem interficiat,

Circa causas febris pestilentis admodum variæ sunt medicorum opiniones: nos autem illis prætermissis illam tantummodo sententiam in medium proponemus, quæ verior existit, & doctrinæ Hippocr. & Gal. magis consentanea. Et quamvis omnes medici circa has causas maxime inter sese discrepent: in eo tamen omnes consentire videntur, quod causam proximam, & conjunctam ipsius febris pestilentis unam solam putredinem statuant, atque illam quidem

insignem, & excellentem, & quæ alias omnes putredines longe superet; quod confirmare videtur Gal. cum alibi, tum potissimum 3. epid. parte 3. comm. 23. & 3. de præsag. ex pulss. cap. 4. in quibus locis manifeste docet, calorem febris pestilentis non aliter, quam per excellentiam putredinis à reliquis febribus putris differre. Idem etiam docet initio cap. sequentis, dum inquit, omnes febres pestilentes à putredine originem ducere. Hujusmodi autem putredo, quæ febrem pestilentem comitatur, talis, & tanta est, ut cum veneno æquari, & maxime comparari possit, cum in nostro corpore possint generari humores, qui æquales vires cum veneno obtineant, docente Gal. 6. de locis affect. cap. 5. & lib. de succorum bonit. & vitio in principio. Causæ vero, quæ hujusmodi insignem atque excellentem putredinem in nostris corporibus possunt excitare, & febrem pestilentem generare, sunt in duplici differentia: aliæ enim sunt externæ: aliæ vero internæ; inter causas externas aer principem locum obtinet, adeo ut omnes fere nostri medici nullam aliam causam velint statuere præter hanc extetnam. Aer itaque, ut docet Gal. in contextu, vel media inspiratione attractus, vel extrinsecus corporibus occurrens facile potest cor alterare, & febrem pestilentem inducere, quando à sua natura recedit, & pernitiosus redditur; id autem tribus potissimum de causis fieri videtur: primo, si aer à primis qualitatib⁹ maxime alteretur, ac præcipue si calidior atque humidior reddatur, ut in calidis, & humidis constitutionibus contingere solet, quæ ad concipiendam putredinem sunt maxime dispositæ: idque confirmat Gal. hoc loco testimonio Thucydidis qui lib. 2. belli Peloponensis, docet, pestem quandam Athenienses invasisse, quæ primam traxit originem ab aere calido, & humido non recte difflato, ex eo quod milites in exiguis tugurijs habitabant non recte difflatis, & humores, propter depravarum victum quo utebantur, erant ad putredinem parati. Secundo aer potest febrem pestilentem inducere, si à putrida exalatione fuerit prava qualitate infectus, qualis fieri solet aliquando ex multitudine cadaverum non crematorum, quemadmodum in prælijs contingere solet, vel ex evaporatione aliquorum lacuum, vel paludum tempore æstatis, & alijs hujusmodi rebus, ex quibus putrida evaporatio exhalat: ex quibus noxijs exhalationibus, ut docet Gal. 2. de nat. hum. com. 4. corpora magis læduntur ex totius substantiæ proprietate, quam ex aliqua qualitate manifesta. Tertio aer communicatione potest febres pestilentes generare, veluti si contagio fuerit infectus: nam ex Gal. in contextu, ob communicationem ex Æthiopia, quædam putredinis fluxere contagia, quæ febrium causæ erant ijs, quorum corpora erant ad patiendum parata.

Est, & alia causa externa quæ febrem pestilentem generare valet, veluti

luti sunt alimenta prava, sive ea ex sua natura prava sint, sive ex putredine aliquod magnum vitium contraxerint: qualia autem ea sint, docuit Galen. superiore capite, de hac vero causa loquitur præcipue Gal. 2. de nat. hum. com. 3. lib. de succorum bonit. & vitio in principio, & 1. etiam epid. in præfat. quibus in locis docet, universos exercitus morbo communi laborare, usu aquæ corruptæ, aut frumenti semiputridi: & post famem pestem sequutam fuisse, eo quod populus coactus fuerit cibis corruptis aut pravis vesci. Ex quibus locis liquido constat aliam reperiri causam externam præter aerem, quæ febrem pestilentem generare valeat, siquidem nullam fecit mentionem, Gal. locis proxime citatis ipsius aeris. Quod si Hippocr. & Galen. aliquibus in locis solius aeris mentionem faciunt, id ex eo præstant, ut ipsemet Galen. docet 3. epidem. part. 3. com. 9. quod causam frequentissimam morborum omnium voluerint explicare, cum proculdubio frequentius fiat ut morbi pestilentes proveniant ab aere, quam à victu, aut occupationibus, aut laboribus communibus: nam nullibi, si diligenter omnia loca animadvertamus, solum aecrem morborum pestilentium causam statuere videntur, sed semper indefinite loquuntur.

Causæ internæ febris pestilentis aliæ sunt communes, aliæ vero proximæ: communnes sunt humorum multitudo; cacochymia, prohibita transpiratio, & obstructio, quæ omnibus febribus putridis communes sunt. Proxima vero interna causa febris pestilentis est unica putredo humorum, qui vel omnes simul, vel singuli per se, aut in corde, aut in alijs partibus cordi consentientibus, tam signiter putrescunt, ut vires veneni acquirant: cujus rei veritatem ostendunt sævissima illa symptamata hujusmodi febres concomitantia, quæ usque adeo varia, diversa, & contraria sunt, ut facile diversorum humorum copiam possint ostendere. Vnde fit, ut variæ febrium pestilentium differentiæ statui possint pro varietate humoris putrescentis, & loci primum affecti: atque ita quot erunt differentiæ febrium putridarum, tot itidem erunt febrium pestilentium differentiæ; sed licet hoc verum sit, attamen febres pestilentes majori ex parte, inter vitiosas, & ardentes recensendas esse censemus. Atque hæc de prima contextus parte.

¶ *Oportet enim semper hoc in toto sermone memoria tenere, quod nulla causarum sine partientis aptitudine agere potest: alioquin omnes qui sub æstivo Sole commorantur: febricitaret: aut qui nimio motu exercentur, aut vini potu gravantur, aut ira excandescentes, aut tristitia afflicti, febricitarent: alioqui etiam, ut arbitror, circa canis ortum omnes ægrotarent, ac in pestilentijs morerentur, &c.*

IAm ad secundam contextus partem devenientes, licet verissima sint ea, quæ de causis febris pestilentis dicta

ſunt: docet tamen Galen. oportere ſemper memoria tenere, nullam ex prædictis cauſis ſine patientis corporis aptitudine, ſed diſpoſitione poſſe unquam agere. Ad hoc autem comprobandum utitur ratione in hunc modum: nam ſi hoc non ita eſſet, inquit ipſe, omnes qui ſub ſole æſtivo commorantur: aut qui nimio motu moventur: aut vini potu gravantur: aut ira excandeſcentes: aut triſtitia afflicti febricitatent; alioqui etiam circa canis ortum omnes ægrotarent, ac in peſtilentijs morerentur; ſed contrarium quotidie experimur: ergo neceſſarium erit aſſerere, hoc non aliunde provenire quam ex varia patientis corporis diſpoſitione. Deinde hoc itidem confirmat propoſito exemplo, in hunc modum. Supponatur igitur, inquit ipſe, quod in ambiente aere ſit aliquod peſtis principium, corpora tamen non ſint æqualiter diſpoſita, ſed quædam pravis humoribus abundent maxime ad putredinem paratis, quæ obſtructionem plurium meatuum, ac plethoram patiantur, in vita otioſa, multæ crapulis, ebrietatibus, & venere, quis omnia neceſſario cruditates conſequuntur: quædam vero omnino contrario modo ſint diſpoſita, pura ſcilicet, & excrementis libera, facile tranſpirabilia, quibus recte inſtitutus ſit vivendi modus: certum quidem erit, illa prima corpora ſtatim à prima inſpiratione principium putredinis ſumere, ac plurimum in malo procedere, quia ſcilicet non recte tranſpirant, neque ab excrementis expurgantur: hæc vero alia quæ munda ſunt, & excrementis libera, alia quidem nihil, nonnulla vero minimum mali ſentire, ita ut non multum à naturali habitu recedant; ſed hoc non aliunde provenit, quam quod illa ſint magis diſpoſita, quam hæc alia: igitur patientis corporis diſpoſitio maxime neceſſaria eſt ad febrem peſtilentem inducendam. Hoc autem quod dixit Galenus, non ſolum in exemplo prædicto veritatem habere docet, ſed in omni etiam genere cauſarum: nam oportet, inquit ipſe, in omni cauſarum genere diligenter advertere, ex qua maxime cauſa ægrotare contingat; deinde corporum diſpoſitiones, quæ illi cauſæ conveniunt, & quæ illi contrariantur conſiderare: nam ea corpora, quæ conſentientem obtinebunt diſpoſitionem cum tali cauſa, facile ſane lædentur: difficile autem quæ contrariam ac renitentem habebunt diſpoſitionem.

Tandem hoc confirmat Gal. experientia, referens ſe vidiſſe quandam peſtem ſimilem illi, quam vidit Hippocr. in cranone eveniſſe, & illi etiam quam refert 3. epid. part. 3. ſentent. 50. quarum ſumma fuit ob putredinem: nam poſtquam annum deſcripſit Hippoc. ſtatim ſubjungit, cum annus fuiſſet auſtrinus, humidus, & mollis, omnium ergo harum peſtium cauſa in ſumma putredo fuit; quod cum prævideret Galen. quoties talis aeris diſpoſitio eveniebat, ſtatim ab initio quæcunque corpora ei humida videbantur, omni via exiccare cona-

conabatur : quæ vero erant ficciora, in suo naturali habitu conservabat: & quæ excrementis erant plena, purgatione curabat, obstructiones aperiendo, ac solvendo. Igitur experientia patet, ea corpora, quæ magis erunt disposita ad febrem pestilentem, cito in illam incidere, nisi in illis præcautione utamur. Fere omnes Interpretes hoc in loco totam præcavendi rationem à constitutione pestilenti tradunt: sed cum Galen. in præsentia nihil de ea ex professo tradat, propterea nos nullum de illa verbum facimus. Atque hæc spectant ad hujus cap. explanationem.

DVBITATIO VNICA.

Vtrum corpora rara facilius peste afficiantur, quam densa.

EX doctrina tradita in secunda contextus parte Interpretes duas solent exagitare controversias. Prima est: utrum aer corrumpi, aut putrescere posit. Secunda est, an corpora rari habitus magis sint ad pestem parata, quam corpora habitus densi; sed quia prima dubitatio non solum sensu, sed ipsa etiam rerum experientia facile dissolvi potest, idcircò eam ex professo non exagitabimus : illi autem breviter respondemus dicentes: aerem duobus modis posse considerari: vel quatenùs simplex, & purū elementum est : vel quatenùs corpus quoddam mixtum. Si aer primo modo consideretur nullatenus poterit esse putredini obnoxius, nam putredo, ex omnium Philosophorum sententia, est propria mixti passio, atque ita hæc nulli simplici elemento proprie attribui poterit. Quod si aer secundo modo consideretur, nempe quatenus est corpus quoddam mixtum ex alijs elementis, tunc sane certum erit posse putredinem pari, ut experientia quotidie demonstrat in constitutionibus pestilentibus, & hoc modo possunt quoque putrescere alia elementa, uno excepto igne : hic enim quamvis purus non sit, & simplex, attamen ob validam ejus caliditatem, & siccitatem non solet putredinem admitteere: & propter hanc causam Aristot. 25. sect. problem. 19. quando dixit, aerem non putrescere, de illa aeris regione intelligi debet, quæ est igni proxima, & magnam ejus copiam continet, cujus ratione non putrescit; at vero aer ille qui nos ambit, & sine cujus inspiratione vivere non possumus, multitudine vaporum tum ex terra, & locis terræ cavernosis, tum ex aquis male olentibus, & ex diversis rebus corruptis exhalantium, solet putrescere.

Ad alteram dubitationem accedentes, quæritur. Vtrum corpora rara facilius afficiantur morbis pestilentibus, quam corpora densa. Avicena, & omnes ejus sequaces existimarunt, corpore cutis meatus latos habentia, sive dilatatorum pororum, ut ipse loquitur, facilius corripi morbi pestilentibus, quam quæ augustos, & densos meatus obtinent : namque propter hanc causam, inquit, quod cùm prævidisset Gal. pestilentes constitu-

titutiones futuras esse, statim ab initio corpora, quæ ei humidiora videbantur, exiccare conabatur: ficciora vero, in naturali statu conservabat, &c. Præcipuum autem fundamentum, quo suam sententiam corroborare conatur, est hujusmodi. Rariora corpora calida sunt, & humida: densiora vero, frigida, & sicca: sed ea quæ calida sunt, & humida, magis sunt putredini obnoxia: minus vero, frigida, & sicca: igitur corpora rara facilius afficientur peste, quam corpora densa.

Sed pro exacta hujus dubitationis intelligentia animadvertere prius debemus ex Galeno lib. de caus. resp. quod cum tres sint respirationis causæ, facultas scilicet animalis, instrumenta facultati deservientia, & usus seu utilitas propter quam prioribus causis indigemus: hinc fit, ut utilitas inter respirationis causas præcipuum locum obtineat, cum caloris nativi commoderationem conservet, & animales spiritus in cerebro generet: hæc autem utilitas perficitur tum media inspiratione aere attracto, tum media expiratione expulsis fuliginosis excrementis: & licet hæc inspiratio, & expiratio communes sint omnibus corporis partibus; cerebro tamen per nares, & cordi per pulmonem: reliquis vero partibus per arterias contingit; unde fit, ut tanta sit necessaria aeris attractio per nares, & pulmonem, atque arterias, quanta satis sit pro innati caloris commoderatione servanda, & animalis spiritus nutritione. Quod si contingat, ut meatuum cutis angustia, sive naturalis sit, sive accidentalis, id prohibeat, tunc temporis necessarium erit, ut cor alijs partibus auxilium præstet, atque illis tantum aeris attracti concedat, quantum necessarium sit ad defectum supplendum: quare tunc necessarium erit, majorem aeris quantitatem per pulmonem inspirari, quam cordis necessitati conveniat, veluti experiuntur quotidie alli qui submersis in aqua omnibus partibus corporis, excepto capite, coguntur media inspiratione per pulmonem majorem aeris copiam attrahere, ut suppleat defectum. Vnde fit, ut quando plus auris per arterias attrahitur, tanto minus cor à pulmone suscipiat, à quo etiam minus suscipiet, si arteriæ meatus latiores habentes, plus aeris quando dilatantur, attraxerint, quam satis fuerit pro nativi caloris commoderatione servanda.

His quidem ita explicatis satis unicuique constare poterit, quid sit respondendum dubitationi propositæ. Dicimus namque, corpora densi habitus facilius peste affici, quam ea quæ raro habitu constant: quoniam si corpora densa coguntur majorem aeris copiam attrahere media inspiratione per pulmonem, quam si meatus latiores essent, & rari, certum sane erit, hæc tempore pestis facilius, ac promptius affici, quam ea quæ habitu constant raro: nam licet corpora rara multam aeris quantitatem attrahant non solum media transpiratione percutim facta, sed etiam media inspiratione dilatato pulmone: attamen cùm

major ſit copia aeris quæ attrahitur in corporibus denſis media inſpiratione, quam in raris corporibus media traſpiratione, & inſpiratione ſimul, ideo illa in peſtilenti conſtitutione facilius afficiuntur, quam corpora raro habitu prædita. Quid quod, quamvis corpora rara multam aeris copiam attrahant: cum tamen facile ab excrementis expurgentur, propterea non ita facile in peſtem incident, ac alia quæ non ita ab excrementis munda ſunt. Accedit tandem ad hoc, quod cùm Gal. hoc capite præcipiat, ut unum ex præcipuis quod ſervandum eſt in peſte, ſit, ut corpus mundum ab excrementis ſervetur, corpora autem rara, eodemmet teſte lib. de opt. corp. conſt. ſalubriora ſint, ſi ad excrementa reſpiciamus: denſiora vero minus ſalubria, ſequitur inde, ut in peſtilenti conſtitutione tutius exiſtant, & minus periclitentur corpora rari habitus, quam denſiora.

Neque fundamentum pro adverſa parte adductum aliquid concludit: nam non omni ex parte verum eſt, rariora calida eſſe, & humida, denſiora vero frigida, & ſicca, quoniam, ut docet Gal. lib. art. med. cap. 59. raritas non ſemper cum caliditate conjungitur, neque denſitas cùm frigiditate. Præterea quando dicimus corpora denſa facilius affici peſte, quam rara, id intelligendum eſt ſuppoſita in cæteris paritate: nam conſiderato quovis temperamento, illud magis in aere peſtilenti periclitatur, quod meatus denſiores obtinebit: comparatis autem inter ſe temperamentis fateor quidem, calidum, & humidum, propter qualitatum ſimilitudinem, magis eſſe putredini obnoxium, & magis affici tempore peſtis quam frigidum, & ſiccum propter diſsimilitudinem. Quare concludendum erit, corpora denſa, & humores ad putredinem concipiendam paratos obtinentia, citius, ac facilius peſte affici, quam corpora rara. Sed hæc ſufficiant de hac dubitatione.

DE REPROBATIONE OPINIONIS EXISTIMANtium omnem febrem eſſe putridam.

CAPVT QVINTVM.

¶ *Sed quoniam de febribus peſtilentibus facta eſt mentio, quæ omnes à putredine ortum habent, opere pretium videtur, &c.*

PRæſens caput in duas partes diſtribuitur, in quarum prima intendit Galen. demonſtrare adverſus Athenæum, & ejus Sectatores, non omnem febrem fieri ex humorum putredine. In ſecunda vero parte, conſequutione ſermonis, ductus, agit de putredine quæ in bubonibus reperi-

ri-

ritur, eam comparans cum putredine humorum quæ adest in visceribus aut intra vasa. Devenientes ad primam cap. partem, cum omnis ab Athenæo chorus existimaverit, omnem febrem nasci ex putredine humorum, propterea merito id reprobat Gal. dicens, si hoc esset verum, quod omnes febres ex putredine ortum ducerent, ergo febres diariæ etiam sequentur humorum putredinem, sed hoc est falsum, ergo,&c. Minorem sic probat: nam qui ex solis incendio febricitat, absque putredine calfit ex sola alteratione causæ agentis; similiter qui febricitat ex ira, ex solo sanguinis fervore citra putredinem in eam incidit; ita etiam qui immodice se exercet, vehementior caliditas præter naturam sine humorum putredine in corpore accenditur; & cui cutis constipata est, ob retentionem excrementorum incidit in febrem, nulla existente humorum putredine.

Id demum confirmat Gal. ex ipso Hippoc. qui 4. aphor. sent. 55. Docet omnes febres ex bubone natas malas esse, præter diarias, igitur ex sententia Hippoc. aliquæ reperiuntur febres diariæ, quæ fiunt absque humorum putredine. Bubones proprie appellantur glandulæ quæ in inguinibus reperiuntur: in hac vero sententia dicuntur ab Hipp. bubones glandulæ inflammatæ. Ex bubone autem duplex febris differentia ortum ducit: nam vel fit bubo à causa externa, & febris quæ inde excitatur, diaria erit: aut fit bubo à causa intra corpus latente, veluti inflammatione, abscessu, aut ulcere, vel alia hujusmodi in visceribus dispositione, ex quibus malum statim cordi communicatur, & febris quæ inde ortum ducit, putrida est, quæ difficile curationem admittit, neque à periculo est aliena. Hoc autem loco veluti obiter damnat Gal. Erasistrati opinionem, quam fusissime tradiderat lib. de sang. mis. & 5. de locis affect. existimavit namque hic vir, omnem febrem fieri ex phlegmone, phlegmonem vero fieri, ait, non quando sanguis effluit extra vasa, & spatia vacua partium similarium occupat, sed potius quando sanguis qui in venis reperitur, violenter incidit in arterias, in quibus solus spiritus animalis continetur, ut ipse existimat; hic vero sanguis statim propellitur ab spiritibus ad extremas arteriarum partes, in quibus sanguis impactus phlegmonem excitat, & ex hoc phlemone febres generari. Hanc sententiam refellit Gal. lib. an sang. in art. contineatur. Atque hæc de prima cap. parte.

¶ *Differunt autem, quæ ex bubonibus febres oriuntur, ab ijs quæ ex humorum putredine eveniunt, quæ vel in aliquo viscerum, aut in cavis, & maximis vasis, ortum habent, &c.*

IN secunda contextus parte, occasione sumpta ex his quæ antea docuerat Gal. febres scilicet diarias aliquando ex bubone ortum ducere, agit nunc de putredine quæ in bubonibus reperitur, quam separat à putredine humorum quæ in aliquo ex vis-

visceribus, aut in cavis, & maximis vasis reperitur. Distinguuntur autem, quoniam putredo quæ reperitur in bubonibus, concalefacit semper partes continuas donec usque ad cor calor febrilis deveniat, non tamen pervenit ab ipsum putrida fuligo, sed ibi remanet in loco bubonis circumscripta, atque ita sola alteratione dumtaxat partium continuarum calor pervenit ad cor, unde febris diaria excitatur, quemadmodum in his qui ex solis calore deuruntur, aut nimis se exercent febris solet generari sola alteratione per partes continuas ad cor perveniente. In putredine autem quæ in visceribus aut in magnis vasis excitatur, quidam veluti fumus seu putrida fuligo ex putrescentibus humoribus elevatur, quæ adventriculos cordis perveniens, humores in eis contentos accendit, sicque febris putrida excitatur. Distinguuntur etiam hæ duæ putredines, quia humores in bubonibus statim putrescere solent, spatio scil. unius diei, vel, ad summum, duorum, quia invicem adhærent, & in uno loco circumscripti, & conclusi manent. At humores qui in visceribus sunt, aut in magnis vasis, non statim, sed spatio temporis putrescunt, quoniam continuo fluunt, & suo contactu vicinos humores ad putredinem trahunt.

Hæc autem quæ dicta sunt, ut clariora evadant, amplius confirmat Gal. similitudine desumpta à rebus externis: nam quemadmodum in rebus externis, quæ ab aliqua causa calida præter naturam calfiunt, veluti sole, aut igne, dummodo ad putredinem sit ineptum, quod calefit, ut lapis, aut lignum, aut aliquid aliud, eousque solet durare caliditas donec sensim refrigeretur; ita etiam in febribus diarijs accidere credendum est; at vero in rebus, quæ ex sua natura ad putredinem sunt aptæ, diverso modo se res habet: quemadmodum in agro aliquando conspexit Gal. in sterquilinis ubi stercora jumentorum simul, ac columbarum mixta erant: ibi enim multa materia adest ad putredinem parata, ea tamen non simul tota putrescit, sed una pars incipit putrescere, & per diem putrescit: sequenti autem die serpit putredo ad aliam, prior autem ubi putruit refrigeratur, sed hæc secunda fervet; tertia vero die ad aliam partem transit putrefactio, & sic deinceps fit, donec præsens affuerit materia ad putredinem apta, & hoc modo fiunt febres putridæ, & in longum tempus protrahunt, & hac itidem ratione fiunt in illis circuitus. Hoc autem exemplum potius simile esse videtur quotidianis, quæ à Græcis amphimerinæ appellantur, atque ita nos alijs etiam febribus possumus accommodare, tertianis scilicet, & quartanis, si imaginemur circuitus non fieri quotidie, sed alternis diebus, vel per alias circuituum formas. Hæc de hoc capite.

DVBITATIO VNICA.

An omnes febres pestilentes sint de genere putridarum; an vero possint etiam esse diariæ, & hecticæ.

QVoniam Galen. statim in fronte cap. docuit omnes febres pestilentes ortum habere ex putredine, idcirco merito dubitatur ab interpretibus, utrum omnes febres pestilentes sint ex genere putridarum, an vero diariæ etiam, & hecticæ possint esse. Duæ sunt opiniones communes circa dubitationem propositam: prima est eorum qui existimant, omnem febrem pestilentem fieri ex humorum putredine. Quæ sententia multos in se continet errores: namque, ut observavit Galen. 3. de præsag. ex puls. cap. 3. quædam ex febribus pestilentibus hecticæ appellantur, in quibus putredo non in humoribus cordis existit, sed potius in corpore ipsius cordis. Deinde febris pestilens per excellentiam putredinis à febribus putridis differt, quæ à quavis humorum putredine solent excitari. Amplius febres pestilentes in hoc distinguuntur à putridis, quod hæ nunquam fiant à causa manifesta, & externa; illæ vero ut plurimum ab aere prava qualitate infecto, & putrido originem ducunt. Igitur non omnes febres pestilentes ex humorum putredine trahent originem.

Secunda opinio fuit Donati Antonij ab Altomari lib. de febr. pestilenti, cap. 7. qui existimavit, in nullo genere proprie contineri posse febrem pestilentem; non quidem inter diarias, quia in his simplex alteratio reperitur: in pestilenti vero febre, præter alterationem, adest quoque putredo; non inter putridas, quia hæ febres pestilentes sæpe sine humorum putredine excitantur; neque inter hecticas, quia hæ non habent putrefactionem in solidis partibus, qualem obtinent febres pestilentes. Concludit itaque hic vir, sub nullo febrium genere contineri febres pestilentes. Hæc tamen opinio non minus est absurda quam supradicta quoniam Gal. sub nullo alio genere videtur complecti febres pestilentes, quam sub putridis: nam nullibi, quod sciam, earum febrium mentionem fecit, quæ sub nullo genere contineantur: aliter enim manca fuisset divisio Gallen. ipsius febris in diariam putridam, & hecticam. In hoc itidem erravit Altimarus, quod existimaverit omnem febrem putridam in humorum putredine consistere, & sine his nullam esse putridam, cum tamen aliquæ febres putridæ reperiantur, quæ citra humorum putredinem consistere possunt. Quare falsa erit sententia, febres pestilentes sub nullo febrium genere contineri.

Quamobrem his sententijs rejectis dicimus, omnes febres pestilentes à putredine ortum ducere, non tamen contineri sub febrium putridarum genere in quibus humores continuo putrefacti sunt: sed earum potius quæ ex cujusque rei putredine fiunt,

fiunt, sive sint spiritus, sive humores, sive partes solidæ. Quam sententiam ut commodius intelligamus animadvertere prius debemus, naturam seu ideam febris putridæ qua putrida est, consistere in eo, quod vapor putridus, sive putrida fuligo, sive ipsa substantia rei putrefactæ cordi, molestiam inferat; hæc autem res putrida à qua fiunt febres putridæ, vel generatur intra corpus, ut sunt humores putrefacti, vel extrinsecus corporibus occurrit, veluti est aer ambiens putridus, ex quo tres illæ substantiæ in cordæ existentes, sive omnes simul, sive quælibet separatim putrefactionem pati solent: unde si putrefiant spiritus, nascitur diaria pestilens: si humores, putrida pestilens fit: si vero propria cordis substantia putredinem patiatur, febris hectica pestilens ortum ducit.

Quo posito videamus, quomodo ex spiritibus, putrefactis diaria pestilens excitetur: nam cum primum aer putridus, & prava qualitate infectus media inspiratione attrahitur ad cor, afficit, ejus spiritus cum quibus maximam affinitatem habet non solum media intemperie calida, sed media etiam putredine, & prava illa qualitate qua infectus est. Hæc autem febris convenit cum diarijs in eo, quod in utrisque affecti sunt spiritus: & unius diei intervallo, vel duorum, vel trium, vel quatuor ad summum terminantur; distinguitur vero ab illis, quia cum alteratione primarum qualitatum adest putredo spirituum, & maxima pernities, cujus causa homines brevissime interimit: nullam enim aliam statuere possumus causam propter quam in constitutionibus pestilentibus homines ita repente intereant. Quoniam si brevis terminatio febris indicat in spiritibus affectionem consistere, cum inter febres pestilentes quædam reperiantur quæ unius diei spatio finiantur, existimandum est has in spiritibus etiam consistere. Neque admiratione dignum videtur qua ratione spiritus possint putrefieri, cum sint purissimæ ac tenuissimæ quædam substantiæ, & semper mobiles, quæ videntur nullatenus posse putredinem pati: nam sicuti aer dum propriam servat naturam, semper imputridus, & purus permanet: quando vero aliqua substantia putrida illi permiscetur, putrescere potest: ita etiam spiritus quantum est ex sua natura, & substantia nunquam putrescere possent, quod, si alicujus rei putridæ permixtione inficiantur, tunc sane putredinem contrahunt, quod præcipuæ accidit permixtione aeris pestilentis.

Quod autem ex putrefactione substantiæ cordis febres hecticæ pestilentes generentur, id expresse docet Gal. 3. de præsa. ex pulsf. cap. 3. & 4. dicens: *Vbi aer quem inspirando attrahimus infectus putredine sit, ac putredo ad corpus cordis pervenerit sunt pulsus æquales, non majores aut celeriores naturali.* Tandem quod ex humorum putredine posit febris pestilens generari quando ab aere vitiato per inspirationem attracto initium putredinis sumpserimus docuit Gal. loco superius

perius citato, & hoc etiam lib. c. 4. in principio. Quod itidem ex eo patet, quoniam si, ut superius diximus, solida substantia cordis potest putredinem pati, & ex ea febris hectica pestilens generari, ergo multo melius id poterunt pati humores, ex quibus febris putrida pestilens excitetur, siquidem facilius putredine afficiuntur quam ipsæ partes solidæ. Concludamus itaque, omnes febres pestilentes ortum ducere ex putredine, non tamen omnes esse ex genere putridarum, cum quædam diariæ pestilentes sint, aliæ vero hecticæ, ut dictum est.

Interpretes hoc loco aliam solent exagitare controversiam, utrum scilicet dentur febres quintanæ, sicuti quotidianæ, tertianæ, & quartanæ. Sed quia hæc quæstio nullius est utilitatis ad finem artis, & Galen. dubius esse videtur in contextu asserens se nondum liquido vidisse circuitum quintanæ, neque alium qui ultra quatriduanum protenderetur, propterea à nobis in præsentia prætermittitur.

DE PROPORTIONE, QUÆ REPERITUR INTER putredinem tumorum, & venarum.

CAPVT SEXTVM.

¶ *Humorum autem putredo, quæ in vasis fit, similis est ei, quæ in inflammationibus atque abscessibus accidit, alijsque collectionibus, duplex quidem secundum genus, &c.*

CVm in fine præcedentis capit. differentiam tradiderit Galen. inter putredinem quæ reperitur in bubonibus, & in humoribus in venis existentibus: jam hoc capite eundem sermonem prosequens convenientiam adducit, quæ inter has duas putredines reperitur. Hoc autem capit. in duas secatur partes, in quarum prima tradit Gal. proportionem quæ reperitur inter putredinem humorum in venis existentium cum alia quæ adest in humoribus extra venas consistentibus. In secunda vero parte naturam excrementi explicat, quod in triplici putredine modo explicanda colligitur. Devenientes igitur ad primam contextus partem docet Gal. putredinem humorum quæ in vasis fit similem esse ei quæ in inflammationibus, atque abscessibus, & alijs tumoribus accidere solet, utraque enim ex his triplex esse potest, altera quæ fit superante natura: altera, natura superata, & victa: Tertia vero mixta quædam putredo est ex ambabus, in qua neque prorsus vincit natura, neque prorsus vincitur, sed aliqua ex parte superat, & aliqua ex parte superatur. Prima putredo est in qua natura superat, ac vincit humorem peccantem: hoc autem non est simpliciter intelligendum,

dum, ita ut natura prorsus humores vincat, quemadmodum in coctione in qua alimenta omnino victa permanent, & partibus assimilantur: sed potius in hac prima putredine dicitur naturam superare, quia efficit omnino id quod potest. Hæc autem putredo reperitur in tumoribus præter naturam, & in humoribus qui intra venas continentur; in tumoribus sane si natura superet, substantia quædam generatur quæ proprio nomine appellatur pus; si vero putredo reperiatur in humoribus intravasa existentibus, & natura humorem peccantem vincat, tunc temporis in urinam substantia quædam subsidet quæ puri proportione respondet, & proprie sedimentum dicitur: quid autem hoc sit, in disputatione de urinis dictum fuit. Hoc autem loco animadvertit Gal. hanc putredinem non simpliciter putredinem existere, sed aliquid in se coctionis continere: imò, si vere, & proprie loquamur hæc putredo concoctio dicenda est, cum fiat à calore nativo solo: dicitur autem putredo ratione illius materiæ quæ aliqua ex parte putrefacta est.

Secunda putredo est in qua natura prorsus vincitur, & superatur à calore præter naturam materiæ putrefactæ, sicque humor qui putrescit nulla ex parte benignus reditur: hæc autem putredo à duplici causa ortum ducit, prima est cum facultas ad ultimum imbecillitatis pervenerit: quoniam quamvis humor putrescens, vel in tumoribus, vel in venis non adeo sit pravus, cum tamen natura summe languida existat, non potest concoqui neque ad benignum reduci. Secundo fit hæc putredo propter maximam humoris putrescentis pravitatem: nam licet tunc natura non sit omnino imbecilis, à vitio tamen humoris, & prava illius qualitate vincitur, ac superatur. Tertia putredo particeps est ex ambabus, quæ non ita optima est, ac prima, neque ita mala, ac secunda. Cum aliquid concoctionis, obtineat, & aliquid etiam putredinis, quæ putredo varia esse potest: natura enim aliquando magis vincitur, atque ita multiplices esse poterunt modo mixtionis ratione majoris, & minoris. Atque hæc de prima contextus parte.

¶ *Superante igitur integrè ipsa natura, optimum fit pus conspectui album, & crassum, & quoque versum sibi simile, lene autem tangenti, ac minime fœtidum: si vero semiputridum fuerit, tertium in tali transmutatione genus, quod paulo ante diximus fit, &c.*

IN secunda contextus parte naturam excrementi explicat Gal. quod in triplici putredine supra explicata collligitur, tam in tumoribus præter naturam, quam in venis. In tumoribus igitur præter naturam quando sit prima putredo superante natura humorem peccantem, unica tantum excrementi species colligi solet, quod ab omnibus Medicis pus dicitur: hoc autem pus, ut optimum sit, ac integre coctum, aliquas conditiones expostulat, ut docet Galen. in contextu,

tu, & 1. prognost. comm. ultimo, prima conditio est, ut sit conspectui album, ut victoriam indicet, & robur ejus partis in qua factum est pus: quoniam cùm partes illæ, in quibus præcipue pus elaboratur, & concoquitur, sint solidæ, & hoc pus calori nativo harum partium potissimum debeatur, quæ spermaticæ sunt, & proinde albæ, idcirco pus, ut optum sit, album esse debet: omnis enim pars quæ alterat seu concoquit aliquid, quodcunque illud sit, semper nititur omni ope illud sibi assimilare: quod si humor qui concoquitur, idoneus non sit ad partes ipsas nutriendas, facit natura id quod potest tribuens illi sua actione illarum partium characteres in quibus generatur; igitur cum pus in partibus spermaticis præcipue elaboretur, & materia ex qua generatur, sit sanguis semiputris, qui parti inflammatæ non potest assimilari, necessario earum partium characteres recipere debet, quæ cum albæ sint, ideo pus optimum album necessario esse debet.

Sed objiciet aliquis, falsum esse, pus optimum semper debere esse album, cum in partibus etiam carnosis generetur, quæ rubræ sunt ex sua natura, quia ex sanguine generantur: igitur dum hæ partes agunt in sanguinem illum semiputrem, qui est materia puris, necessario debent illum sibi similem reddere, atque ita non album, sed potius rubrum efficere. Respondemus, partes carnosas prius agere in materiam illam semiputrem, & eam sibi similem reddere, nempe rubram: attamen cum illa materia rubra elaboretur postea, ac perficiatur à calore nativo partium spermaticarum, quæ albæ sunt, propterea pus optimum necessario debet esse album, ut victoriam, & robur ostendat harum partium, quæ solidæ sunt.

Deinde pus optimum debet esse crassum; hoc autem non est simpliciter intelligendum quod omnino sit crassum: tunc enim ineptum esset expulsioni, sed potius medium debet esse, id est non omnino crassum; neque omnino fluxile; ratio est, quia cum pus optimum à partibus spermaticis elaboretur, quæ crassam solidamque substantiam obtinent, ideo crassum necessario esse debet. Tertio optimum pus debet sibi undique simile seu æquale esse, quæ æqualitas ad tempus reducitur, id est quod omni tempore tale semper perseveret, ut firmum robur naturæ ostendat: quoniam si semel, aut bis tantum coctum appareat, tunc sane optimum non erit, cum integrum naturæ robur non indicet. Quarto pus optimum debet esse lene tangenti, id est non asperum: asperitas enim partium inæqualitatem denotat, veluti cum una pars est crassior, altera tenuior, una mollior, altera vero durior: lene itaque debet esse pus, & quod omnes partes simul coctas obtineat: hac enim ratione æquale robur naturæ, & exiguam humoris peccantis malitiam indicabit. Tandem, ut pus optimum sit, quam minime fœtidum debet esse: quoniam cum ex sanguine semiputri

putri generetur, exiguum fœtorem debet obtinere: nam si multum fæteat, maximam humoris putredinem indicabit. Hoc itaque est excrementum quod in prima putredine solet generari in tumoribus præter naturam.

In secunda putredine in qua natura superata est, & victa, non unicum, sed varia excrementorum genera in colore, odore, & consistentia colligi solent in tumoribus præter naturam: quoniam cum illud excrementum non sequatur actionem naturæ, sed pravam naturam, ac qualitatem humoris putrefacti, hic vero humor varius esse posit, propterea varia ac multiplicia abscessuum genera nascuntur, veluti atheromata, meliceri-des, &c. In tertia putredine quæ mixta est ex utraque, & in qua natura partim vincit, partim vero vincitur, non unicum excrementum solet generari, sed varia, & multiplicia pro majori, vel minori coctione: quandoque enim pus album conspicitur, non tamen crassum: aliquando album, & crassum, non tamen æquale: interdum vero magis fætidum est quam sit necesse, &c. Atque hæ sunt putredines, quæ in tumoribus præter naturam contingere solent.

Easdemmet putredinis differentias quas in tumoribus præter naturam reperiri diximus, eædem etiam contingere solent in febribus quæ ex humorum putredine accenduntur in quibus ex varia humorum putredine intra vasa, variæ urinarum formæ, & varia sedimenta apparere solent: in prima namque putredine in qua, natura humorum peccantem superat, apparet in urina sedimentum album, læve, æquale, & quam minime fœtidum ut robur, & victoriam indicet vasorum, & partium spermaticarum à quibus generatur. In secunda putredine in qua vincitur, natura varia sedimentorum genera apparere solent pro varia natura humoris putresventis: aliquando namque apparet lividum, nigrum, viride, &c. In tertia tandem putredine in qua partim vincit natura, partim vero vincitur, multiplicia, variaque sedimenta solent in urinis apparere; interdum namque sedimentum album est, non tamen læve; aliquando vero album est, & læve, non tamen æquale, &c. Hæc sane sunt quæ pertinent ab hujus capitis explanationem.

DE SIGNIS QUIBUS FEBRES DIARIÆ A PUTRIDIS diſtinguuntur.

CAPVT SEPTIMVM.

¶ *Eas autem, quæ ex putredine humorum febres accenduntur, aliàs ab ephemeris oportet exiſtimare: neque earum diſcretio difficilis eſt, &c.*

CVm ſuperioribus capitibus de generatione, & cauſis febrium diariarum, & putridarum copioſe diſputaverit Gal. jam hoc cap. ſigna tradit quibus has duas febrium differentias dignoſcamus, eaſque à ſe invicem ſecernamus. Hoc autem caput tres continet partes, in quarum prima, ſigna tradit Galen. febrium diariarum. In ſecunda parte, ſigna febrium quæ ex humorum putredine accenduntur, oſtendit. In tertia vero, & ultima, inquirit Galen. an pulſus durus proprius ſit alteri differentiæ febrium. Ad primam contextus partem accedentes, docet Galen. febres ex humorum putredine accenſas alias eſſe à diarijs, & omnino diverſas. Sed quia non defuerunt qui exiſtimarunt, febres diarias nullatenus poſſe à Medico dignoſci, neque ulla haberi ſigna, quæ nos in cognitionem deducant harum febrium, quales fuerunt Methodici, qui Theſſalum ſecuti fuerunt, quos diatritatios appellat Gal. exiſtimantes; nos nulla ratione exquiſitam rationem febris tenere, niſi alterius acceſsionis tempus ſpectaverimus, id eſt, niſi tertia dies tranſiſſe viſa fuerit: propterea Gal. hunc errorem reiicit, dicens non ſolum harum febrium cognitionem poſsibilem eſſe, verum etiam facilem, quod ipſe millies re ipſa probavit, utpote qui ſtatim à prima acceſsione febris naturam noverit, & cum ea eſſet vera diaria, non ſpectata alia acceſsione, deſinente priori, juſsit ut lavaretur ægrotans, & cibum ſumeret: ac ſequenti die ad propria rediret, nec fefellit opinio.

Febris igitur diaria talem obtinuit appellationem ab illius duratione, ex eo quod ſpatio unius diei, ut plurimum, vel potius, ſpatio viginti quatuor horarum æquinoctialium tota ejus conſtitutio duret: que à Græcis ephemera dicta fuit, ſimilitudine deſumpta à quodam animali ephemeron dicto, cujus meminit Ariſtot. 3. de hiſt. animal. cap. 19. quod, ſolo ſpatio unius diei naturalis durat, vivitque. Accedentes itaque cum Gal. ad tradenda ſigna quibus febres diarias in univerſum dignoſcamus: primum, & præcipuum ſignum harum febrium eſt, ut à cauſa incipiant recenti, ac manifeſta, quam omnes Medici uſitato vocabulo procatarcticam ſive præincipientem appel-

pellant. Hoc autem signum quamvis inseparabile sit à febribus diariis, cum omnes illæ id commune habeāt, ut à causa externa fiant: non tamen erit illis proprium, cum aliæ etiam febres possit à causá externa, & manifesta originem trahere, veluti sunt febres hecticæ, & febres itidem pestilentes quæ à causa etiam externa fieri solent. Sed putabit aliquis, falsum esse, hoc signum inseparabile esse à febribus diarijs, cum certum sit has febres provenire aliquando ab animi pathematis, ut vigilia, bubone, cruditate, adstrictione, & levi obstructione, quæ nullo modo videntur appellari posse causæ externæ, cum sint internæ atque in corpore contineantur. Respondemus veram esse Galeni sententiam, dummodo probe intelligatur: quoniam licet ille aliquando dixerit, causas procatarcticas exterius advenire; non tamen id propterea dixit, quin sub hoc nomine alias etiam causas quandoque comprehendat, quæ in corpore continentur, dummodo à causis externis, & quæ manifestæ sint, originem trahant: nam propter hanc etiam causam lib. de caus. procat. cap. 2. & 3. æstum, frigus, plenitudinem, & laborem inter causas procatarcticas recenset quæ absque dubio intra corpus reperiuntur. Quapropter dicendum est, febrem diariam semper fieri à causa protarctica, sive ea extrinsecus adveniat, sive in corpore contineatur dummodo ea quæ in corpore continetur, aliqua causa externa recenti, & manifesta ortum ducat.

Secundum signum febris diariæ est, ut statim prima die urina cocta appareat ratio est, quia cum in hac febre nullum reperiatur vitium in humoribus, sed solum spiritus calfacti sint, ideo nullum cruditatis signum in ea reperitur, sed statim concocta apparet. Hoc autem intelligendum est, si febris diaria non sit conjuncta cum alio affectu: quoniam si cum ea obstructio aut cruditas conjungantur, tunc urina non apparebit cocta: hoc autem non fiet ratione febris, sed ratione obstructionis, aut cruditatis. Hoc signum, inquit Gal. inseparabile est, ac proprium ipsi febri diariæ, cum soli illi conveniat, & omni.

Tertium signum desumitur ex pulsu: proprium enim est, & inseparabile ijs febribus, ut mutetur pulsus ad magnitudinem, & celeritatem effatu dignam, ita ut frequentia per interiorem quietem non servet proportionem; quæ autem sint hæ differentiæ pulsuum, in nostra disputatione de pulsibus dictum fuit in his itaque febribus mutatur pulsus ad magnitudinem, & celeritatem effatu dignam, quia usus adauctus est facultas robusta, & instrumentum obediens: quando autem magnitudo, & celeritas non possunt usui satisfacere, hunc defectum supplet frequentia. Hæc tamen frequentia per exteriorem quietem non servat proportionem, id est, non respondet magnitudini, & celeritati, neque ita aucta est, quia in hac febre usus compressionis non est adauctus, id est, usus expellendi fuligi-

ginosa excrementa, atque ita dilatata arteria, diutius quiescit in externa quiete, ut major aeris frigidi quantitas attrahatur, priusquam compressionem aggrediatur. Est autem magis inseparabile ac proprium febribus diarijs, ut compressio in pulsu non tendat ad celeritatem, & si hoc aliquando contingat, minimum, ac vix perceptibile existit: ratio hujus rei est, quia cum in his febribus non solicitet usus compressionis, ideo compressio non tendit ad celeritatem; quod si aliquando compressio celeritatem adquirat ob vapores detentos, id sane minimum est, ac vix perceptibile videtur.

Quartum signum ex qualitate caloris desumitur: calor enim harum febrium suavis est, mitis, ac fere similis calori naturali: hoc autem non est absolute intelligendum: ita, ut calot harum februm mitis absolute dicatur: nam qualiscumque ille sit, omnino ad igneam naturam accedere debet sed mitis dicitur, & suavis aliarum febrium comparatione, non enim insignem mordacitatem tactui repræsentat, quemadmodum aliæ febres. Hoc signum, inquit Gal. proprium est, atque inseparabile harum febrium, cum solis febribus diarijs conveniat, & omnibus. Hic autem calor, docente Galen. 2. de cris. cap. 13. non perpetuo est idem atque eadem ratione talis apparet, sed aliquibus statim prima manus invasione mitis percipitur, si cutis sit rara: alijs vero posterius, si cutis sit adstricta.

Quintum signum est, quod cum incipit hæc febris, calor æqualiter accenditur, & libere, nullam ostendens coarctationem, & strangulationem, quemadmodum in febribus putridis quæ ex humoribus crassis fiunt. In his itaque febribus diarijs calor, & pulsus æqualiter increscunt usque ad vigorem: calor quidem, quia spiritus æqualiter accenduntur: pulsus etiam æqualiter increscit ad magnitudinem, & celeritatem, quia nulla in his adest causa, quæ impediat eorum ascensum. Hoc signum inseparabile est a febribus diarijs, cum omnibus conveniat, non tamen proprium, quia febribus putridis etiam convenit: namque inter has aliquæ reperiuntur quæ in calore, & pulsu æqualitatem servant, & ascensum liberum, cujusmodi sunt febres synochi, quæ increscentes dicuntur, & febres itidem tertianæ exquisitæ: quoniam quamvis in his aliqua reperiatur inæqualitas in accessionum principijs propter sanguinis retractionem ad interiora illa tamen inæqualitas exigua est, quæ vix sensu percipitur.

Sextum signum febrium diariarum est status, seu vigoris mediocritas: hæc namque febres id commune obtinent, ut statim mitem clementem obtineant, quæ clementia ex eo provenit, quoniam symptamata non sunt fortiora, ut in febribus putridis, in quibus adsunt capitis dolores, anxietates vigiliæ, &c. Ratio est, quia cum in his febribus simul, & ex toto accendantur spiritus in summo vigore, qui tenues cum sint, & citra fervorem, & inæqualitatem, nulla symptoma-

tomata fortiora excitare solent. Hoc signum inseparabile esse à febribus diarijs, inquit Gal. cum omnibus conveniat, non tamen proprium esse, quia alijs etiam febribus convenire potest.

Septimum, & ultimum signum ex solutione hujus febris desumitur: solvitur enim, & finitur febris diaria cum sudore, aut rore, aut omnino cum optimo aliquo vapore: quoniam beneficio caloris febrilis humiditates serosæ in habitu corporis existentes liquantur, quæ sudore, madore, aut vapore enacuantur. Potissimum tamen hæc febris cognoscitur, si peracta accesione ægrotantes liberi maneant ab omni febrili accessione. Atq; hæc quidem sunt signa communia, quibus omnes febres diariæ dignoscuntur. Hæc de prima contextus parte.

¶ *Alterum verò febrium genus, quod ephemeris ex adverso distinguitur, nullum quidem nomen commune sortitum est. Sunt autem duæ primæ doctrinæ, quæ non obscuram habent spetierum discretionem, &c.*

IN hac secunda capitis parte Galen. signa earum febrium, quæ ex humorum putredine accenduntur. Primum signum, proprium quidem, sed non inseparabile harum febrium, est, quod incipiant nulla causa externa eas præcedente; proprium quidem est hoc signum, quia solis febribus putridis convenit, ut fiant sine causa externa, cum aliæ febres, nempe diaria, & hectica, à causa externa fiant; non autem est inseparabile ab his febribus hoc signum, quia non omni febri putridæ convenit, ut fiat sine causa externa: aliquando namque fit febris putrida, causa aliqua externa accedente, non per se, & ex sua natura, sed potius ex accidenti, quando scil. corpus ad putredinem paratum fuerit, & excrementis abundaverit: nam causa externa postquam spiritus accenderit, & excrementa initium putredinis sumpserint, febrem putridam ex accidenti excitabit cessante, prius diaria. Hæc itaque febris putrida à causa externa incipiet, id est prima die fiet accedente causa externa, quamvis non fiat absque eo quod febris diaria præcedat. Hoc signo docet Gal. transitum febris diariæ in putridam; quoniam si febrilis accessio non perveniat ad perfectam integritatem intra unius diei spatium, sed protrahatur febris, tunc sane signum erit transisse febrem diariam in putridam, si antea signa febris diariæ præcedant.

Secundum signum febrium putridarum est, quod incipiant cum rigore nulla præcedente causa externa, nempe solis ardore, aut vehementi frigidate, qualis præcipue contingere solet illis qui per loca nivosa iter faciunt; aut qui in vehementi frigore diutius commorantur, quoniam si rigor ab his causis proveniat, minime febrem putridam indicabit. Hoc signum proprium esse, inquit Galen. febribus putridis, cum solis his conveniat, ut cum rigore incipiant: non

tamen est ab illis inseparabile hoc signum, quia non convenit omni febri putridæ, rigor enim qui est exquisitus, solis febribus tertianis convenit, cum illis sit proprius: si autem rigor in universum accipiatur, non convenit febribus putridis continuis, sed solum intermittentibus. Horror vero diverso modo se habet: non enim est inseparabilis ab hujusmodi febribus, cum non omnibus illis conveniat, sed tantum quartanis, neque etiam proprius est illis; quia non solis febribus putridis convenit, siquidem febres diariæ interdum cum horrore incipiunt, præcipue quando cutis ita constipata est, ut ejus ratione excrementa intra corpus colligantur, & per partes sentientes deferantur.

Tertium signum desumitur ex inæqualitate pulsus, & caloris, sivè in principio, sive in augmento contingat: pulsus etenim in his febribus non non est æqualis, sed diversus secundum diversas partes pulsus, & secundum diversas pulsationes, quoniam natura reluctatur materiæ, & interdum à multitudine illius opprimi, & gravari videtur: interdum vero eam superare. Hæc autem inæqualitas non eodem modo in his febribus reperitur: nam in illis quæ fiunt ex crassiori humore, major adest inæqualitas: minor vero, & exigua, in illis quæ ex tenujori humore ortum ducent. Eodem etiam modo inæqualitas caloris in his febribus reperitur: nam quando manum ægro applicamus, & diutius eam detinemus, calor non semper eodem modo videtur manum afficere, sed aliquando major, & acrior apparet calor, aliquando vero minor, & minus acris, quod non aliunde provenit, quam ex varietate partium materiæ, & motus earum ad putredinem. Hoc signum proprium esse, inquit Galen. quia solis febribus putridis convenit: non tamen esse inseparabile, quia febres tertianæ exquisitæ æqualitatem videntur obtinere in calore, & pulsu; quod si aliquando inæqualitatem aliquam obtineant, ea sane adeo est exigua, ut fere nostrum sensum effugiat.

Quartum signum est, quod hæ febres in una, & eadem accessione plures veluti insultus, seu accretiones habeant, ita ut eo tempore quo accessionem declinare putamus, eademmet iterum de novo accrescat, & reduplicetur, quæ reduplicatio communiter exacerbatio solet appellari: hoc autem præcipue accidere solet in illis febribus putribus, quæ ex materia frigida, & crassa ortum ducunt, veluti apparet in tertianis nothis, in quibus multa pituitæ portio permixta est humori bilioso, & in quotidianis, & aliquando etiam in quartanis solet hoc observari: quoniam cum hæ febres ex humoribus crassis fiant, non æqualiter accenduntur, & putrefiunt, atque ita illa pars humoris quæ putrefacta est, & accensa, jam accessionem ad declinationem deduxit: illa vero pars quæ remanet cruda, cum accendatur, & putrefiat, accretionem facit, seu reduplicationem, priusquam alius humor evacuetur. Hoc signum proprium est, cum solis febribus pu-

tridis

tridis conveniat: non tamen eſt inſeparabile, cum non omnibus putridis competat: quoniam febres ſynochi putres unica clauduntur acceſsione à principio ad finem uſque.

Quintum ſignum ad febres putres dignoſcendas ex pulſu colligitur: hæ namque febres pulſum habent veluti compreſſum, ſeu coarctatum, id eſt parvum admodum, & inæqualem; quod præcipue accidit in principijs acceſsionum, quoniam cum eo tempore ſanguis, & ſpiritus ad interna retrahantur, calor veluti obrutus manet, & arteriarum motus maxime impeditur facultate cordis labefactata. Hoc ſignum proprium eſſe docet Gal. his febribus, cum non conveniat alijs: non tamen eſſe inſeparabile, quia non omnibus febribus putridis eſt commune: nam febres tertianæ exquiſitæ, ut ipſemet docet 3. de præſag. ex pulſ. cap. 7. in compreſſas acceſsiones faciunt, ubi per acceſsiones in compreſſas, eas intelligit, in quibus pulſus coarctati, & compreſsi non ſunt. Hoc autem loco animadvertit Gal. hoc ſignum proprium eſſe harum febrium, niſi alicujus ſymptomatis ratione ſuperveniat: ſæpe namque in orificio ventriculi pravus aliquis humor coacervari ſolet, ex quo parvus, & inæqualis pulſus ſolet fieri: nam ſi frigidus ſit humor, parvitas: ſi vero acre, & mordax, inæqualitas accidit in pulſu; quod ſi ipſe ventriculus omni noxa careat, tunc ſane hoc ſignum proprium erit harum febrium.

Sextum ſignum, quod maximum eſſe, docet Gal. ac præcipuum harum febrium, quæ ex humorum putredine fiunt, ex qualitate caloris deſumitur: calor namque in his febribus nihil ſuave, neque moderatum, neque ſimile aliquid febribus diarijs obtinet, ſed potius mordax quodammodo exiſtet, ita ut tactum offendat atque erodat, ſicuti fumus oculos, & nares offendere ſolet; hic autem calor non quovis tempore percipitur: namque in principijs acceſsionum hic calor acris non eſt; quoniam cùm eo tempore ſuffocatus adhuc maneat in partibus internis, & accendi incipiant excrementa, non ſtatim impoſita manu dignoſcitur; ſed diutius perſeverante manus applicatione, hic calor acris, & mordax de profundo emergit, & foras attollitur; atque ita in principijs acceſsionum non manifeſte, neque ſtatim apparet, ſed in incrementis, & vigoribus. Hic etiam calor non in omnibus febribus putridis ex æquo apparet: in aliquibus namque evidens caloris acrimonia percipitur, in alijs vero obſcurior: quod accidit pro diverſa natura humoris febrem generantis.

Sed dices, hoc ſignum, quod ex caloris acrimonia deſumitur, non eſſe maximum in his febribus, cùm etiam perſentiatur in hecticis, in quibus calor in ſubjecto ſicco reperitur. Reſpondemus, in febribus putridis caloris acrimoniam ſtatim admota manu perſentiri: quoniam ex humoribus putridis vaporoſa quædam ſubſtantia acris, & mordax elevatur, quæ ſtatim ferit tactum: diverſo autem modo

res

res se habet in hecticis, in quibus non statim admomota manu caloris acrimonia percipitur, cùm ex illis non elevetur substantia illa acris, & mordax, quæ possit tactum afficere.

Septimum signum proprium atque inseparabile febrium putridarum colligitur ex pulsu, adeo ut omnibus, solis, & semper conveniat: est autem, ut compressio celerior sit dilatatione: hoc autem signum evidentius quidem est in incrementis, quamvis neque obscure in principio, & in vigore appareat, hujus sane rei non erit difficile causam assignare, quoniam cùm ex pulsu duplex usus, seu utilitas consequatur: altera refrigerationis, quæ media dilatatione perficitur: altera vero expellendi fuliginosa excrementa, ad quam compressio est accomodata, in putridis autem febribus multa fuliginosa excrementa generentur, & magis urgeat necessitas expellendi hæc excrementa, quam refrigerandi, ideo compressio celerior erit dilatatione. Comitatur autem has febres in initijs quidem pulsus parvus ac celer; cùm vero consistunt, magnus simul ac celer: ratio hujus rei est, quoniam in principio refrigeratis omnibus partibus, & veluti extincto calore nativo, pulsus quidem fiunt parvi, sed simul celeres, cùm facultas sit robusta, & faciat quod potest: in vigore autem cùm usus sit adauctus, & urgeat necessitas refrigerationis, magni, & celeres simul fiunt. Ita etiam frequentia pulsus quæ in exteriori quiete existit, in his febribus manifeste deprahenditur, quia cùm valde solicitet ac urgeat usus compressionis, arteria semel dilatata diutius quiescere non potest in exteriori quiete, sicque statim compressionem aggreditur: at in interna quiete, cùm non ita urgeat usus dilatationis, ideo in ea pulsus minus frequens reperietur.

Octavum signum sequitur maxime proprium quidem harum febriũ, cruditas scilicet urinæ, aut saltim obscura ejus coctio: cruda autem urina dicitur, quæ recedit à naturali statu in colore, substantia, & contento: solis enim febribus putridis convenit quodlibet ex his duobus signis, si separatim legantur, cùm neque in diarijs neque hecticis urina cruda, aut obscure cocta appareat; quod si ambo cum disiunctione, & seorsum sumantur, tunc signum erit proprium, & inseparabile, quia solis febribus putridis, & omnibus convenit, ut primæ urinæ aut omnino crudæ, aut obscure coctæ appareant: neque enim in his febribus manum, aut effatu dignum concoctionis indicium in primis venis apparet, si excipiamus transitum, seu permutationem quæ fit ex diaria in putridam, sed tunc urinæ coctæ non pertinebunt ad febrem putridam, sed potius ad diariam.

Nonum signum harum febrium est, si in vigore accessionis symptoma aliquod febris ardentis apparere contingat, veluti delirium, dolor capitis, anxietas, &c. aut si ea quæ in febribus lipyrijs, aut epialis conspici solent, aut hemitritæis, aut in his quæ typho-

des

des dicuntur: tunc etenim ex talibus ſymptomatibus non ſolum febrem putridam eſſe colligemus, ſed etiam peculiarem aliquam febris putridæ differentiam deprehendemus.

Decimum, & ultimum ſignum febrium putridarum eſt, ſi declinatio earum non perveniat ad perfectam integritatem, ſeu omnimodam quietem: tunc enim unum è duorum neceſſario ſequitur, aut tranſitum diariæ in putridam, ſi ſigna febris diariæ præceſſerit, aut his abſentibus, eam febrem ab initio putridam fuiſſe. Atque hæc ſunt ſigna in univerſum, quibus febres omnes putridæ dignoſcuntur. Et hæc de ſecunda contextus parte.

¶ *Si vero nonnumquam in prima die pulſus durus ſentiantur, &c.*

QVoniam ex veteribus Medicis quidam fuerunt, qui exiſtimarunt, pulſum durum proprium eſſe alicui febrium generi, propterea in hac ſecunda capitis parte id inquirit Gal. docens, pulſum durum nullatenus reperiri in febribus ea ratione, qua febres ſunt, atque ita neque eſſe proprium febribus diarijs, neque putridis, neque hecticis: neque etiam inſeparabile; quamvis non neget comitari magna ex parte febres hecticas, quoniam his febribus plerumque ſiccitas conjuncta eſt, quæ una eſt ex cauſis, quæ durum pulſum efficiunt: recte autem dixit, magna ex parte, cùm in hecticis incipientibus non reperiatur pulſus durus, quia in illis non adhuc ſiccitas morboſa invenitur. Reperitur etiam aliquando pulſus durus in febribus diarijs, & putridis: in diarijs quidem ſi ex nimio frigore fiant, ex quo nervorum tenſio ſequatur: aut ſi fiant ex nimio ſolis fervore, aut laſsitudine ſimul, inedia, immoderatis vigilijs, aut ex inanitione, quæ omnia ſiccitatem in corporibus pariunt, quæ eſt altera cauſa pulſus duri. In febribus quoque putridis pulſus durus adeſt, quando ſcilicet in partibus internis aliqua reperitur inflammatio, vel aliquis durus tumor, veluti ſcirrhus, ex quibus tenſio in arteris excitatur, quæ duritiei pulſus in cauſa eſt. In febribus itaque, ea ratione qua febres ſunt, nunquam fit pulſus durus. nam quando ex aliqua interna inflammatione febris accenditur, non eadem ratione ſequitur febris, & pulſus durities; ſed febris quidem ex humorum putredine ſubſequitur: durities autem ex tenſione quæ propter vaſorum repletionem fit. Ex quibus concludit Galenus duritiem pulſus propter tres cauſas fieri, aut propter congelationem, aut tenſionem, aut ſiccitatem: congelatio ſeu concretio arteriarum fit ab omnibus illis rebus, quæ valide refrigerare poſſunt, veluti ab aere frigido, medicamentis frigidis, nimio potu intempeſtivo aquæ frigidæ, & alijs: tenſio arteriarum ortum ducit ab inflammationibus internis, & duris tumoribus, ut ſcirrhis, aut à nervorum diſpoſitione proportione reſpondente inflammationibus, quæ omnia propter repletionem ſolent arteria-

arteriarum tensionem inducere. Siccitas tandem arteriarum fit à diuturnis enacuationibus, quæ ex diarrhœa, vel lienteria, vel disenteria, vel à quavis alia causa proveniunt, & in universum ab omnibus illis quæ solidas animalis partes vehementer exiccant. Hæc sunt, quæ pertinent ad hujus cap. explanationem.

DE GENERATIONE FEBRIUM HECTICARUM.

CAPVT OCTAVVM.

¶ *Quæ igitur febres hecticæ appellantur, duplici via ortum habent, &c.*

HActenus tradidit Gal. modum generationis, causas, & signa febrium diariarum, & putridarum: nunc tandem, ut huic priori libro finem imponat, de febribus hecticis disserit, initium sumens ab earum generatione. Præsens autem caput duas continet partes, in quarum prima generationem febrium hecticarum tradit Galen. & varias earum differentias. In secunda vero parte ostendit discrimen, quod reperitur inter febrem hecticam marasmodem, & affectum illum qui proprie marasmus appellatur. Exordientes igitur à prima contextus parte: febres hecticæ græce, latine habituales dicuntur: talem autem denominationem obtinuerunt, vel quia firmæ, aut solutu difficiles sunt, quemadmodum habitus, qui difficile separatur à subjecto: vel quia solidas animalis partes occupant, & in his firmatæ sunt. Duplex autem est ortus, seu generationis modus harum febrium: magna quidem ex parte ita generantur, ut alios morbos sequantur: pleraumque enim febres fecticæ ardentes febres sequuntur, quæ ita protrahuntur, ut humorem in corpore cordis contentum longitudine temporis absumant. Sequuntur quoque hæ febres aliquando diuturnas internarum partium inflammationes, veluti hepatis, lienis, ventriculi, &c. Ex quibus caliditas, & siccitas sensim in partibus solidis introducitur, & inde febris hectica. Sed interdum etiam febres hecticæ diarias febres sequuntur, in illis præcipue qui calidissimi cum sint, & siccissimi, multo tempore inediam patiuntur. Est, & alter modus generationis harum febrium, cùm statim ab initio invadunt, primam suam generationem similem febribus diarijs obtinentes, veluti cúm fiunt ex tristitia ira, aut nimia lassitudine, ex solis fervore contracta. Neque intelligas velim, per illa verua, *statim ab initio*, intelligere Galen. febres hecticas statim incipiendo fieri, nulla alia febre præcedente, quoniam incipere febrem aliquam, vel statim ab initio invadere, non est fieri nulla febre præ-

præcedente, ſed fieri primis morbi diebus, ut in ſuperioribus diceba-mus.

Deinde differentiæ febrium hecticarum variæ ſunt, quæ deſumuntur ex eo quod febris hectica habeat calorem præter naturam æqualem omnibus partibus corporis cum ſiccitate conjunctum, vel ex eo quod citta illam exiſtat, namque accidit aliquando, ut calor præter naturam abſumat humiditatem in corpore cordis exiſtentem, unde ſequitur febris hectica maraſmodes: aliquando vero eam non abſumat, & tunc fit febris hectica ſimpliciter dicta. Cæterum, ut hæc omnia facilius intelligantur, memoria ſunt repetenda, quæ docuit Galen. 7. method cap. 6. in omnibus ſcilicet partibus corporis, quatuor humiditates contineri: prima humiditas eſt ſanguinis qui in exilibus venis, & arterijs reperitur, quæ propriæ ſunt omnibus corporis partibus: Secunda humiditas eſt roris ros autem alimentum eſt ſingulis partibus inſperſum ad modum roris. Tertia humiditas eſt, quæ ex ſanguine concreto fit, qualis eſt illa, quæ reſultat ex carne, & adipe, quæ ſolidis partibus adiacet. Quarta humiditas dicitur nativa, ſeu inſita, quæ à primordijs noſtræ generationis partibus inſita eſt. His quatuor humiditatibus aliæ itidem quatuor ſiccitates proportione reſpondent, quæ ex defectu harum humiditatum proveniunt. Prima ſiccitas ex abſumptione ſanguinis provenit. Secunda ex abſumptione roris. Tertia ex abſumptione carnis, & adipis. Quarta ex humiditatis nativæ conſumptione. Ex his quatuor ſiccitatibus prima morboſa non eſt, quia defectus ſanguinis in exiguis venis, & arterijs exiſtentis non adhuc ſiccitatem morboſam inducit, donec proprium partium alimentum deficiat: at vero tres aliæ ſiccitates morboſæ ſunt, ex quibus tres maraſmi differentiæ ortum ducunt, cum diſcrimine tamen, namque ex abſumptione roris, & ex carnis etiam, & adipis defectu maraſmus fiens naſcitur; quod ſi nativa humiditas abſumpta fuerit, tunc maraſmus jam factus excitatur, qui nullatenus curationem admittit, ex eo quod humiditas nativa, quæ abſumpta eſt, reſtaurari non poteſt, cum ex principijs generationis ortum ducat.

His quidem ita intellectis, non erit difficile febrium hecticarum differentias colligere: namque ſi humiditas illa roris in corpore cordis contenta non fuerit abſumpta à calore febrili, tunc febris hectica ſimpliciter dicta, ſeu incipiens ortum ducit; quod ſi hæc humiditas deficiat, & abſumpta fuerit, talis febris hectica maraſmodes appellatur, quia cum maraſmo conjuncta eſt. Hanc febrem maraſmodem in duas differentias divìdit Gal. ſequenti capite pro diverſa natura maraſmi: quoniam ſi abſumpta ſit humiditas nativa ipſius cordis, ſequitur maraſmus factus, & inde febris hectica maraſmodes exquiſita; ſi vero humiditas roris, aut carnis, & adipis ſit abſumpta, ſequitur maraſ-

mus fiens: ex quo febris hectica media ortum ducit. Vnde tres erunt febrium hecticarum differentiæ: prima dicitur hectica simpliciter: Secunda hectica marasmades exquisita: Tertia vero hectica marasmodes media. Ex his tribus differentijs prima, si statim cognoscatur, facilem admittit curationem: Secunda non solum curatu difficilis est, sed omnino impossibilis: Tertia vero medio modo se habet.

¶ *Talis quidem est febris, quæ omnino marasmodes, id est tabida existit, &c.*

IN hac ultima contextus parte discrimen tradit Galen. inter febrem hecticam marasmodem, & affectum illum, qui proprie marasmus appellatur: quoniam hi duo affectus maximam obtinent inter se similitudinem; quod ut intelligatur non erit quidem inutile naturam, & essentiam marasmi, ex ipso Gal. adducere. Definitur autem marasmus seu marcor à Gal. de marcore, *corruptio corporis viventis à siccitate procedens,* corruptionem autem intelligit Gal. fientem, non vero factam, cum corruptio in facto esse in vivente corpore reperiri non posit: subjectum primum omnis marcoris, quemadmodum febris hecticæ, est cor secundum partes solidas, ubi residet calor nativus in suo humido; quia cum marasmus sit affectus totius corporis viventis, necesse quidem erit in marasmo affectis cor vitæ principium affici, corpusque cordis exiccari, & post cor in reliquis corporis partibus nativam humiditatem absumi. Causa proxima marasmi est siccitas nativam humiditatem absumens: consumitur autem nativa humiditas duobus modis: vel secundum ordinem naturæ decursu ætatis, ut in senibus, qui marasmus naturalis dicitur: vel consumitur præter naturam à morbo, qui marasmus morbosus appellatur: hic autem morbus necessario debet esse sicca intemperies corporis cordis, vel sola, vel cum intemperie calida conjuncta, vel frigida, vel utraque. Quapropter marasmi morbosi quatuor erunt differentiæ: una simplex dicitur, quæ est consumptio nativæ humiditatis à nuda intemperie sicca, qualis accidere aliquando solet ex alimenti defectu, vel ex longa inedia. Secunda differentia dicitur marasmus torridus, & febris hectica marasmodes, quæ ortum ducit ex intemperie sicca calidaque ipsius cordis. Tertia est illa, quæ à Philippo Medico senectus ex morbo vocatur, quia in juvenibus senectuti respondet, ortum ducens ab intemperie sicca frigida, in quam non solum senes, sed, & pueri etiam incidere solent. Quarta, & ultima differentia est marasmns syncoposus, qui ad syncopem ægros deduci: propter intemperiem siccam cordis cum magna inæqualitate caloris, & frigoris, & propter hanc causam mixtus dicitur ex utraque.

Ex his facile erit discrimen colligere inter marasmum, & febrem hecticam marasmodem: namque si de

marasmo simplici loquamur, hic quidem maxime distinguitur à febre hectica, sive sit hectica simplex; sive composita, quia febris hectica caliditatem in se includit, cum non sit sola intemperies sicca: at vero marasmus simplex non includit in se caliditatem, cum in intemperie sicca nuda consistat; quod si de marasmo composito loquamur, qui torridus dicitur, hic sane nullatenus à febre hectica marasmode distinguetur. Hæc sufficiant de contextus explanatione.

DE SIGNIS FEBRIUM HECTICARUM.

CAPUT NONUM.

¶ *Febrium autem hecticarum, quandoquidem duplex est, ut nuper diffinivimus, genus, earum indicia deinceps exponamus, &c.*

POstquam superiori capite generationem febrium hecticarum tradidit Galen. & earum differentias in medium adduxit: jam hoc capite propria signa ostendit, quibus singulas earum differentias dignoscere possimus. Caput autem istud in quatuor distribuitur partes: in quarum priori signa scribit Galen. febris hecticæ marasmodis exquisitæ. In secunda agit de signis febris hecticæ incipientis, tradens prius modum generationis, & naturam illius, tum etiam, & febris hecticæ mediæ, & marasmodis exquisitæ. In tertia vero parte, utraque comparat inter sese, docens quædam ex signis communia esse omnibus hecticis, alia vero singulis propria, tradens quoque discrimen quod reperitur inter febres hecticas, & putridas, quæ æquales habent accessiones. In quarta, & ultima parte capitis agit Galen. de secundo modo generationis febrium hecticarum, de illis scilicet, quæ alios morbos consequuntur.

Devenientes igitur ad primam capitis partem. Primum signum quo febrem hecticam exquisitam marasmodem cognoscamus, desumitur ab oculis ægrotantis: nam priusquam pulsum atque calorem tactu perpendamus, faciem intuentes oculos immodice concavos videbimus, & veluti in quibusdam quasi foveis reconditos, quod non aliunde provenit, quam ex maxima totius corporis absumptione, quæ quamvis in toto corporis habitu appareat: præcipue tamen in oculis conspicitur: namque cum oculi humidissimi sint ex sua natura, cum ex tribus constent humoribus, chrystallino scilicet, aqueo, & vitreo, nihil mirum si humida eorum substantia à calore febrili consumpta simul cum siccitate, supra modum concavi ac veluti in fovea quadam reconditi appareant. Unde sequitur, ut ossa qui-

bus palpebræ annexæ sunt, eminentiora conspiciantur, & sordes quidem siccæ in ipsis oculis appareant, & quædam veluti squalida dispositio, maxime similis ijs, qui toto die sub solis ardore iter longum per pulverem fecerunt.

Secundum signum ex tota facie desumitur: floridus enim color, seu vividus ipsius faciei in his qui exquisita marasmode laborant, extinctus est, propter sanguinis defectum, spirituum tum etiam, & caloris. Deinde in tota cute, quæ faciem ipsam cooperit, ac præcipue frontem, immoderatus squalor, seu siccitas conspicitur, adeo, ut ex nimia illa siccitate durior, ac veluti tensa reddatur, quæ omnia propter maximam illius consumptionem accidunt. Præterea qui hac febre laborant, nequeunt palpebras multum attollere, quemadmodum illi qui dormitant, quod fit propter maximam earum siccitatem, & virium etiam langorem: quoniam cum motus palpebrarum continuus sit, vires, quæ jam ex sua natura debiles sunt, valde solent defatigari: sæpius autem connivent oculi dormitantium more, quæ passio somns non est, sed vigilandi impotentia: cujus rei ratio est, quia cum in his vires debiles sint, & multi spiritus dissipati, somno egent, ut illi spiritus restaurentur; nequeunt autem dormire ob validam siccitatem, & calorem in cerebro existentem, ex quibus immoderata vigilia solet fieri.

Tertium signum sumitur ex temporibus: in his etenim qui hac febre laborant, carnes quæ in temporibus sunt, ita contrabescunt, & consumptæ sunt, ut collapsa videantur, & concava eorum spatia: quod fit absumptis carnibus, quæ in musculis temporalibus existunt. Hæc autem consumptio non solum conspicitur in tota facie, sed in universo etiam corpore est perspicua, adeo, ut nihil aliud omnino sint, quam ossa atque cutis: namque si nudato corpore partes quę ad ventrem pertinet, aspiciamus, haud dubie neque ex intestinis, aut visceribus aliquid remanere censebimus, & hypochondria maxime ad thoracem retracta videbimum, propter maximam harum partium consumptionem; tanta autem est horum ægrotantium absumptio, ut si eos tangere liceat, cutis quidem admodum arida siccaque percipitur, quam, si digitis apprehendamus, veluti corium consistit, non statim concidens, non enim adest caro subjecta, quæ implendo ad priorem statum cutem reducat, & extendat.

Quartum signum ex pulsu desumitur: pulsus namque in his qui hac febre afficiuntur, gracilis est, durus, debilis, & frequens; pulsum gracilem vocat Galen. pulsum longum, & angustum; longus fit pulsus, quoniam ob carnis defectum arterian unda remanente, à multis digitis percipitur secundum longitudinem; angustus vero fit non solum propter arteriarum duritiem, quæ non finit eas libere dilatari, sed etiam ob langorem facultatis, quæ nequit arterias dilatare in latitudinem. Deinde fit pulsus

ſus durus propter validam arteriarum ſiccitatem; debilis fit, quia facultas languida exiſtit, & inſtrumentum obediens. Frequens tandem fit pulſus, ut uſui ſatisfaciat: namque cum natura languida ſit in hac febre, urgeatque uſus refrigerationis, non poteſt pulſum magnum, & celerem efficere, ſed ſolum frequentem, ut frequentia ſuppleat quod deficit de magnitudine, & celeritate.

Quintum ſignum ex qualitate caloris deſumitur: quoniam cum primum manus admovetur in his, qui febre hectica maraſmode laborant, caliditas debilis eſt: poſtea vero diutius perſeverante manus applicatione acrimoniam atque eroſionem quandam oſtendit, ac magis cum plus tangendo immorabimur. Caliditas debilis eſt primo occurſu quoniam in his febribus exiguum eſt quod ex corporibus effluit, à quo tangentis manus poſſet affici; poſtea vero diutius perſeverante manus aplicatione acrimoniam oſtendit caliditas, quia in ſubjecto ſicco, nempe in partibus ſolidis eſt accenſa. Atque hæc de prima contextus parte.

¶ *Præſtat enim ad incipientem adhuc tabem rurſus transferre ſermonem, &c.*

HÆc eſt ſecunda contextus pars, in qua Galenus ut ſigna tradat febris hecticæ incipientis, ejus modum generationis, & naturam prius explicat; tum etiam hecticæ mediæ, & maraſmodis exquiſitæ, utraque comparans inter ſeſe. Docet itaque, maraſmum incipere, quando inſit humiditas, quæ in unaquaque particula diſperſa eſt, per ſpatia inania partium ſimilarium, ex qua partes primum nutriuntur, & quæ proprie ros dicitur, fere in ipſo corpore cordis nulla amplius ineſt: nam donec aliqua hujus humiditatis pars reſervatur, ſolum febris hectica exiſtit, nondum tamen maraſmodes eſt. Cum vero res eo jam periculi pervenerit, ut nihil ex tali humiditate rorida ſuperſit, ſed tota conſumpta ſit, tunc exquiſita maraſmodes fit. Vnde conſtat, tres differentias febrium hecticarum ſtatuere Galen. hoc loco, hecticam ſcilicet medlam, incipientem, & maraſmodem; quibus differentijs, inquit Galenus, hecticam incipientem facilem recipere curationem: namque cum in hac naturalis cordis temperies ſenſim mutari iucipiat nondum tamen mutata ſit, & humiditas illa roris non ſit conſumpta, facultas non valde languida exiſtit, cum ſolum fiat veluti quædam efferveſcentia in ipſa humiditate rorida; at febris hectica maraſmodes nullam recipit curationem: in hac etenim diverſa relinquitur diſpoſitio in corpore, quia cum non ſolum humiditatis roris, & carnis, & adipis ſit conſumpta, ſed humiditas quoque nativa, cor maxime à ſua natura recedit, & facultas omnino languida exiſtit. Tandem febris hectica media mediam admittit curationem: neque enim omnino incurabilis eſt, ſicuti maraſmodes exquiſita: neque ita facilis

curatu,

curatu, ut hectica incipiens: quoniam cum diversa maneat dispositio in corpore ex hac febre, non solum fervet rorida illa substantia, sed fere tota jam absumpta est ob maximam illam effervescentiam, quæ in longum protracta, propria cordis substantia siccior redditur, sicque facultas languida necessario efficitur; quanto autem magis accedet ad primam, tanto magis erit curatu facilis: majorem aut difficultatem obtinebit, si ad exquisitam marasmodem magis accedat.

His ita positis accedit jam Galen. ad tradenda signa febris hecticæ incipientis, & simpliciter dictæ, quæ facilem curationem recipit, nisi aliter culpa Medicorum acciderit: & hæc ubi sola fuerit, facilis quidem est cognitu; quod si cum febre putrida associata sit, & complicata, tunc ob mixtionem difficillima redditur. Hæc igitur febris, ubi sola extiterit, & nulli alteri mixta, duobus præcipue signis dignoscetur. Primum signum est, si febris quam in ægrotante percipimus, ab aliqua causa externa habuerit principium, quod ex forma febris, ex relatione ægrotantis, & alijs rebus cognoscemus; deinde appareant in hac febre prima die signa febris diariæ; tunc sane observare oportet, an hæc febris spatio viginti quatuor horarum terminetur: an vero ulterius progrediatur; nam si primum acciderit, talis certe febris diaria erit. Quod si ulterius progrediatur, & ad secundum diem protrahatur non perveniens ad perfectam quietem, neque vehementior evadens, sed calor sibi æqualis perseveret, corpusque siccius squalidiusque percipiatur, tunc sane suspicandum erit, talem febrem hecticam esse. Hoc autem, certius cognoscetur, si tertium diem spectemus, & ægrum sine cibo permanere relinquamus, donec transierint horæ suspectæ tertianæ accessionis, & febris nullum augmentum acceperit, neque imminutionem insignem, sed solum exiguæ quædam reliquiæ primæ febris maneant, & corpus siccius percipiatur cum calore, qui primo statim occursu mitis appareat: deinde vero perseverante manus applicatione, acris, mordax, siccusque tactui sese offerat, tunc sane recte judicabimus, talem febrem hecticam incipientem esse.

Secundum signum, quod maximum appellat Gal. & certissimum, est, quod post acceptum alimentum transacta una aut duobus horis, quando omnes horas suspectas accessiones pertransierit æger, accendatur calor, & pulsus ad magnitudinem, & celeritatem augeatur, ita ut incompressa annotatio facta videatur, cum revera non sit, hoc est, æqualis accessio, in qua neque horror reperitur, neque extremarum partium refrigeratio, neque propensio ad somnum, neque pigritia, neque inæqualitas aliqua in calore, & pulsu, neque ipsius parvitas, aut imbecillitas, sed eodem modo quo contingit alijs qui cibum ceperunt, pulsus efficitur major, & celerior. Hoc signum, proprium, & inseparabile appellat Gal. cum solis hecti-

hecti-

hecticis conveniat, omnibus, & semper ut æquale illud augmentum habeant in calore, & pulsu statim post acceptum alimentum. Sed quia poterat aliquis Galen. objicere, hanc æqualem accensionem in alijs etiam febribus posse aliquando reperiri, veluti in febribus biliosis continuis, & in febre synocho putri, igitur hoc signum non erit inseparabile à febribus hecticis. Huic respondet ipsemet Galen. tale augmentum in calore, & pulsu in febribus hecticis, & reliquis febribus non parum differe: etenim in tertianis continuis, & synocho putri increscente dicta, hujusmodi accessiones sine oblato alimento contingunt: in hecticis autem omnino contrarium accidit, cum nullam accessionem habeant, sed continuæ sint, & æquales à principio ad finem usque. Deinde in febre synocho putri calor multus est, ita, ut veluti flamma quædam permulta tactui occurrat, & pulsus in ea maximi sunt, celerrimi, & frequentissimi: in hectica vero exiguus ac pusillus calor apparet, pulsusque in ea tanto minores, rariores, & tardiores sunt ijs, qui in febre synocho reperiuntur, quanto etiam minor caliditas existit. Hæc de secūdæ partis contextus explanatione.

¶ *Commune est itaque omnibus hecticis febribus, quod pusillæ, ac semper à principio usque ad extremum finem sunt æquales, &c.*

IAm ad tertiam contextus partem devenientes, comparat Gal. supra dicta signa inter sese, docens, quædam ex illis communia esse omnibus febribus hecticis: alia vero singulis propria, tradens quoque discrimen inter febres hecticas, & putridas, quæ æquales habent accessiones. Primum itaque docet, commune esse omnibus febribus hecticis, ut calorem exiguum pusillum, & æqualem semper à principio usque ad finem ostendant: ratio hujus rei est, quoniam cum hæ febres in partibus solidis sint accensæ; & hæ partes ex sua natura siccissimæ sint, ideo exiguum sane est quod effluere solet ex his corporibus: & cum hæ febres non repetant per accessiones, sed solum augeatur calor post alimentum assumptum, propterea calor æqualis semper perseverat. Proprium autem febris hecticæ signum, quæ cum marasmo conjuncta reperitur, est siccitas. quoniam sine siccitate sæpius hecticæ febres consistunt quando non transmutantur ad marasmum. Ex quo loco colligitur, non omnem febrem hecticam cum siccitate conjunctam esse, sed illam solum quæ adjunctam habet marasmum: quoniam febris hectica incipiens sine siccitate morbosa reperitur, quemadmodum multis contingit tempore Gal. in illa magna peste, quæ Romæ grassata fuit. Distinguuntur autem hæ febres ab illis putridis, quæ accessiones habent æquales, in hunc modum, quia si statim post assumptum alimentum nulla accidat in pulsu inæqualitas, sed calor æqualiter augeatur, & pulsus æqualiter etiam increscat ad magnitudinem, & celerita-

ritatem, talis febris hectica sane erit. Quod si statim post alimenta accepta inæqualitas in pulsu accidat, & postea inæqualiter augeatur calor, crescatque pulsus in magnitudinem, & celeritatem, tunc talis febris hectica non erit, sed potius putrida.

Cæterum, quamvis ea quæ dicta sunt de dignotione febres hecticæ incipientis, satis esse potuissent, nihilominus tamen Gal. adhuc, clarioris doctrinæ gratia, duo addit præcepta, quæ manifestius in cognitionem febris hecticæ nos possunt deducere. Primum est, si diligenter animadvertatur sequenti die, usquequo alteratio permaneat in calore, & pulsu post oblatum alimentum: nam omnia quæ tunc manifeste apparent, eo usque alterata inveniuntur, donec alimenti distributio cordis siccitatem humectaverit; deinde omnia cessabunt, & æger ad primum statum revertetur in quo fuerat, antequam illi alimenta offerrentur. Secundum præceptum est, si diversis diebus, & diverso tempore æger nutriatur: siquidem omni hora, & omni tempore licebit invenire id fieri quod dictum est, nimirum dato alimento post unam, vel alteram horam, & calorem auctum esse, & pulsum majorem, celerioremque redditum fuisse; quod certum est, non alia ratione fieri, quam propter partium solidarum humectationem, quam ab alimento receperunt. Hanc tandem alterationem caloris, & pulsus in febre hectica, Gal. eleganti quadam similitudine confirmat, dicens: videtur enim illud hecticis evenire, quod evenit calci, & lapidibus calefactis, quibus si frigidissimam aquam affundas, tunc multo calidiores apparent, nutrito scilicet ab humida substantia sicco calore; quod vero ita hæc res se habent, experientia, & sensu facile potest demonstrari: quoniam si quis calcis glebam intra manus accipiat, ejus calorem contemnet, ac minime sentiet: si vero illi affundatur aqua, illam videbit statim admodum calefieri, atque adeo ferventem esse, ut non solum possit calefacere, sed etiam devretere; quales autem sit causa, propter quam hoc eveniat, inquit Galen. ad naturales quæstiones pertinere.

Sed, licet Galen. hoc loco causam dicti eventus non tradiderit, sed potius condissimulaverit; quæmadmodum fecit 2. progn. com. 60. ubi eandem similitudinem à calce desumptam tradidit: nihilominus tamen nos, relictis aliorum opinionibus, quæ plures ac pene infinitæ sunt, hujus rei causam elicere conabimur ex his, quæ à Gal. dicta sunt, in hunc modum. Cum aqua ex sua natura humidissima sit, si supra calcem injciatur, ratione illius humiditatis sicca calcis caliditas suscitatur, aut quasi nutritur; unde fit, ut necessario calidi vapores ab ea exhalent; pari itidem ratione in hecticis calor debilis, & pusillus tactui sese offert; quia in partibus solidis firmatus est, ex quibus propter siccitatem parum exhalat: cum vero alimentum sua natura humidum apponitur, quia substantia caloris adaugetur, ideo calor aliquantulum incres-

cit

cit quousque alimentum concoctum fuerit: confecto autem alimento, aut postquam partes siccæ vaporibus humidi: irrigatæ sunt sane hectica ad pristinam æqualitatem revertitur.

Cum superius docuerit Galen. proprium signum febrium hecticarum, quæ cum marasmo conjunctæ sunt, esse siccitatem, propterea id tandem confirmat, dicens nullum eorum qui habitu corporis præditi sunt humidiore, statim ab initio hujusmodi febribus corripi, sed illi qui sunt ex sua natura sicciores, ac præcipue si simul quoque temperamento calido præditi fuerint, vitamque degerint in laboribus, vigilijs, ac curis, & victu pauco usi fuerint: tales enim cum sicci sint, accedente ira, aut tristitia præcipue æstatis tempore, & calida regione, statim ab initio solet hectica febris invadere ad marasmum accedens. Hactenus de tertia contextus parte.

¶ *In eandem vero incidunt febrem ex ardentibus, atque acutis febribus plures, qui recte curati non sunt, &c.*

HÆc est ultima contextus pars, in qua agit Galen. de secundo modo generationis febrium hecticarum, de illis, scilicet quæ alios morbos sequuntur: hæ enim statim marasmodes fieri solent ob validam exiccationem, & absumptionem, à præcedentibus morbis inductam. Febres itaque hecticæ sequuntur aliquando febres acutas, & ardentes, quando in longum tempus protrahuntur, in illis præcipue, qui recte curati non fuerunt propter Medicorum ignorantiam: nam cum potu aquæ frigidæ indigerent: non solum eum non propinarunt, sed neque aliquod refrigerans medicamentum thoraci, aut hypocondrijs apposuerunt: horum namque remediorum usus aliquādo magnas affert utilitates, præcipue quando partes internæ à calore febrili maxime infestantur; non solum autem congrua remedia prætermittebant hi Medici, sed etiam quæ valde erant pernitiosa usurpabant, foventes viscera cataplasmatis ex artomelire, hoc est ex pane, & melle confectis, horum enim usus maxime pernitiosus esse solet ipsis febricitantibus. Hac itaque occasione facile incident in febrem cum marasmo conjunctam, sive solæ febre ardente laboraverint, sive cum inflammatione alicujus partis internæ.

Deinde febris hecticæ solent etiam aliquando consequi diuturnas internarum partium inflammationes, si non recte curentur, veluti renum inflammationem vesicæ, mesenterij, uteri, & intestini colon dicti, & ut uno verbo dicam, omnes diuturnas inflammationes, quæ nobiliores partes occuparunt, adjuncta totius corporis, ac præcipue, cordis siccitate: præcipue tamen subsequi videntur ad inflammationes ventriculi, & hepatis, non solum ob vicinitatem, & communionem quam habent cum corde per arterias, sed etiam quia hæc duo viscera quando inflammata sunt cum

ſint coctionis inſtrumenta, alimenta maxime aduſta reddunt, & corrupta, ſicque ſanguis ita aduſtus quando ad cor ipſum defertur, neceſſarium eſt corpus cordis adurat, & abſumat, ex qua abſumptione febris hectica cum maraſmo conjuncta ſubſequi neceſſario debet.

Præterea febres hecticæ maraſmodes fieri ſolent aliquando ex pulmonis, ac thoracis affectibus, & præcipue ex empyematibus, & phthiſi: empyema proprie collectionem puris in cavitate thoracis ſignificat: phthiſis vero ſeu tabes, licet aliquando pro totius corporis abſumptione ſumatur; vere tamen, & proprie accipitur à Galeno pro ulcere pulmonis, ſeu pro ulceroſa illius affectione, ipſomet docente 5. aphoriſm. com. 2. Fit itaque febris hectica ex empyemate quoniam ex pure quod in cavitate thoracis continetur, acres quidam, & mordaces vapores continuo elevantur, qui cor ipſum petentes ejus corpus adurunt, & conſumunt. Ex phthiſi vero, ſeu tabe fit febris hectica, imò ſemper cum hoc affectu conjuncta reperitur, quia ex ulcere in pulmone exiſtente multa reſudant excrementa, quæ ſua acrimonia, & mordacitate inſpiratum aerem inficiunt, qui ad cor ipſum deveniens ejus ſubſtantiam perpetuo exiccat, & abſumit, ex qua abſumptione, febris hectica neceſſario ſequitur.

Tandem febres maraſmodes fieri ſolent aliquando ex evacuationibus diuturnis præcedentibus, veluti ex dyſenteria, lienteria, longo alvi profluvio, & alijs, quoniam omnes evacuationes quando diutius perſeverant, corpus valde abſumunt, & exiccant, quia in illis ſemper aliquid utile ſimul cum inutili excernitur, unde corpus cordis valide exciccatur, & febrilem caliditatem concipit, quæ maxima cum difficultate amovetur.

In calce tandem cap. ſignum quoddam proponit Gal. ad dignoſcendas febres hecticas, quod maxime proprium appellat, ex eo quod ſolis ipſis conveniat. Eſt itaque commune omnibus febribus hecticis, quod arteriæ circunſtantibus partibus, tangentibus calidiores perſentiantur: ratio hujus rei eſt, quia cùm cor ſit fons caloris nativi, & proximum caloris febrilis ſubjectum, ſuam caliditatem toti corpori communicat, & cum maximum habeat connexum, & conſenſum cum arterijs, utpote a ſe productis, & ab eo ortum ducentibus, ideo ipſis majorem caliditatem communicavit; & propterea alijs partibus calidiores perſentiuntur. Hæc autem caliditas manifeſtior eſt, & evidentior in hecticis febribus, quam in alijs, tum quia calor ille qui in arterijs exiſtit, non remittitur ex carnis, & adipis præſentia, cum fere abſumpta ſint; tum etiam, quia cum in his febribus ſolida cordis ſubſtantia ſit accenſa, ideo arteriæ alijs partibus calidiores percipientur, cùm ex ipſa cordis ſubſtantia naſcantur. Adhuc autem manifeſtius hæc caliditas perſentitur poſt balneum frictionem, & alia: quia cum eo tempore totus corporis habitus rarior

rarior evadat, calor in partibus carnosis contentus facile transpirat, sicque mitior apparet: in arterijs vero è contra se habet, namque cùm solidiori constent substantia, earum calor nativo fovetur ex præsentia sanguinis arterialis, & spiritibus inibi contenti, atque idcirco alijs partibus calidiores persentientur à balneo. Id autem præcipue ostendunt arteriæ per dilatationem, quia tunc arteria magis accidit ad tactum, quam per compressionem. Hæc pertinent ad hujus cap. explanationem.

DE DIGNOSCENDA FEBRE HECTICA CUM putrida complicata.

CAPVT DECIMVM.

¶ *Alteri vero associata jam difficilius cognoscitur, &c.*

BReviter adducit Galen. hoc capite dignotionem febris hecticæ, quando cum aliqua putrida associata, seu complicata est; & quamvis aliqui falsis quibusdam rationibus innixi, fateantur; nullatenus fieri posse, ut febris hectica cum putrida conjuncta reperiatur; nihilominus tamen id quotidiana demonstrat experientia, & confirmat Gal. hoc capite in historia cujusdam mulierculæ, cujus itidem mentionem fecerat 10. med. cap. 5. Igitur quando febris hectica cum putrida conjuncta reperitur, difficilius certe cognoscitur: quoniam tunc temporis signa, & symptomata utriusque febris sibi invicem permixta, ac confusa reperiuntur, quæ confusam, difficilemque reddunt cognitionem. Verum quamvis difficilius sit cognitu hæc febris, suis tamen propris signis dignoscetur, illis scilicet quæ superius diximus, quia illa propriam febrium hecticarum naturam ostendunt. Ergo si postquam febrilis accessio præcessit, percipiamus quasdam caloris reliquias in ægrotante remanere, & in pulsu celeritatem, & frequentiam, & arteriæ partibus circunstantibus calidiores alijs partibus percipiantur, tunc sane recte colligemus, febrem hecticam cum putrida complicatam esse; id autem facilius dignoscemus, si æquale incrementum in calore, & pulsu accidat transacta una, aut duabus horis post assumptum alimentum. Hæc de hoc capite.

DE SIGNIS QUIBVS DIARIÆ FEBRES INTER ſeſe diſtinguuntur.

CAPVT VNDECIMVM.

¶ *Dictum eſt autem nihilominus eodem in libro quo pacto febrium ephemarum, differentiæ ſint cognoſcendæ, &c.*

CVm ſeptimo capite hujus libri pollicitus fuerit Galenus ſe traditurum ſigna aliquarum differentiarum febris diariæ, propterea id præſtat hoc capite. Sed quoniam à libro de criſibus, capite ultimo, & 1. artis curat. ad Glauc. copioſe egit de ſignis differentiarum febrium diariarum, ideo ſolum hoc loco tradit quæ illis in locis fuerant ab eo prætermiſſa, agens tantum de ſignis febris diariæ ab inſolatione, & a frigore natæ. Igitur febris diaria a fervore ſolis nata quinque potiſsimum ſignis facile dignoſcetur. Primum ſignum eſt, quod cutis in hac febre calidior, & ſiccior apparet, quam calor febrilis poſtulare videtur, & proinde pulſus immutatio non eſt tanta hoc eſt, non habet tantam celeritatem, quantam calor, & ſiccitas cutis oſtendunt. Neque etiam tanta ſitis reperitur, quanta præ ſe ferre videtur caliditas, & ſiccitas ipſius cutis: ratio hujus rei eſt, quia calor cum ſiccitate major percipitur in partibus externis ob ſolis fervorem, quam in internis. Secundum ſignum eſt, quod calor in hac febre ſtatim vigens percipitur, quia cum ſit multus in partibus externis, ſtatim tactui manifeſtatur: contra vero res ſe habet in diaria à conſtipatione nata: nam in principio benignus eſt, poſtea vero acris, & mordax perſentitur. Tertium ſignum eſt, quod caput in his qui hac febre laborant deuri videtur; quia magis afficitur caput à ſolis calore, quam aliæ partes, & ideo multum juvantur ex perſuſione aquæ frigidæ. Quartum ſignum eſt, oculorum rubedo, & caliditas cum ſiccitate; rubedo appatet in oculis, quia ob ſolis calorem attrahitur ſanguis ad partes ſuperiores; calidi apparent propter ſolis fervorem; ſicci vero, quia nulla humiditas excrementitia excernitur ex oculis, niſi forte catarrhus cum hac febre conjungatur: nam tunc aliqua ſolent deſcendere excrementa ad oculos ob ſolis fervorem liquata. Quintum ſignum eſt, manifeſta plenitudo earum venarum, quæ ſunt in oculis, in temporibus, in fronte, & in tota facie: quia à partibus calefactis multa ſanguinis quantitas attrahitur. Quo ſigno maxime diſtinguetur febres diariæ ab hac cauſa natæ, ab illis quæ ex frigore proveniunt: quoniam in his non adeſt ple-

nitudo venarum, quia partes densatæ sunt à frigore; totum vero corpus, dum conspicitur, quia ob cutis constipationem non recte evacuatur excrementa, hinc itidem cutis minus calida est, neque ulla in facie siccitas apparet; & calor statim minor percipitur, postea vero adaugetur. His itaque signis distinguemus febrem diariam ab insolatione natam, ab illa quæ fit à frigore, ac præcipue si diaria ab insolatione absque capitis repletione accidat; quoniam cerebro calefacto maxima excrementorum copia ad ipsum attrahitur, quæ caput replent, præcipue si corpus sit excrementis plenum: hoc namque modo difficile discernemus has febres inter sese; quoniam si caput excrementis abundet, statim destillatio consequitur, atque ita monet Galen. ut eas distinguamus ex siccitate, & nimia cutis caliditate, tum etiam, & ex venarum plenitudine; quæ signa maxime propria sunt febris ab insolatione natæ, ita ut alteri à frigiditate ortæ competere, nullo modo possint. Atque hæc visa sunt pertinere ad hujus prioris lib. explanationem.

IN SECUNDUM GALENI LIBRUM DE FEBRIUM differentijs, explanatio.

REPROBATIO OPINIONIS EXISTIMANTIUM, omnem febrem fieri ex solius bilis redundantia.

CAPUT PRIMUM.

¶ *At illud superest, &c.*

CVm superiori lib. tria præcipua ac summa genera febrium tradiderit Gal. diariam scilicet, putridam, & hecticam: ostenderitque modum generationis, causas, & signa cuique generi communia. Jam hoc secundo lib. optimam methodum secutus, accedit ad proprias, peculiaresque febrium putridarum differentias inquirendas, ut his in totum traditis, integra, ac perfecta tota febrium disputatio remaneat. Qua propter Gal. hoc lib. non solum intendit generatione omnium febrium putridarum ostendere, simulque etiam peculiares earum differentias tradere: seu etiam signa adducere medijs quibus particulares ac proprias differentias dignoscere possimus. Hoc autem, ut melius præstet Gal. initium sumit cap. sequenti à simplicioribus febrium putridarum differentijs, ut commodius postea compositas inquirere valeat. Sed cum tempore Gal. falsa quædam

dam Medicorum opinio vigeret, qui omnes febres putres ex solius bilis exsuperantia fieri existimabant; ideo hoc capite id refutat Gal. Caput autem tres continet partes, in quarum prima, horum opinionem reprobat Gal. In secunda parte demonstrat, falsam esse aliorum opinionem, qui existimarunt, omnem febrem putrem ex bile putrescente ortum ducere. In tertia vero, & ultima, omnes febres putridas in continuas, & intermittentes dividit.

Ad priorem igitur contextus partem acccedentes, reprehendit Galen. illos Medicos, qui opinati fuerunt sufficere ad generationem febrium putridarum solam amaram bilem auctam esse, & exsuperare citra id quod putrefiat, hoc autem probat in hunc modum: quoniam si hoc verum esset, sequeretur inde omnes qui icteritia, seu morbo regio laborant, statim febre putrida corripi, sed hoc dicere est absurdum, ergo illud ex quo sequitur. Sequellam sic probat, nam in illis qui icteritia afficiuntur, maxima bilis copia exsuperat: sed hi non est necessarium, ut febre corripiantur, igitur ex sola bilis redundantia nulllatenus poterit febris putrida generari, nisi alia causa adjungatur, nempe putredo. Hæc de prima parte.

¶ *Absurdum etiam putare in quartanis, & quotidianis febribus, &c.*

IN secunda contextus parte aliorum opinionem reprobat Galen. qui existimarunt, omnem febrem putrem ex bile putrescente ortum ducere; id autem probat hac ratione, quoniam quotidianæ, & quartanæ sunt febres putres, sed hæ non fiunt ex bile putrescente, ergo non omnes febres putres ex bile putrescente ortum ducent: minorem sic probat, quia quotidianæ fiunt ex humore pituitoso exsuperante, & putrescente: quartanæ vero ex succo melancholico, igitur non omnes febres fient ex bile putrescente. Deinde id probat Gal. ex his quæ consequuntur has febres, antecedunt, & concomitantur. Imprimis ex consequentibus, quia in febribus tertianis consequi solent evacuationes biliosæ, & vomitus biliosi in principio accessionum, sicuti in fine evacuationes biliosæ, tum per alvum, tum per sudorem, & alia hujusmodi, quæ redundantiam bilis denotant; at vero in febribus quotidianis, atque quartanis neque vomitus biliosi, neque sudores, neque urinæ, neque dejectiones aliqua vestigis amaræ bilis ostendunt, igitur non omnes febres fient ex humore bilioso putrescente.

Secundo id probat Galen. ex his quæ antecedere solent has febres: nam tertianæ quidem febres magna ex parte fiunt in corporibus biliosis, atque in ætate consistenti seu juventute, quæ omnium biliosissima est tempore etiam æstivo, in quo humor hic prædominatur: in locis præterea calidis, & siccis, & aere tali qualitate prædito: in his itidem qui laboribus assueti sunt, vigilijs, curis, solis ardoribus, inedia: & tandem in his qui calidis, & siccis utuntur alimentis,

tis, tum etiam, & medicamentis. Contra vero quotidianæ febres familiares sunt naturis in quibus pituitosus humor abundat: generantur etiam tempore anni frigido, & humido, veluti hyeme, in quo exsuperat pituita in ætate senili, ac puerili, in hac quidem non ex propria illius natura, cum calida sit, sed ex accidenti, quia ob voracitatem, & intempestivum usum à cibo, maxime solent pituitosis excrementis scatare: fiunt etiam in locis frigidis atque humidis, vitaque ociosa, & à curis, negotijsque libera: & tandem ab alimentis frigidis, & humidis. Idem etiam judicandum est de quartana: quoniam si ea quæ ipsam antecedunt animadvertamus, haud dubie ad humore melancholico fieri colligemus, non vero bilioso: siquidem quartanæ in his præcipue generantur qui natura sunt frigida, & sicca, veluti declinante; anni tempore frigido, & sicco, ut autumno; & in universum ab his omnibus fieri solent quartanæ, quæ ad frigidum, & siccum declinant. Constat igitur ex his, quæ antecedere solent quotidianam, & quartanam, non omnem febrem fieri ex humore bilioso putrescente, ut falso quidam ex veteribus opinati fuerunt.

Tandem id demonstrat Galen. ex concomitantibus has febres, id est ex symptomatibus, quæ simul cum his febribus adsunt; quoniam rigor, qui antecedere solet has febres, nequaquam similis est. Quo loco nomine rigoris non solum intelligit exquisitum propriumque rigorem, qui est dolorifica perfrigeratio cum inæquali totius corporis concussione, & qui proprius est febribus tertianis; sed etiam nomine rigoris horrorem simul, & frigus intelligit: & propter hanc causam dixit Galen. rigorem, qui has febres antecedit, non esse similem; quoniam in tertianis ægrotantes in principio accessionis ita affici videntur, ut in toto corpore rei cujusdam pungentis ac ferientis sensus repræsentetur, quod inditium est fieri ab humore calido: acri, & mordaci, qualis est bilis; in quartanis vero ægrotantes molestum quemdam horroris sensum in habitu corporis persentiunt absque acrimonia, & mordacitate, quod signum est fieri à mitiori humore, qualis est succus melancholicus. At tandem in quotidianis ægrotantes solum refrigerationem persentiunt citra molestum sensum, quod denotat à mitiori adhuc humore pervenire, veluti est pituitosus. Constat igitur ex his symptomatibus, quæ his febribus propria sunt, eas à diversis humoribus ortum ducere, & ex consequenti falsa erit eorum opinio existimantium, omnes febres putres fieri ex humore bilioso putrescente. Hæc de secunda contextus parte.

¶ *Vbi etiam ejusdem generis febrium diximus differentiam, &c.*

IN tertia, & ultima parte capitis explosa veterum Medicorum sententia de febrium putridarum generatione: statim dividit Gal. febres omnes

omnes putres, in continuas, & intermittentes: quæ divisio essentialis non est, cum non desumatur ex varietate subjecti, in quo febres accenduntur: quoniam tam in febribus continuis, quam in intermittentibus unum, & idem subjectum accenditur. Igitur hæc divisio accidentalis erit, cum accidat ipsis febribus, ut continuo affligant, aut intermitant. Febres itaque intermittentes illi appellantur à Galen. quæ ad sensibilem infebricitationem, seu ad tempus quietis perveniunt. Quo loco animadvertere oportet, hæc verba Galen. non esse simpliciter, & absolute accipienda, ita ut intelligamus, has febres ad perfectam infebricitationem seu quietem pervenire, ita quod nullus remaneat in corpore calor febrilis: quia cum focus putredinis intra corpus maneat, calor febrilis ibi veluti delitescit, à quo partes corporis aliquo modo affici necessario debent; sed potius hæ febres intermittentes ad sensibilem infebricitationem dicuntur pervenire, quia nostri sensus judicio ægrotantes transacta accessione liberi à febre remanere videantur, cum per eam evacuetur humor, qui illius accessionis causa erat, cum revera, & exquisite absque febre non remaneant: quod licet ex pulsu deprædendere, in quo compressio celeritatem demonstrat propter usum adauctum. Febres continuæ illæ dicuntur, quæ ad sensibilem infebricitationem non perveniunt, sed continuo ægrotantes affligunt, & nos clare deprædendimus, illos febricitare.

Distinguuntur autem febres continuæ, & intermittentes, non propter diversum subjectum in quo accenduntur, quia in utrisque idem est subjectum: in tertiana enim continua, & intermittente idem humor accensus est, nempe biliosus: in quotidiana continua, & intermittente humor pituitosus; & solus humor melancholicus in quartana continua, & intermittente accensus reperitur: sed potius distinguuntur hæ febres, quia intermittentes fiunt ex humore, qui per omnes partes corporis suo motu defertur, continuæ vero ortum habent ex humore, qui intra venas inclusus continetur, & propter hanc causam in his febribus continuis neque fit rigor, neque horror, neque frigus: quia cum hic humor ibi intra vasa contineatur, multusque sit, & natura languidior, non potest per habitum corporis excerni, sicque in his neque fit rigor exquisitus, neque frigus: dixi, exquisitum, quia in his febribus continuis solet aliquando levis quidam rigor fieri quando scilicet humor peccans tantus est, & tam prava illius qualitas, ut initio accessionis opprimat naturam, quæ incitata ac commota humorem illum noxium ante coctionem excernat per partes corporis sentientes: at vero in febribus intermittentibus cum humor paucis fit, & natura robusta facile expellitur per partes corporis sentientes, sicque aliquando efficit rigorem, aliquando horrorem, & aliquando frigus: namque si humor acris valde sit, & mordax, rigorem excitat,

ut accidit in tertiana intermittente; quod si humor non sit ita mordax, efficit horrorem, ut in quartana humor melancholicus: si autem minus sit mordax, frigus inducere solet, ut humor pituitosus in quotidiana. Hæc pertinent ad hujus capitis explanationem.

DE COMMUNIBUS DIFFERENTIIS FEBRIUM putridarum.

CAPUT SECUNDUM.

¶ *Intermittentium igitur tres sunt omnes numero differentiæ, quotidiana, tertiana, & quartana, &c.*

Divisit Gal. in fine superioris capitis febres omnes putres in continuas, & intermittentes: nunc hoc capite has duas differentias in alias particulares subdividit. Caput autem clarioris doctrinæ gratia, in tres secabimus partes. in prima earum differentias febrium intermittentium tradit, in secunda continuarum febrium differentias proponit; in tertia vero, & ultima superioris subdivisionis membra in alias peculiares differentias subdividit. Ad primam partem accedentes, docet Gal. febrium intermittentium tres esse numero differentias, quotidianam scilicet, tertianam, & quartanam. Hæc divisio essentialis est cum desumatur ex varietate subjecti, quod præter naturam affectum est siquidem in quotidiana febre humor pituitosus est accensus: in tertiana humor biliosus: in quartana vero melancholicus. Sed cum humores ex quibus singulæ hæ differentiæ ortum ducunt, diversi sint, ideo variæ erunt harum differentiarum differentiæ, solumque distinguentur propter majorem aut minorem malignitatem aut benignitatem humoris; cum autem bilis differentiæ multæ sint, propterea variæ fieri poterunt febrium tertianarum differentiæ: cum discrimine tamen, nam quæ ex maligniori specie bilis fiunt magis malæ erunt: quæ vero ex mitiori, & minus maligna specie bilis ortum ducent, minus malæ censebuntur. Idem judica de febre quotidiana, & quartana. Illud tamen perpetuo observare debemus, ex speciebus humorum præter naturam, ut plurimum, febres continuas, & pernitiosas generari; ex speciebus vero humorum secundum naturam quando putrefiunt, frequentius febres intermittentes, & minus malas ortum ducere: ratio hujus rei est, quia quando humores, qui secundum naturam sunt, putrescunt, cum non sint maligni, neutiquam naturam languidam reddunt, sicque à natura robusta facile expelluntur extra venas, & febres

intermittentes excitant; at cum humores præter naturam ſunt, malignitatem habent adjunctam, & maxime proſternitur natura, ſicque, cum deficiat robur, non poſſunt expelli extra venas, ſed intra eas detenti ſi putreſcant, febres continuas generant: & propter hanc cauſam dixit Gal. 3. de rat. vict. in morb. acut. ex pituita ſalſa putrefacta aliud genus febris ardentis excitari. Hæc de hac prima contextus parte.

¶ *Continuarum autem qui ex flava bile proveniunt duplex eſt ſpecies, &c.*

AD ſecundam contextus partem devenientes, febrium continuarum differentias proponit Gal. dicens, continuarum febrium quæ ex bile flava proveniunt duplex eſt genus: alterum earum quæ græce ſynoche appellantur, latine vero continentes, quæ unica clauduntur acceſsione à principio ad finem uſque: alterum vero earum, quæ eodem nomine quo genus, continuæ dictæ multis particularibus circuitibus continentur. Ex quibus verbis colligi videtur, omnes febres continuas ex bile flava ortum ducere, quod ſane falſum eſt, & doctrinæ Gal. maxime repugnans, cum ſuperiori capite id copioſe refutaverit, & method. cap. 4. inter febres continuas ſynochum enumeret, quæ ex ſanguine fit; tum etiam quotidiana continua, ex pituita: quartana vero ex humore melancholico provenit, igitur falſa prorſus erit hæc Galen. ſententia. Et ſi vero non ignorem, hujus loci multas, ac varias tradi explicationes ab interpretibus; nihilominus tamen exiſtimo cum Ludovico Collado, Alexandro Maſſatia, & alijs præclariſsimis Medicis, hanc vulgatam Gal. lectionem vitiatam eſſe, & ita delenda eſſe illa verba, *quæ ex flava bile proveniunt*, tanquam ſupervacanea, & ab aliquo temere interpoſita: atque ita verborum Galen. hic erit ſenſus; continuarum febrium duo eſſe genera, alterum earum quæ continentes dicuntur: alterum vero earum quæ ſimpliciter continuæ appellantur. Hæc de ſecunda parte.

¶ *Earum igitur quæ Synochæ dicuntur, tres ſunt omnes numero differentiæ, &c.*

IN tertia, & ultima cap. parte, ſuperioris ſubdiviſionis membra in alias peculiares differentias ſubdividit Galenus incipiens à priori membro, nempe à febribus ſynochis: cum autem febres ſynochi ſeu continentes illæ dicantur, quæ unica acceſsione clauduntur à principio ad finem uſque, has in tres differentias dividit: nam quædam earum à principio uſque ad finem æquales perſeverant, quas aliqui *homotonas*, atque *acmaſticas*, hoc eſt in eodem ſtatu, ſeu vigore perſeverantes nominarunt. Quædam paulatim augentur, quas *anabaticas*, atque, *epacmaſticas*, hoc eſt aſſurgentes atque increſcentes dixerunt. Quædam vero paulatim decreſcunt ſeu minuuntur, quas *paracmaſticas*, hoc eſt decreſcentes appellarunt: qua-

quarum differentiarum causa est, quoniam si tanta copia sanguinis putrescat, quanta dissipetur, fit febris synochus in eodem statu perseverans; si vero major copia sanguinis putrescat, quam dissipetur, fit synochus accrescens; quod si major copia sanguinis dissipetur, quam putrefiat, fit synochus perpetuo decrescens. Quo loco animadvertere debemus ex Gal. lib. 9. meth. cap. 3. febrem synochum duplicem esse, putrem scilicet, & non putrem: febris synochus putris dicitur illa, quæ fit ex sanguine putrescente in omnibus vasis, vel saltim maximis, aut cordi vicinis; synochus vero non putris illa dicitur, quæ ex sanguinis fervore ortum ducit, quæ ad febres diarias refertur, sicque diaria non vera dicitur seu plurium dierum, quæ itidem tres obtinet differentias quemadmodum superior, accrescens scilicet, decrescens, & in eodem statu seu vigore permanens, docente Galeno loco citato.

Sed objiciet aliquis, si febres synochi tam putres, quam non putres, aliæ semper accrescunt, & augentur: aliæ semper decrescunt, & imminuuntur: aliæ vero perpetuo in eodem statu perseverant; ergo non habent quatuor tempora universalia, quemadmodum aliæ febres. Huic objectioni, quamvis aliqui aliter respondeant: nos tamen dicimus cum nostro Ludovico Collado, quamlibet harum differentiarum quatuor habere universalia tempora, & perceptibilia, & quæ signis coctionis, & cruditatis distinguuntur; dicuntur autem aliæ semper accrescere: aliæ semper imminui: aliæ vero in eodem statu permanere, non quod non sint quatuor tempora perceptibilia, sed quia talis est constitutio, & natura harum differentiarum febrium, ut aliæ perpetuo accrescant, aliæ perpetuo decrescant: & aliæ eundem tenorem servent.

Diviso jam priori divisionis membro, aliud membrum dividit Gal. dicens, continuarum febrium, quæ simpliciter continuæ appellantur, duæ sunt primæ differentiæ: aliæ tertio quoque die accessionem habent: aliæ die intermedio alteram faciunt accessionem; febres quæ tertio quoque die accessionem habent, cum sint continuæ, non deveniunt ad manifestam integritatem seu infebricitationem, sed suos certos circuitus obtinent, quos exacerbationes appellant: quoniam, ut docet Galen. 1. aphor. com. 11. circuitus qui in febribus continuis accidunt, solent Medici exacerbationes nuncupare, quemadmodum febrium intermittentium circuitus, accessiones appellant; circuitus vero nihil aliud est quam reditus ad idem, ut suo loco dicemus. Has febres continuas, quæ tertio die exacerbationes habent, appellat Gal. tertianæ finitimas, hoc est, tertianæ naturam referentes, & hoc nomine usus est, ut ostendat eam febrem, quam nos tertianam continuam appellamus, & eam distinguat ab ea, quæ tertio quoque die ad manifestam integritatem seu infebricita-

tionem pervenit, quæ tertiana intermittens dicitur. Aliæ sunt tertianæ continuæ, quæ die intermedio alteram faciunt accessionem seu exacerbationem, id est, quæ quotidie præhendere solent: hæ autem nomine proprio carent, quamvis aliqui hemitritæos, hoc est, semitertianas appellent. Has febres tertianas continuas, quæ non solum de tertio in tertium præhendere solent, sed die etiam intermedio, in alias duas differentias dividit Galen. nonnullæ enim moventur ad formam quotidianarum, id est, quotidie similes exacerbationes habent, veluti quotidianæ: aliæ vero ad formam duarum tertianarum progrediuntur, id est, dissimiles accessiones habent, quia accessio tertij diei dissimilis est accessioni primi diei, & accessio quarti diei dissimilis est accessioni secundi diei, &c. Præter has primas febrium continuarum differentias, tertiam addit Galen. quæ de quarto in quartum solet exarcebationem facere, quæ quartana continua merito appellabitur, ex eo quod ex humore melancholico fiat, & nunquam ad sensibilem infebricitationem deveniat: hæc autem raro evenire solet, ut docet Gal. in contextu. Atque hæ sunt simplices febrium putridarum differentiæ.

Sed objiciet aliquis, præter dictas febrium putridarum differentias à Gal. traditas, aliæ itidem reperiuntur, quæ putridæ quoque sunt, igitur diminutus fuit Galen. in assignandis febrium differentijs; probatur antecedens, febres lipyriæ dictæ, tum etiam epialæ, & febres etiam ardentes causodes à Græcis dictæ, ab omnibus inter putridas recensentur, sed has non adnumeravit Galen. inter differentias febrium putridarum, igitur diminutus fuit Gal. in tradendis febrium differentijs. Huic objectioni respondemus concedentes, has febres putridas esse, negamus tamen diminutum fuisse Galen. in tradendis febrium putridarum differentijs, cum sub dictis differentijs comprehendantur à Gal. & non sint distinctę ab illis, sed diversas obtineant appellationes propter aliquod symptoma quod ipsis accidere solet: nam febres lypiriæ sub biliosis febribus continentur, quia ardentissimæ sunt, & ab humore bilioso ortum ducunt: in his etenim partes internæ maximo incendio flagrant, externæ vero algent, & frigidæ percipiuntur, sicque ab hoc symptomate hanc appellationem obtinuerunt. Febres etiam epialæ sub quotidianis comprehenduntur: quoniam cum hæ febres ab humore pituitoso vitreo fiant, qui partim putrefactus est, partim vero non, ideo partes externæ partim calidæ, partim vero frigidæ apparent. Tandem febres ardentes causodes à Græcis dictæ non distinguuntur à febribus biliosis, vel pituitosis: quoniam hæ febres, ex humore bilioso, vel ex pituita salsa possunt fieri, docente Galen. 4. à cutorum comm. 13. & alijs in locis.

Hæc spectant ad explanationem hujus capitis.

DE

DE SIGNIS FEBRIS TERTIANÆ EXQUISITÆ.

CAPVT TERTIVM.

¶ *Quæ autem ex humoribus ſimplices febres accenduntur, tot numero ſunt, quot nuper à nobis ſunt explanatæ, &c.*

HActenus tradidit Gal. differentias ſimplices, & communes febrium putridarum: reliquum modo eſt, ut ſigna oſtendat quibus, eas dignoſcere poſsimus, & à ſe invicem ſecernamus, initium ſumens à febribus intermittentibus, ex eo quod hæ velut regula ſunt aliarum febrium dignoſcendarum. Toto autem hoc capite ſigna adducit Gal. medijs quibus in cognitionem deveniamus febris tertianæ exquiſitæ intermittentis. Febris autem tertiana exquiſita intermittens, *eſt calor præter naturam accenſus in humore bilioſo putrefacto ſyncero, & impermixto, cordique communicatus.* Hæc febris ſemper fieri ſolet, quando præcedunt ea quæ humorem bilioſum valent generare, ut temperamentum calidum, & ſiccum, ætas calida, & ſicca, regio, & anni tempus calidum, & ſiccum, & in univerſum quando præcedunt ea omnia, quæ ad calidum, & ſiccum declinant, ut priori capite dicebamus, & hæc dicuntur à Galen. 2. de criſ. cap. 3. ſigna antecedentia hanc febrem.

Signa vero concomitantia has febres, ſex traduntur à Gal. hoc capite. Primum ſignum eſt, quod acceſsio, ſeu paroxiſmus harum febrium cum vehementi, & exquiſito rigore invadat. Quod ut intelligamus, ſciendum eſt ex Gal. 2. de cauſ. ſympt. cap. 5. rigorem nihil aliud eſſe, quam dolorificam perfrictionem cum inæquali totius corporis concuſsione. Fit autem rigor, quando humor acris, & mordax ſubito, & affatim per partes ſentientes noſtri corporis defertur, & quo acrior ſynceriorque erit humor, eo vehementior rigor, excitabitur. Et quamvis in omnibus febribus intermittentibus humor noxius ad habitum corporis expellatur, ſicque fiat rigor, vel horror, vel frigus: proprium tamen eſt febribus tertianis, ut cum rigore incipiant; hæc namque tria ſymptomata ſolum ſecundum magis, minus diſtinguuntur: majus enim ſymptoma eſt rigor, cum in eo omnes partes corporis validæ concutiantur à nimia acrimonia, & mordacitate humoris ſtimulatæ; at vero in horrore ſolum concutiuntur partes, quæ in habitu corporis exiſtunt; in frigore autem ſolum refrigerantur extremæ partes abſque ulla concuſſione. Ex quibus intelligemus, quomodo febres tertianæ exquiſitæ intermittentes cum vehementi rigore incipiant; quoniam cum hæ febres fiant

ab humore biliofo fyncero, qui ex fua natura acris eft, & mordax, quando à natura robufta expellitur extra venas ad partes corporis fentientes, neceffarium eft, ut vehementem, & exquifitum excitet rigorem.

Secundum fignum ex acrimonia caloris defumitur: quando enim tertiana exquifita intermittens augetur, maxima acrimonia caloris percipitur, ufque adeo, ut caufodes feu ardens appelletur à Galen. hoc loco: namque cum hæc febris à bile fyncera putrefacta ortum ducat, nihil mirum, fi calor acris, & mordax percipiatur, & ex genere ardentium dicatur ad diftinctionem aliarum febrium intermittentium, nempe quotidianarum, & quartanarum, quæ ardentes effe nequeunt, cum fiant ab humoribus frigidis, qui calorem acrem concipere non poffunt. Vnde fit, ut fi ardens febris fit, & intermittens, neceffario tertiana exquifita debeat effe. Ex hoc figno aliud fequitur, quod tradit etiam Galen. 2. de crif. cap. 3. nempe quod in hac febre ingens, & inexaufta fitis reperiatur quæ ex caloris copia provenit, quæ in hac febre adeft, & humiditatis inopia, quæ in ventriculo reperitur ob nimiam ficcitatem bilis.

Tertium fignum defumitur ex evacuationibus, quæ antecedere folent, & fubfequi hanc febrem: proprium namque eft his febribus tertianis, ut in principio accefsionis, vel in fine, biliofæ excrefsiones fuperveniant: quoniam cum in principio accefsionis bilis à venis ad habitum corporis deferatur, & aliqua illius portio ad orificium fuperius ventriculi expellatur, hæc neceffario vomitu excerni debet; quod autem fiant vomitus, & dejectiones biliofæ in principio accefsionis hujus febris, patet, quia eo tempore indifcriminatim excernit natura à venis ad habitum corporis humorem biliofum, & ita aliqua ejus portio folet ad ventriculum, & inteftina deferri, quæ vomitu, aut dejectione excerni neceffario debet. Dubium autem maxime videtur, quomodo in declinatione accefsionis fiant ifti vomitus, & dejectiones? fiunt fane, quia fi humor non poteft per habitum corporis, per fudorem, aut per infenfilem tranfpiratum excerni, quia cutis conftipata eft, per eafdemmet vias, per quas fluxit, valida facultate expultrice quæ in venis reperitur, regurgitat, & fertur ad ventriculum, & inteftina, ficque neceffario per vomitum, aut per dejectionem excerni debet.

Quartum fignum ex accefsionis febrilis duratione defumitur, quæ admodum brevis folet effe in febre tertiana exquifita intermittente, adeo, ut ad fummum duodecim horarum æquinoctalium fpatio finiatur, quod non aliunde provenit, quam ex tenuitate, & caliditate humoris biliofi, qui facillimo negotio fuperatur, & per fudorem, aut per infenfilem tranfpiratum evacuatur. Poteft autem aliquando accidere, ut brevior fiat accefsio in hac febre, ita ut intra fex horas finiatur, & hoc quidem, vel propter minorem bilis quantitatem, vel

vel ob illius qualitatem, & teniuitatem, vel propter vires robustas ægroti, vel tandem ob corporis dispositionem, nempe si dispositio corporis sit rara, docente Gal. in contextu. Hoc signo distinguitur hæc febris à tertiana nota intermittente, quotidiana, in quibus accessiones valde longæ sunt ob nimiam humorũ crassiciem, qui non ita facile possunt à natura superari.

Quintum signum sequitur ex supradicto, quod licet non tradatur à Galeno hoc capite: de eo tamen egit 2. de cris. cap. 3. desumitur autem ex duratione totius constitutionis hujus febris: est enim tertiana exquisita intermittens morbus brevis, docente Hipp. 4. aphor. sentent. 59. ubi inquit, tertianam exquisitam septem ad summum circuitibus terminari. Idem etiam docet 1. epid. part. 3. sent. 8. & Gal. in com. cujus rei ratio est, quia cùm bilis flava humor sit tenuis, cito à natura vincitur, & superatur; vel, quia, ut docet Gal. 2. aphor. com. 25. cum hæc febris fieri soleat tempore æstatis, & tunc temporis meatus sint aperti, bilis ipsa, quæ est causa hujus febris, citius foras excernitur. Hoc signo differt hæc febris ab omnibus alijs febribus intermittentibus, quæ longiores solent esse propter humoris crassitiem.

Sextum, & ultimum signum desumitur ex tempore intermissionis, seu quietis hujus febris: nam quando transacta fuit accessio, & æger quietus manet, tunc temporis nullum perceptibile signum putredinis in pulsu apparet: per signum putredinis in pulsu, intelligere debemus celeritatem pulsus in compressione, & ejus inæqualitatem, atque ita in hac febre tempore quietis nulla celeritas compressionis in pulsu percipitur, neque aliqua ejus inæqualitas, ratio hujus rei est, quia cum hæc febris ex humore bilioso tenuissimo ortum ducat, omnes fuligines putres tempore accessionis dissipatæ sunt ob earum tenuitatem, sicque tempore quietis nullæ remanent, que celeritatem compressionis in pulsu efficere possint, & ejus inæqualitatem, & propter hanc etiam dixit Gal. 1. ad Glauc. cap. 5. pulsum in tertiana exquisita intermittente esse omnis inæqualitatis expertem, quia cùm fuligine tenues, & exiguæ sint, exigua etiam reperitur in pulsu inæqualitas, adeo ut sensum nostrum effugiat.

Sed rogabit aliquis, quomodo tertiana exquisita possit fieri ex bile syncera putrefacta, cùm omnes humores nostri corporis inter se permixti sint, ita ut nullo modo videatur fieri posse, ut unus tantum humor sine reliquis putrescat? Huic respondet Gal. 2. de cris. cap. 12. nam etsi verum sit, vix unum humorem posse putrescere, quin alteri etiam humores leniter, & aliquo modo illi consentiant: tamen quotiescunque apparent sola indicia, v. g. bilis putrescentis, non vero aliorum humorum, tunc dicendum est solam bilem putrescere, febremque ex ea ortam putridam, & exquisitam esse.

Hæc de hoc capite.

DV-

DVBITATIO PRIMA.

Vtrum tertiana exquisita possit fieri ex bile adusta, & citra putredinem fervente.

VErtitur hoc loco in dubium, utrum tertiana exquisita perpetuo ortum ducat ex humore bilioso putrescente; an vero dumtaxat posit fieri aliquando ex sola bilis adustione. Partem affirmativam tenet Vallesius 5. lib. contro. cap. 19. præcipuum autem fundamentum, quo suam sententiam stabilire conatur, est locus quidam Galen. qui legitur 10. meth. cap. 5. ubi docet, in corporibus calidis, & siccis febrem accendi propter acrimoniam, & mordacitatem calfacti succi à sole, inedia, & labore: quo loco videtur Galen. demonstrare posse fieri tertianam ex sola bilis adustione, nulla in ea existente putredine. Hæc tamen sententia constare nullo modo potest, cum à mente Gal. & à ratione etiam omnino sit aliena: namque licet loco citato asserat Gal. in corporibus calidis, & siccis febres accendi propter acrimoniam, & mordacitatem succi calfacti à sola, inedia, & laboribus, non propterea negat fieri cum putredine, prohibita transpiratione, & obstructione, quia ob solis ardorem, inediam, & labores, calfacti fuerunt humores, & adusti, quibus adustis fiet obstructio, ex qua sequitur prohibita transpiratio, unde putredo bilis nascitur, ex qua febris tertiana necessario excitatur.

Quare, hac sententia explosa, dicimus, ex sola bilis adustione citra putredinem nullatenus posse tertianam exquisitam excitari, quæ sententia Galeni est: namque cap. 5. sequenti expresis verbis docet, *neque ex bile, neque ex pituita, neque ex melancholia posse fieri febres, nisi putreant.* capit. etiam 1. hujus lib. validissimis rationibus refutavit eorum sententiam, qui dixerunt, ex bile posse fieri febrem, quin altera causa adjungatur, nempe putredo, & causa putredinis, scilicet obstructio. Constat igitur ex his duobus locis, ex bile citra putredinem fervente nullatenus posse febrem concitari. Probatur deinde aliquibus rationibus in hunc modum. Prima ratio est, quando bilis maximum patitur fervorem, necesse est, ut dissolvatur, sed hæc dissolutio nihil aliud est quam putredo, igitur non poterit bilis comburi, nisi prius putrescat. Probatur minor, putredo nihil aliud est, quam corruptio proprij nativique caloris à calore extraneo, sed bilis dum maximum patitur fervorem, necessarium est proprium, ac nativum ejus calorem corrumpi, igitur ob maximum bilis fervorem necessario sequi debet putredo, & ex consequenti ex solo bilis fervore citra putredinem non poterit febris excitari. Probatur minor proprius, ac nativus calor ipsius bilis est, ut sit moderatus, sed dum maxime fervet ipsa bilis, de moderato transit in immodicum calorem, & hoc non potest fieri nisi per corruptionem, quæ corruptio nihil aliud est quam putredo,

ergo

ergo à primo ad ultimum concluditur, ex bile citra putredinem fervente nullatenus posse febrem concitari.

Secunda ratio est, si tertiana febris fieret ex sola bilis adustione, non fierent in ea accessiones, seu repetitiones, sed in ea accessiones de tertio in tertium repetunt, igitur ex sola bilis adustione non poterit tertiana febris excitari. Major propositio probatur ex Galen. hoc libr. cap. ultimo, ubi docet, repetitiones in febre fieri, quia humor fluit ad locum obstrustionis, indeque incitamentum putredinis accipit: sed si febris tertiana fieret ex sola bilis adustione nulla existente obstructione, humor non flueret ad ipsam, indeque non fiunt in ea repetitiones, ergo ex sola bilis adustione non poterit fieri tertiana febris, sed necessario debet esse bilis putrida. Vltima ratio est, si ex bile citra putredinem adusta posset tertiana febris excitari, sequeretur inde omnino corruere methodum curandi hanc febrem, sed hoc dicere est absurdum, ergo, &c. Probatur sequella, in curatione hujus febris omnes uno consensu medicamenta aperientia præscribunt, sed si nulla adesset obstructio in meatibus internis, non possent propinati, igitur si obstructio reperitur in hac febre, necessario debet simul quoque adesse putredo, & ex consequenti non poterit excitari hæc febris, nisi humor biliosus putredinem acquirat. Sed de hac dubitatione hæc sufficiant.

DVBITATIO SECVNDA.

Vtrum tertiana exquisita sit morbus acutus.

HVic dubio breviter respondemus dicentes, tertianam exquisitam non esse morbum acutum: quæ sententia probatur primo hac ratione. Omnis morbus acutus periculum habet adjunctum, sed tertiana exquisita non est hujusmodi, ergo, &c. Major propositio probatur ex Galen. qui 2. de dieb. decret. cap. 12. & lib. etiam 3. capit. ultimo, omnem morbum acutum ut plurimum enecare tradidit, sed tertiana exquisita mitissima est febris, & minime periculosa, docente Gal. 1. ad Glaucon. cap. 8. & 4. aphoris. com. 43. igitur tertiana exquisita non erit morbus acutus. Qui contrariam tuentur sententiam, respondent, morbum acutum esse duplicem ex Gal. 3. aphor. comm. 19. vel enim fit ex humoribus calidis, qui nullum obsident locum, sed æqualiter in omnibus partibus apti sunt ex sua natura generari, ut febris; vel fit parte aliqua determinata patiente, seu inflammatione affecta, & præcipue si pars princeps fuerit, & inflammatio magna. Hoc posito dicunt, morbum acutum periculum obtinere, quando in parte aliqua determinata patiente fit, non autem, quando fit ex humoribus, qui æqualiter in omnibus partibus generantur: & cùm tertiana exquisita fiat ex humoribus, qui nullum determina-

natum locum occupant, ideo non erit morbus acutus.

Sed contra, quia ratio, & natura morbi acuti posita est in eo quod fit cum periculo, igitur nullus morbus acutus erit sine periculo; probatur antecedens, ratio, & natura morbi acuti, sive partem determinatam occupet, sive totum corpus, posita est in hoc, quod velociter sua tempora percurrat, & magnitudinem periculumque sibi habeat adjunctum, igitur nullus morbus acutus erit sine periculo. Quid quod, febris ardens, causos à Græcis dicta, morbus est acutus docente Hippoc. 1. acutorum textu octavo, sed hæc febris periculosa est, & lethalis, & non fit particula aliqua patiente, igitur acuti morbi qui non fiunt ex aliqua particula patiente, adhuc periculo non carent.

Probatur deinde hæc sententia in hunc modum, ad febrem acutam tria sunt necessaria, ut constat ex Gal. 6. epid. part. 2. comm. 21. quod scilicet cito judicetur. ex toto, id est, per evacuationem totius humoris: & cum excretione sensibili facta, sed tertiana exquisita non ex toto per excretionem cito judicatur, sed secundum humoris partem, quæ singulis accessionibus evacuatur, igitur licet tertiana exquisita morbus brevis dicatur ab Hipp. non tamen erit acutus, proindeque nec periculosus. Sed hæc sint satis circa hanc dubitationem: qui autem plura cupit, is legat Donatum Antonium ab Altomari, qui hanc quæstionem ex professo in suis operibus exagitans, contrariam sententiam sequutus fuit.

DE FEBRE QUOTIDIANA.

CAPVT QVARTVM.

¶ *Est autem, & altera exquisitæ simplicitatis febris, &c.*

EGit superiori capite Gal. de generatione, & signis febris tertianæ exquisitæ intermittentis. Jam hoc capite differit de secunda differentia febris intermittentis, nempe de febre quotidiana exquisita, tradens quoque ejus generationem, & signa quibus eam dignoscamus, & ab alijs febribus separemus. Febris itaque illa, quæ à pituita putrefacta ortum ducit, à Græcis *amphimeros*, seu *amphimerinos*, appellatur. à Latinis vero quotidiana, ex eo quod quotidie repetant accessiones, repetunt autem quotidie propter naturam humoris pituitosi, ut suo loco dicemus. Hoc itaque capite agit Gal. de febre quotidiana exquisita, quæ à pituita putrefacta generatur, syncera, & impermixta, ortumque ducunt ab omnibus causis, quæ re-

refrigerare, & humectare valent, de quibus cap. 1. egimus. Modus autem generationis hujus febris est; ubi pituita putrescens propellitur à natura ex vasis internis ad partes corporis sentientes, quemadmodum tertiana fit, quando bilis putrescens expellitur à natura extra vasa ad habitum corporis.

Signa quibus febrem quotidianam cognoscamus, varia sunt. Primum signum est, quod incipiat hæc febris à partium extremarum refrigeratione: non enim incipit cum rigore, ut tertiana, neque cum horrore, ut quartana: quoniam cum hæc febris ortum ducat ex pituita putrefacta, quæ ex sua natura frigida est, & humida, crassa quoque, & lenta, non potest subito per habitum corporis moveri, sicque partibus ipsis hæret propter ejus lentorem, unde frigiditatis quidem sensus in partibus extremis percipitur ab ægrotantibus initio accessionum. Horror etiam aliquando comitatur hanc febrem, ut docet Galen. in contextu, qui non aliunde provenit, quam ex permixtione alicujus portionis humoris biliosi cum pituitoso, ut accidere solet multoties, quando febris quotidiana in longum tempus protrahitur attenuata aliquantulum pituita à natura: tunc enim celerius per partes sentientes defertur, sicque horrorem inducere solet. Sed quoniam humor pituitosus frigidus est, & humidus temperamento: consistentia vero lentus, ac glutinosus, ideo difficile accenditur, ac tarde pervenit accessio ad vigorem; tum etiam cum pituitæ substantia tenax sit, tarde movetur in meatibus cutis detenta.

Secundum signum desumitur ex pulsu: in principio enim accessionis febris quotidianæ, & in prima incrementi parte fiunt pulsus inæquales, debiles, ac parvi; inæquales quidem fiunt, quoniam ob multitudinem humoris pituitosi partes maxime opprimuntur, ac præcipue arteriæ, sicque cor valide movetur, ut noxium humorem expellere possit, & propter hunc maximum motum, & arteriarum inobedientiam fiunt pulsus inæquales, quæ inæqualitas communis quoque est alijs omnibus febribus intermittentibus in principijs accessionum, nam tunc confluunt humores ad focum putredinis, sicque cor maxime movetur, ut humorem infestantem, & partes opprimentem expellere possit. Deinde in quotidiana fiunt pulsus debiles, quia propter magnam illam oppressionem vires valde aggravantur, ex qua aggravatione pulsus debiles, & languidi necessario fiunt. Parvi tandem fiunt pulsus, tum propter virium debilitatem, cùm ad pulsus magnitudinem virium robur requiratur; tum etiam quia usus in hac febre non est adauctus, sed potius imminutus, cùm veluti suffocetur calor à multitudine humoris pituitosi.

Tertium signum ex qualitate caloris desumitur calor enim in febre quotidiana fumosus valde, & humidus percipitur, & cùm primum manus admovetur, magis voporosus,

quam acris est: diutius vero perseverante manus applicatione mordax persentitur, ideo hujusmodi calor inæqualis est, adeo ut non æqualiter feriat manum tangentis, sed veluti per cribrum percolari videatur, & quasi à lignis viridibus fumus suffocato potius igne à multa humiditate, quam eam vincente: cujus inæqualitatis caloris nulla alia est ratio, quam maxima crassities, & lentities humoris pituitosi quoniam cum nihil ex pituita discutiatur, ac dissipetur, nisi prius extenuatum fuerit, non possit autem extenuari nisi maxima cum difficultate propter illius crassitiem, & frigiditatem, hinc fit, ut pituita neque tota, neque æqualiter discutiatur, sed ea solum pars quæ putredinem concepit. Quo signo distintur febris quotidiana ab alijs febribus, cùm hæ calorem æqualiter occurrerentem ostendant.

Quartum est, quod in febre quotidiana paucæ fiant evacuationes tàm per sudorem, & vomitum, quàm per alvi dejectionem, quod non aliunde provenit, quam ex tenacitate, & crassitie humoris pituitosi, qui nec cito, neque æqualiter accenditur, sicque non potest à natura facile excerni; hoc autem intelligendum est de principio ipsius quotidianæ, quoniam si in longum tempus protrahatur, tunc solent fieri evacuationes pituitosæ concocto jam, & attenuato aliquantulum humore à natura, & propter hanc causam Galen. 1. ad Glaucon. cap. 7. docuit, in hac febre fieri aliquando evacuationes pituitosas, non in principio, sed potius apparentibus signis coctionis, victoriam, & concocto humore pituitoso. Vnde fit, ut quia in hac febre paucæ fiunt evacuationes, accessiones diuturniores sint, & multo tempore durent, quam in alijs febribus: nam cum humor pituitosus crassus sit, & non excernatur sensibiliter aliqua ejus pars, totus humor discuti debet in accessione per poros, quod non potest fieri nisi longo temporis spatio, atque ita accessiones in hac febre longiores sunt, adeo ut protrahantur ad sexdecim horas, & aliquando ad totum diem, ita ut ægri liberi à febre non videantur, & una accessio alteram excipiat, quæ febres subintrantes dicuntur.

Ex superiori signo quintum sequitur, quod scilicet tempus intermissionis, seu quietis in hac febre non sit adeo syncerum, ac purum, quemadmodum in tertiana, id est ægrotantes transacta accessione non videntur liberi à febre remanere, sed semper in calore, & pulsu aliquod indicium humori putrefacti apparere videtur; in calore quidem, quia cùm in hac febre tempore accessionis non exacte expurgetur humor putrefactus, transacta accessione, & tempore intermissionis necessario major quantitas fuliginosorum vaporum colligi debet, quam in tertiana, in qua nullæ fuligines transacta accessione remanent propter bilis tenuitatem, quæ tota fere in accessione dissipata fuit. In pulsu quoque signum putredinis apparet tempore intermissionis: id vero superius diximus esse celeritaté compres-

presſionis, & inæqualitatem, quia hoc tempore magis ſolicitat uſus compeſsionis, expulſionis ſcilicet fuliginoſorum excrementorum. Sed tamen, inquit Galen. hæc febris quotidiana ubi exquiſita fuerit, pleriſque videtur puram intermiſsionem habere, & ipſe etiam Gal. ſæpè intermiſſionem appellat, non quod ſit vera intermiſsio, ſed ut vitare ſtudeat importunam ſermonis curioſitatem, quia eo tempore quo æger vacat febre, tunc vere affirmare poſſumus febris intermiſsionem adeſſe, quouſque alia ſequatur, licet tunc temporis æger non omnino liber à calore præter naturam evadat, ſed aliquæ febris reliquiæ adhuc remaneant. At quando febris quotidiana non eſt exquiſita; ſed potius notha, & cum humore pituitoſo aliqua bilis portio permiſcetur, tunc acceſsio brevior evadet, quam vera ſequetur integritas, ſeu intermiſsio propter bilis calorem, qui vapores à pituita elevatos prorſus abſumit.

Sextum ſignum deſumitur ex antecedentibus hanc febrem, quoniam ſi præcedat temperamentum frigidum, & humidum, ætas, regio, anni tempus, victus ratio frigida, & humida, & alia omnia quæ ad generationem pituitæ idonea eſſe cenſentur, tunc temporis certo certius colligemus; talem febrem quotidianam eſſe.

Vltimum ſignum, quo febrem quotidianam cognoſcamus, eſt, ut repetat quotidie, & ſingulis diebus humor accendatur, quemadmodum tertiana præhendit de tertio in tertium, cujus rei cauſam in principio hujus capitis tradimus. Et quamvis hoc ſignum proprium ſit febribus quotidianis, non tamen proinde colligendum eſt, omnes febres quæ quotidie repetunt eſſe quotidianas, quoniam ſi duplex tertiana complicetur, quotidie præhendere ſolent acceſsiones, & tamen non erit quotidiana. Vnde ad exactam febrium cognitionem non debemus ſolum ad ipſas repetitiones attendere: hac enim ratione quotidie in artis operibus decipiemur, ſed potius ex proprijs febrium naturis cognoſcendæ ſunt. Cognoſcemus etiam hanc febrem ex eo, quod noctu præcipue invadere ſoleat, docente Galen. aph. com. 12. quia eo tempore corpus, frigidus redditur: & propter hanc cauſam Hippoc. has febres ſæpè nocturnas appellare ſolet.

In calce tandem capitis, Galen. conſequutione ſermonis ductus dubium quoddam attingit non contemnendum, qua ſcilicet ratione fiat, ut quotidiana repetat quotidie, & tertiana de tertio in tertium, non vero quotidie, cum hæc ex calidiori humore, & tenui ortum ducat, qui cito, & facile accenditur, quam pituitoſus, qui frigidus eſt, & humidus? Cui dubio breviter reſpondet Galen. dicens, quod cum febris tertiana humorem obtineat maxime idoneum, & opportunum ut breviter accendatur, & facile proinde totus fere humor per acceſsionem evacuetur propter ejus tenuitatem, nullaque tunc temporis remaneant excrementa putrida,

trida, quibus humor ad focum fluens inficiatur propterea fiet ut hæc febris de tertio in tertium repetat, & non quotidie, cum non confluat sufficiens humor, qui necessarius sit ad accessionem quotidie inducendam. At vero in febre quotidiana, cum humor pituitosus non integre, & in totum in declinationibus accessionum expurgetur propter ejus crassitiem, & tenacitatem, ideo focus putredinis magis adauctus est, cum hi multa quantitas humoris putrefacti remaneat, quæ facile, & cito inficit eum humorem de novo ad focum confluentem, sicque necessarium erit hanc febrem quotidie accessionem facere. Et quamvis in quartana febre humor crassus sit, non propterea colligere licet, quotidie etiam repetere accessiones, quemadmodum in quotidiana, & citius quam in tertiana, quoniam humor melancholicus cum frigidus sit, & siccus, crassus quoque, & terreus, quia tempore accessionis fere totus humor ex foco expellitur, cum pauca quantitas ibi contineatur, & cum exiguus quoque fit humor melancholicus, qui de novo ad focum putredinis confluit, quia minor est ejus quantitas, quàm pituitosi, & biliosi, propterea fit, ut de quarto in quartum repetat, quartana cum totum hoc tempus requiratur ad hoc, ut hic humor sensim colligatur in foco, ut de novo accessionem faciat. Hæc de hoc cap.

DE FEBRE QUARTANA.

CAPUT QUINTUM.

¶ *Tertium febrium intermittentium genus est exquisita quartana, quando ex solo atræ bilis humore generatur, qui frigida, ac sicca constat temperatura, &c.*

Agit jam hoc capite Galen. de tertia differentia febrium intermittentium, de febre scilicet quartana. Caput autem in duas dividimus partes, in prima earum tradit Galen. generationem, & signa febris quartanæ: in secunda vero parte ostendit quartanam exquisitam non posse fieri, nisi humor melancholicus prius putredinem concipiat, & per partes sentientes deferatur. Ad primam igitur contextus partem properantes: quartana hanc appellationem obtinuit, quia quarto quoque die repetunt accessiones, quæ duplex est, continua scilicet, & intermittens: quartana continua est, quæ non pervenit ad infebricitationem, & 4. quoque die exacerbatur: non autem perveniat ad infebricitationem, quia cum humor melancholicus, qui est causa hujus febris, multus in venis contineatur, & facultas expultrix imbecilla fit, non potest expellere

hunc

hunc humorem extra venas ad partes corporis ſenrientes, ſed potius ibi manens intra venas, quartanam continuam excitat. Quartana intermittens dicitur, quæ pervenit ad infebricitarionem, ſeu tempus quietis, quia id ea non tanta quantitas humoris melancholici reperitur, quæ cùm à facultate robuſta venarum expellatur extra venas ad habitum corporis quartanam intermittentem inducit. Quælibet harum duplex eſt, exquiſita ſcilicet, & notha, ſeu ſpuria: exquiſita quartana eſt, quæ à ſolo humore melancholico generatur: notha vero eſt, quæ fit ab humore melancholico cum alijs humoribus permixto, Gal. autem hoc capite ſolum tradit ſigna quibus febrem quartanam exquiſitam intermittentem cognoſcamus, quoniam hæc regula eſt, & norma aliarum quartanarum, quemadmodum de tertiana exquiſita, & quotidiana ſuperius docuit. Focus ſeu ſeminarium putredinis in hac febre, licet in quacunque vena poſsit exiſtere, præcipue tamen in venis lienis reperitur, ubi major ſucci melancholici quantitas adeſt: quemadmodum in tertiana in venis hepatis majori ex parte focus putredinis exiſtit, quia plus bilis eſt in illis venis: & in quotidiana in venis ipſius ventriculi.

Signa itaque ad febrem quartanam dignoſcendam varia ſunt. Primum ſignum ex qualitate caloris colligitur: nam humor melancholicus in hac febre paulatim accenditur, veluti ignis qui accenditur in lapide, teſta, aut oſſe, aut aliquo hujuſmodi corpore frigido, & ſicco, ſicque ſemel accenſus calor in hac febre, purus, & luculentus tactui occurrit: quoniam cum humor melancholicus ſiccus fit, ſemel accenſus nullas emittit fumoſitates. Quo ſigno diſtinguitur hæc febris à quotidiana, in qua calor non eſt purus, & luculentus, ſed potius caliginoſus, ac fumoſus apparet.

Secundum ſignum deſumitur ex evacuationibus, quæ copioſiores ſunt quam in quotidiana: pauciores vero quam in tertiana; quia quartana media eſt inter tertianam, & quotidianam; ſicque ſigna mediū itidem locū obtinebunt: namq; cum humor melancholicus ſiccus ſit, facilius multo accenditur quā in quotidiana, in qua humor pituitoſus multā humiditatem continet: unde copioſiores fient evacuationes in quartana, quā in quotidiana; & quia difficile accenditur humor melancholicus, quam bilioſus, propterea pauciores fient evacuationes in quartana, quam in tertiana. Quapropter in hac febre tempus intermiſsionis ſeu quietis exquiſite purum videtur: quoniam totum illud quod ex humore melancholico accenſum fuit, excernitur, & evacuatur tempore acceſsionis: hoc autem intelligendum eſt non ſimpliciter, & abſolute, quia ad exquiſitam integritatem ſolum febres diariæ perveniunt, non autem putridæ, ſed potius comparatione facta ad quotidianam, in qua tempus intermiſsionis non ita exquiſite purum apparet.

Ter-

Tertium signum ex invasione hujus febris desumitur: accessio enim in quartana incipere solet cum rigore non exquisito, & simili illi qui accidit in tertianis, & ex solus ardore, aut lassitudine, aut medicamento aliquo calido, & acri supra ulcus aliquod imposito: sed potius simili illi qui fit in nostris corporibus à vehementi frigore, qui proprie horror dicitur: atque ita quartana vere, & proprie loquendo cum horrore incipiet; quoniam cum humor melancholicus non sit humidus ut pituita, non est ita benignus, & sic non solum partium extremarum refrigerationem inducit, sed inæqualem etiam earum concussionem: quoniam vero non habet acrimoniam, & mordacitatem, ut bilis, ideo non excitat rigorem exquisitum, ut tertiana, nisi jam in longum tempus protrahatur attenuato scilicet humore melancholico, & calido reddito, docente Galen. 1. ac Glauc. cap. 5.

Quartum signum desumitur ex his quæ solent antecedere generationem quartanæ, & melancholici humoris, ex quo illa generatur, veluti ætas frigida, & sicca, qualis est ætas declinans: temperamentum frigidum, & siccum: regio anni tempus: victus ratio frigida, & sicca; & in universum illa omnia, quæ ad frigidum, & siccum declinat.

Vltimum signum ex duratione accessionis colligitur: quoniam in quartana febre accessio temporis spatio similis est tertianæ, id est, procedente tempore, quando scilicet jam pauca humoris melancholici quantitas adest, quæ attenuata, & calida reddita, breviores facit accessiones, & æquales ipsi tertianæ, nonnumquam vero, imò fere semper longior est accessio, quando scilicet quartana exquisita est, & talis perseverat, quia tunc ex frigidiori humore, & alteri impermixto consistit, quamvis accessio in hac febre brevior sit quam in quotidiana, quod ex eo accidit, quia humor melancholicus semel putrefactus, facilius quam pituita accenditur, & exinde major accepta tenuitate, facilius in accessione expellitur à natura, neque immerito; cum humor melancholicus altera qualitate cum igne conveniat cui pituita utraque qualitate adversatur. Cæterũ quamvis accessio ipsius quartanæ brevior sit accessione quotidianæ non tamen inde licebit colligere, totam ejus constitutionem esse breviorem, quam constitutionem quotidianæ, imò potius longissima erit, cum aliquando ad annum, vel duos, vel quatuor, & aliquando ad sex annos protrahatur quartana, ratio est, quia cum humor pituitosus qui causa est quotidianæ, aliquantulum sit familiarior nostræ naturæ, cum veluti dimidie concoctum alimentum dicatur à Galen. facillime, & cito vincitur, & superatur (nam propter hanc causam natura nullum designavit instrumentum, quod receptaculum esset humoris pituitosi, quemadmodum fabricavit lienem, ut ibi colligeretur succus melancholicus, & vesicam bilis, ut esset receptaculum humoris bi-

biliosi, quia ij humores non possunt facile superari, veluti humor pituitosus) at vero cum humor melancholicus siccissimus sit, rebellis, & contumax, non ita facile potest à natura vinci, ac superari, atqne ita tota constitutio quartanæ necessario debet esse longior constitutione ipsius quotidianæ. Vel respondemus secundo, quod cum in quartana accessiones tarde repetant nempe de quarto in quartum, in quotidianavero quotidie propterea fit, ut in quotidiana humor per frequentes accessiones cito attenuetur, sicque attenuatus, celeriter eapellatur: at in quartana cum tarde repetant accessiones, non potest ita facile humor extenuari, sicque multo tempore indiget, ut expellatur à natura, & propterea fit, ut tota constitutio quartanæ sit longior constitutione ipsius quotidianæ. Atque hæc de prima contextus parte.

¶ *Si igitur neque putrescat, neque vehementer per partes sentientes deferatur atræ bilis humor, nunquam efficiet quatriduanæ exquisitæ circuitum, &c.*

DEvenientes jam ad secundam contextus partem, ostendit Gal. nullatenus posse excitari quartanam exquisitam, nisi humor melancholicus prius putrescat, & vehementer per partes sentientes deferatur: id autem probat comparans humorem melancholicum cum bilioso, & deinde cum pituitoso; quoniam quemadmodum humor biliosus solum redundans non potest tertianam exquisitam excitare, quin prius putrescat, & per partes sentientes deferatur: pari etiam ratione ex humore melancholico adaucto, & solum redundante non poterit quartana exquisita ortum ducere, nisi prius putredinem concipiat, & per habitum corporis deducatur. Sed quamvis non possint febres concitari ex humoribus, nisi putreant: possunt tamen quam plurimi alij affectus provenire, illis solum redundantibus, & citra putredinem adauctis: nam quemadmodum ex bile flava redundante, & per universum corpus delata fit icteritia flava seu morbus regius, ita etiam ex succo melancholico solum exsuperante, & per totum corpus simul cum sanguine delato, icteritia nigra ortum ducit. Et eodem modo quo ex bile flava redundante fiunt erysipelata, & herpetes si humor biliosus ad aliquam partem peculiarem decumbat; sic similiter ex humore melancholico solum exsuperante, & ad aliquam partem delato, cancri, & phagædenæ, seu ulcera maligna generantur. Constat igitur, ex succo melancholico citra putredinem adaucto non fieri febrem quartanam, sed varios affectus ortum ducere. Similiter, & ex humore pituitoso redundante non accenditur febres, nisi prius putruerit: generantur autem varij affectus ex sola illius exsuperantia, quemadmodum ex bile, & humore melancholico adauctis: namque si in totum corpus humor pituitosus dispergatur, illa hydropis spe-

cies generatur quæ anasarca dicitur, quod si ad aliquam peculiarem partem decumbat hic humor, œdemata solent excitari, & ali etiam tumores ex pituita provenientes. Si autem pituita solum redundans valde frigida existat, & per partes corporis deferatur, rigorem excitat sine febre, qui veteribus impossibilis visus fuit. Quod si tandem hic humor pituitosus spatio temporis aliqua ejus pars putrescat, alia vero non solum rigorem excitat, se febrem etiam, quæ ad quotidianam relata, epiala proprie dicitur. Atque hæc de hoc capite.

DE FEBRE EPIALA.

CAPVT SEXTVM.

¶ *Ex hoc igitur genere est, & febris ea, quæ proprie vocatur epiala, quando simul febricitant, & rigent, atque eodem tempore in toto corpore utrumque sentiunt affectum, &c.*

OCcasione accepta ex his quæ in calce superioris capitis docuit Galen. agit hoc capit. de febre illa, epiala græce dicta. Caput vero præsens in duas dividitur partes, in quarum prima generationem, & causas febris epialæ tradit Galen. in secunda vero consequutione sermonis ductus, differentias pituitæ adducit. Vt autem à prima ordiamur parte. Hæc febris hanc appellationem obtinuit similitudine desumpta à mari: nam quemadmodum mare prius transquillum apparet, deinde ventris agitatum maxime urget: eodem etiam modo febris epiala initio mitis apparet: postea vero corpori molestiam infert. Febris autem epiala illa dicitur *in qua ægrotantes simul in toto corpore sensum frigoris, & caloris persentiunt toto accessionis tempore*, & in hoc maxime differt à febribus lipyrijs dictis, in quibus partes externæ frigidæ percipiuntur, internæ vero maximo incendio flagrant; at proprium est febribus epialis, ut non solum in partibus internis, sed in externis etiam simul calorem, & frigiditatem persentiant ægrotantes. Hæc febris epiala non constituit distinctum genus febris à supradictis, ut cap. 2. dicebamus: quoniam cum ex pituita vitrea ortum ducat, ut postea dicemus, merito sub febre quotidiana comprehendetur.

Febris epiala ortum ducit ex ea pituitæ specie, quam Praxagoras vitream appellavit, quia crassitie, & lentore vitro fuso similis est. Juniores vero, è quorum numero est Philippus, hunc humorem simpliciter crudum appellarunt; male tamen; cum alij reperiantur succi crudi. Hæc itaque pituita vitrea si diutius in habitu

bitu

bitu corporis detineatur, & non concipiat putredinem, valde folet partes terrigerare propter ejus contactum;si autem aliqua ex parte putris reddatur,aliqua vero ex parte talis permaneat, quia ob ejus frigiditatem, & lentorem poteſt tota æqualiter accendi, tunc temporis naſcitur hæc febris epiala dicta, in qua toto corpore ſimul calorem, & frigiditatem perſentiunt ægrotantes. Et quamvis Galen. hoc loco aliam cauſam ſubticuerit hujus febris: eam tamen tradidit lib. de inequali intemp. cap.8. hæc namque febris epiala fieri etiam ſolet ex permixtione humoris biliofi cum pituitoſo: tunc enim, quamvis humor pituitoſus non acquirat putredinem, ſi per partes corporis deferatur ſimul cum bilioſo, partes partim frigidæ, partim vero calidæ percipientur; frigidæ quidem, ex contactu humoris pituitoſi, calidæ vero, ab ipſo humore bilioſo,ſed quoniam hæc cauſa non eſt ita frequens, ac prior, idcirco in præſentia eam prætermiſit.

Sed objiciet aliquis, ſi in febre epiala calor ſimul, & frigiditas perſentitur in toto corpore, ſequeretur inde duo contraria in gradibus ſummis ſimul, & eodem tempore in eodem ſubjecto permanere, & illud alterare, ſed hoc dicere eſt contra omnem philoſophiam, ergo, & illud ex quo ſequitur. Hoc ſane dubium diſſolvit Galenus 3.ſimp.cap.16. & nos ſimul cum eo id præſtavimus ſuperioribus annis in explanatione illius libri,ubi aliquibus exemplis propoſitio id præſtat Galenus, nam ſi quis ſimul uno, & eodem tempore immitat manum in aquam calidam, & pedem in aquam frigidam, ſimul percipiet in toto corpore calorem,& frigiditatem. Ex ſi quis etiam æqualem abſynthij portionem cum melle permiſceat, & linguæ imponat, ſimul percipiet lingua diverſas alterationes. Hæc exempla docent nos, fieri poſſe, ut percipiamus in noſtro corpore contrarias alterationes, non in una, & eadem parte,ſed in diverſis:ſed quia hæ partes minimæ ſunt, & valde propinquæ, decipitur phantaſia exiſtimans in eadem parte eſſe contrarias alterationes. Igitur quemadmodum in his fit, ut duæ contrariæ alterationes ſimul ſint in eodem ſubjecto: ſic ſimiliter in febre epiala accidere credendum eſt; nam cum partes corporis valde ſint propinquæ,& utraque illa alteratio caloris, & frigoris per totum corpus diffundatur, decipitur phantaſia exiſtimans in eadem parte eſſe calorem, & frigus, cum revera in diverſis partibus exiſtant. Hæc de prima capite parte.

¶ *At non te lateat plures eſſe hujuſcemodi humoris differentias, &c.*

IN ſecunda contextus parte, Galen. conſequutione ſermonis ductus, differentias pituitæ recenſet, quas quatuor eſſe docet, vitream ſcilicet, dulcem, accidam, & ſalſam. Quas, ut commodius percipiamus, ſciendum prius eſt, Hipp. Galen. & omnes Græcos, omnem humorem natura frigidum, & humidum, phlegma appellaſſe,

lasse, nos vero pituitam nominamus: inter veteres autem solus Prodicus deceptus fuit libr. de ho. nat. qui, phlegma humorem ustum, & veluti supra modum coctum significare credidit, quem decepit etymologia vocabuli, existimans, phlegma derivari à verbo græco, *phlego*, quod est, uro: cum tamen non ab eo, sed à verbo *phlegmæno*, hoc est, intumesco, deducatur, quia pituita est humor intumescens, & spumosus non autem urens. Quo observato, quatuor statuit Galenus differentias pituitæ, vitream scilicet, dulcem, acidam, & salsam. Pituita vitrea talem obtinuit denominationem ex eo quod crassitie, & lentore similis est vitro in fornacibus liquefacto, quæ omnium humorum, qui in nostro corpore reperiuntur, frigidissima existit, docente Galeno primo porrhet. comm. ultimo, adeo autem frigidus est hic humor, ut si in aliquo loco calido in nostro corpore conclusus detineatur, ingentissimos dolores excitare soleat, veluti quando detinetur in intestino colon dicto, in quo vehementissimum infert dolorem, adeo, ut veluti terebello perforari videatur dictum intestinum.

Secunda species pituitæ dicitur sapore dulcis, quam plerique cum screatu expuunt, quæ non est exquisite frigida, sicut superior, sed parum frigida, cum maxime ad naturam sanguinis accedat, quia cum dulcis sit, & dulcia omnia moderate calida appellentur à Galen. 4. simp. ideo hæc pituita parum frigida erit. Tertia pituitæ species dicitur sapore accida, quæ minus frigida est quam vitrea, magis vero quam dulcis. Quarta differentia pituitæ dicitur salsa, quæ talis redditur vel propter putredinem, vel propter salsæ serosæ humiditatis permixtionem. Vnde colligit Galen. pro diversa specie pituitæ varias fieri febres, diversosque oriri affectus, & symptomata à febribus: nam ex pituita salsa si aliquos febricitare contingat superveniente accessione non afficiuntur rigore, sed tantum horrore. Si autem pituita acida, & vitrea per sentientes corporis partes deferantur citra putredinem, rigores excitant sine febre. Quod si pituita vitrea, aliqua ex parte putrefiat, febrem epialam inducit. Si vero vehementer putrescat, fit rigor, quem statim sequitur febris, superata frigiditate à multitudine caloris, adeo ut dum febris viget, minime sentiatur.

Hæc sufficiant de explanatione hujus capitis.

DE

DE COMPLICATIONE FEBRIS TERTIANÆ CUM quotidiana: ac de Semitertiana febre.

CAPVT SEPTIMVM.

¶ *Jam vero tempus est, ut ad propositum institutum revertamus.*

POstquam superioribus capitibus copiose egit Galen. de simplicibus febrium differentijs. Jam tempus est, ut ad compositas, seu complicatas differentias accedat, quæ non poterunt commode adinveniri, nisi prius in simplicium cognitione fuerimus recte exercitati, cùm ex mixtione harum differentiarum simplicium complicentur. Hoc autem cap. duas continet partes, in quarum prima tradit Gal. complicationem febris tertianæ cum quotidiana, ut ejus exemplo teliquas alias complicationes intelligamus. In secunda vero parte totam hanc rem de febrium complicatione in ipsa febre semitertiana illustrat. Vt autem ad primam deveniamus partem, supponendum prius est, febres duobus modis posse complicari, vel quia simul cum inflammatione alicujus partis internæ fiant, veluti quando in inflammationem pleuræ sequitur febris, quæ proprie febris non dicitur, sed potius symptoma consequens pleuritidem, & sic de reliquis: vel quia solum ex humorum putredine generentur citra alicujus partis internæ inflammationem, quales sunt febres omnes putridæ, & de his disputat Galenus hoc loco, prætermittens eas, quæ internas inflammationes sequuntur, cum hæ symptomata sint, non vero morbi.

Febres igitur, quæ ex sola humorum putredine concitantur, dupliciter possunt complicari; vel quia conjunguntur duæ febres ab eodem humore provenientes, ut duæ tertianæ, vel duæ quartanæ, &c. vel quia conjunguntur febres quæ ex distinctis humoribus ortum ducunt, ut si complicetur tertiana cum quotidiana, & quartana cum quotidiana, &c. Deinde febres, quæ conjunguntur, & ab eodem humore generantur, tripliciter possunt complicari: vel enim ambæ sunt continuæ: vel ambæ intermittentes: aut una continua, & alia intermittens, veluti si conjungantur duæ tertianæ, aut duæ quotidianæ, aut quartanæ etiam duæ. Rursus febres, quæ ex distinctis humoribus generantur, variæ possunt complicari, cum humores diversi sint; nam vel complicatur tertiana cum quotidiana: vel quartana cum quotidiana, vel tertiana cum quartana, & ex his, vel ambæ sunt continuæ, vel ambæ intermittentes: vel una continua, & alia intermittens. Hæ itidem varijs modis possunt inter se complicari: vel

enim

enim fiunt æquo humoribus adauctis: vel major quantitas unius, quam alterius reperitur. Sed quoniam valde esset laboriosorum omnes hos modos complicationis persequi, propterea Galen. in præsentia unicum tantum adducit exemplum, medio quo de aliarum febrium complicationibus indicium facere possimus.

Docet itaque Galen. quomodo quotidiana cum tertiana complicetur: cum autem tertiana, vel sit continua, vel intermittens: ita etiam quotidiana, aut continua, aut intermittens erit, & proinde quatuor ex ipsis fient complicationes; una quidem, in qua tertiana intermittens quotidianæ intermittenti conmiscetur: altera vero, in qua tertiana intermittens quotidianæ continuæ conjungitur: Tertia, in qua, quotidiana intermittens tertianæ continuæ copulatut: Quarta, in qua permiscetur quotidiana continua tertianæ continuæ. Idem judica de quotidiana, & quartana. Harum vero complicationum duæ sunt differentiæ: aliquando namque in eadem hora præhendunt accessiones: aliquando vero diversis temporibus superveniunt, veluti si coujungatur tertiana intermittens cum quotidiana continua, & accessiones eadem hora præhendant, tunc efficietur febris confusa: quoniam cum uno, & eodem tempore illi duo humores ad focum putredinis fluant, symptomata excitantur maxime confusa, & cognitu difficilia: si autem accessiones diversis temporibus superveniant, non ita erunt cognitu difficiles, nisi quod aliquando ab imperitis non cognoscitur febris intermittens: quia scilicet ægrotus nunquam à febre liberatur, atque ita ne decipiamur præcipit Galen. in complicatione febrium, formam accessionis inspiciendam esse, & propterea cujuslibet accessionis signa.

Cæterum, ut hæc res amplius innotescat, ostendit Galen. qua ratione complicationem tertianæ intermittentis cum quotidiana continua dignoscamus, propria signa tradens cujuslibet, accessionis. Supponatur enim, inquit ipse, cuipiam accessionem incipere circa primam horam una cum rigore, deinde procedant alia omnia febris tertianæ signa usque ad vigorem, tandemque cum bilis vomitu, atque sudore declinet: nulli sane dubium erit, hanc febrem tertianam esse. Dum vero in hac spe sumus, antequam ad integritatem hæc febris deveniat, si contingerit subito retineri sudores, densata scilicet cute, vel horrore etiam affecta, & nullam sequi evacuationem, sane hanc febrem quotidianam esse colligemus, sicque duplicem febris speciem cognoscemus compositam ex tertiana, & quotidiana; si autem æger ad sensibilem infebricitationem non deveniat, erit quotidiana continua, & tertiana intermittens, & tunc de tertio in tertium præhendet, eruntque duæ accessiones, una tertianæ intermittentis, & alia quotidianæ continuæ, quamvis die quoque intermedio alia accessio reperiatur, quotidianæ scilicet continuæ, quæ quotidie

tidie accessionem facit. Hoc exemplum traditum fuit à Galen. ut ejus comparatione alias febrium complicationes percurramus. Hæc de prima contextus parte.

¶ *In hac igitur ipsa, de qua nunc agimus, mixtione tertianæ cum quotidiana, &c.*

IN secunda contextus parte, exemplo cujusdam adolescentis, qui febre semitertiana laborabat, totam hanc rem de febrium complicatione confirmat; hæc autem febris à Græcis hemitritæus dicitur, à nobis vero semitertiana appellatur, quæ proprie febris quædam composita est ex tertiana intermittente, & quotidiana continua, atque eo modo semitertiana dicitur, quo modo nullus appellari solet semiasinus, quod ad ejus generationem pro una parte asinus, pro altera equus concurrant, id docente Galeno in contextu. In exemplo itaque adolescentis ostendit Galenus, qualis sit natura semitercianæ in quo cum una accessio anticiparet, alia semper tardaret, bis saltim confusæ simul fuere accessiones, ostendens etiam quam formam servarent, quando confundebantur hæ accessiones, & quomodo distinguerentur ab illis, quæ syncere, & permixte accendebantur. Sed quia hæc omnia satis diffua oratione, & perspicua exponuntur à Galeno in contextu, idcirco explanatione alterius expostulare non videntur. At quæ hæc pertinent, ad hujus capitis explanationem.

DE SEMITERTIANA EXQVISITA, ET NON exquisita dignoscenda.

CAPVT OCTAVVM.

¶ *Sed quoniam, & de his satis dictum est, rursus ad id redeo, de quo paulo ante est à me sermo dilatus, &c.*

PRæsens caput in tres partes distribuitur, in prima earum differentias febris semitertianæ, seu hemitritæi tradit Gal. & signa etiam quibus hæ differentiæ inter sese distinguuntur. In secunda parte alios tres modos complicationis febris tertianæ cum quotidiana persequitur. In tertia vero, & ultima, supradicta omnia exemplo à tertianis petito adamussim explicat. Ad primam contextus literam devenientes, febris illa, quæ ex tertiana intermittente, & quotidiana continua composita est, quam hemitritæum appellamus, in tres dividitur differentias; prima est in qua flava bilis exsuperat pituitam, & tunc febris tertianæ symptomata majora sunt. Secunda in qua major copia pituitæ, minor vero bilis reperitur,

&

& tunc quotidianæ continuæ symptomata sunt majora, quæ duæ differentiæ dicuntur semitertianæ non exquisitæ. Tertia differentia est in qua neuter supradictorum humorum alterum exsuperat, sed ambo æquipotentes existunt, quo tempore nascitur semitertiana exquisita talem formam repræsentans, qualem de ea manifestavit Hippoc. 1. epidem part. sentent. 23. in hunc modum scribens: *Erant vero eorum plerisque passiones hujusmodi, febres horridæ, continuæ, acutæ, omnino quidem non intermittentes: modus vero erat hemitritæus, cum alteram diem leviorem ferrent, altera vero invalescerent, ac summatim in acutiem augerentur. Hæc Hippoc.* Quibus verbis naturam febris semitertianæ exquisitæ nobis depinxit; dicitur autem horrifica hæc febris, non quod cum horrore præhendat, sed quod majorem partem accessionis habeat cum horrore repetentem, namque cùm hæc febris fiat ex bile cum pituita permixta, veluti pugna quædam reperitur inter hos humores; nam bilis rigorem ex sua natura excitare solet, pituita vero refrigerationem, sicque fit, ut ob hanc mutuam pugnam horrifica quædam affectio excitetur in hac febre, quæ medium locum videtur obtinere inter rigorem, & frigus.

Tradit deinde Gal. signa quibus hæ differentiæ inter sese distinguantur: nam accessio in semitertiana exquisita, & in qua æquis portionibus miscetur bilis cum pituita, multos habet horrores usque ad vigorem, & citius ad eam pervenit quam accessio quotidianæ: tardius vero quam tertianæ. Quod si tertiana prævaluerit, horror vehementior est, & in progressu accessionis aliquid rigoris assumit, statimque febris ad summum festinat cum ardenti calore, siti, vigilijs, vomitibus biliosis, dejectionibus, & alijs tertianæ febris indicijs. At cùm altera quæ pituitosa est febris, potentior existit, tunc horrores exigui sunt, & magis frigus vehemens extremas occupat partes, accessiones tardius invalescunt, longius durant, absque magno calore, & siti, alijsque proprijs signis febris quotidianæ. Hæc de prima contextus litera.

¶ *Secunda est duarum febrium, tertianæ, scilicet, ac quotidianæ copulatio, ac commixtio, &c.*

ACcendentes ad secundam cap. partem, cùm superiori capite Galen. quatuor complicationis modos febris tertianæ cum quotidiana tradiderit, solumque explicaverit illum modum, in quo tertiana intermittens quotidianæ continuæ conjungitur, ex quo febris semitertiana ortum ducit: modo jam alias tres complicationes explicat, in quarum alia copulatur tertiana intermittens quotidianæ intermittenti: in alia, tertiana continua quotidianæ continuæ conjungitur: in ultimo vero, in qua tertiana continua quotidianæ intermittenti complicatur. Secunda itaque complicatio fit, quando tertiana intermittens cum quotidiana intermit-

mittenti commiſcetur: ex his autem non poterit fieri febris ſemitertiana, quia hæc, ex Hippoc. ſententia, febris continua eſt: ex duabus autem febribus intermittentibus non poteſt fieri continua, cùm neceſſariò deveniatur ad infebricitationem, igitur ex his non poterit fieri febris ſemitertiana, niſi quis ab Hippocr. ſententia velit diſcedere, appellans febrem ſemitertianam, eam, in qua perveniunt ægrotantes ad infebricitationem, tuncque quamplurimas alias febres vocabit ſemitertianas, veluti duplicem tertianam notham, quæ de tertio in tertium præhendit cum horrore.

Tertia complicatio fit, quando tertiana continua quotidianæ continuæ conjungitur: ex qua itidem complicætione non conſtituitur febris ſemitertiana, quia ex duabus continuis no poteſt fieri febris horrida, & quæ multas habet reduplicationes, quod requiritur ad ſemitertianam: quia cum omnis febris continua ex ſua quidem natura quando exquiſita fuerit, neque horrorem habeat, neque rigorem, quia humor non expellitur extra vaſa, ideo ex duabus febribus continuis commixtis non fiet febris horrida, ſeu ſemitertiana: igitur ſi febris quæ ex duabus componitur, debet eſſe horrida, & continua, neceſſe erit aliam eſſe continuam, aliam vero intermittentem.

Quarta, & ultima complicatio fit, ubi tertiana continua quotidianæ intermittenti copulatur: hæc autem poteſt continuam ſimul atque horridam febrem efficere, quamvis contrario modo ſe habeat, ac prior, quoniam continuitatem ex bile, horrorem vero ex pituita ſimul cum bile de tertio in tertium occurrente obtinebit. Hanc febrem poterit quivis ſemitertianam itidem appellare, cum omnes ejus obtineat conditiones: eſt enim febris continua, horrida, multaſque obtinens reduplicationes ob mutuam bilis pugnam cum pituita. Hæc omnia, quæ dicta ſunt de febrium complicationibus, inquit Gal. dicta eſſe propter febrem ſemitertianam, circa quam Archigenes, & Agathinus maxime errarunt: Archigenes enim ſemitertianam exiſtimabat eſſe febrem mixtam ex tertiana, & quotidiana intermittentibus: Agathinus vero, febrem tertianam, factam eſſe hemitritæum, ſeu ſemitertianam dicebat. Quo loco animadvertit Galenus ea quæ dicta ſunt de complicatione febris tertianæ cum quotidiana, ad aliam febrem, nempe quartanam, transferenda eſſe, quæ quatuor itidem modis cum tertiana, & quotidiana poterit complicari. Hæc de ſecunda contextus parte.

¶ *Veluti confeſtim earum febrium intermittentium, &c.*

IN tertia, & ultima contextus parte, exemplo febris tertianæ oſtendit Gal. ea quæ antea dixerat de differentijs febrium, quæ non ſunt eſſentiales, veluti quæ deſumuntur ex multitudine humoris, vel ex quantitate, & qualitate putrefactionis, aut ex modo motus, aut ex particula in qua fit pu-

tredo: nam cum omnis tertiana ab humore biliofo generetur, & pro varia quantitate, aut qualitate, vel diverfo motu ipfius bilis, tertianæ aliquando in longius tempus protrahantur, aliquando vero breviores fint, ideo differentiæ quæ ex his defumentur, accidentales erunt, cum accidat eis, ut breves, aut longæ exiftant. Igitur cum febris tertiana fit exquifita, quæ ex fyncera bile provenit, & in ætate calida,& ficca generatur, regione, anni tempore, & alijs quæ ad calidum, & ficcum declinant; alia vero fit tertiana fimpliciter dicta, cui aliquid horum deficit, & cujus accesfio ad quatuordecim horas, vel ad fummum ad decem, & octo protrahitur;& alia fit quæ minorem habet intermifsionem, accefsione fcilicet in longius tempus protracta, quæ extenfa dicitur: hujufmodi differentiæ tertianæ accidentales erunt,cum ex majori vel minori duratione accefsionum, & ex modo motus ipfius bilis defumantur: tertiana enim exquifita brevifsima eft, quia ex bile fyncera generatur, ficque facile accenditur, & prompte difsipatur: tertiana vero fimpliciter dicta langior eft, cum fiat ex bile cum alijs humoribus permixta: & multo adhuc longior exiftit tertiana extenfa, quia in ea bilis multam quantitatem humoris crafsi habet permixtam.

Deinde tertianam extenfam in alias differentias dividit Galen. alia enim eft fimpliciter extenfa, quæ viginti quatuor horas in accefsione confumit: alia dicitur fufficienter extenfa, quæ ufque ad triginta horas extenditur: alia quæ in longius adhuc tempus producitur, ut ad triginta fex horas: & alia adhuc quæ ufque ad quadriginta horas vel plures extenditur, in his enim certus ac definitus terminus ftatui nó poteft; quæ omnes differentiæ accidentales funt, cum ex modo quo movetur humor defumatur. Neque hinc colligas velim, contrarium fibi effe Galen.cum fuperiori lib. cap. 1. differentias febrium defumptas ex quantitate, qualitate, vel modo motus caloris effentiales effe dicat, hic vero accidentales appellet: nam fub diverfa confideratione locutus fuit Galen. his duobus locis: eó enim in loco confideravit quantitatem, qualitatem, & modum caloris, atque ita cum febris effentia in calore præter naturam fit pofita, omnes illæ differentiæ, quæ ex his tribus defumentur, merito effentiales dicentur: in præfentia autem confiderat Galen. quantitatem, & qualitatem humoris, qui caufa eft febris, & modum quo talis humor movetur, & fic verum etiam erit, illas differentias, quæ ex his tribus defumentur accidentales effe, cum revera tales differentiæ non differant, fed folum ratione majoris aut minoris durationis, cum accidat illis ut breves aut longæ fint. Hæc de de hujus capitis explanatione.

DE FEBRE QUÆ EX SANGVINIS PUTREDINE generatur.

CAPVT NONVM.

¶ *Ex omnibus vero, quæ supersunt, nulla esset contemplatio præstantior, quam illa, in qua quæri potest, &c.*

CVm in superioribus capitibus tradiderit Gal. generationem, & signa febrium putridarum, & solum fecerit mentionem trium generum febrium, nempe biliosæ, pituitosæ, & melancholicæ; docueritque superiori capitulo omnes febrium putridarnm differentias, esse has tres, nulla facta mentione febris sanguineæ: ideo hoc capite quæstionem exagitat, utrum scilicet quemadmodum ex alijs humoribus putrescentibus, nempe utraque bile, pituita, fiunt quædam febrium species: ita, & in sanguine putefacto soleant accidere febres. Hoc autem caput tres continet partes, in prima parte nonnulla supponit ad quæstionem dilucidandam necessaria. In secunda dubitationi respondet. In tertia vero, & ultima parte ostendit, quomodo ex qualitate caloris singulas febrium putridarum differentias dignoscere valeamus. Ad primam itaque partem accedens, inquirit Galen. an sicuti alijs hnmoribus putrescentibus diversas febrium genera consurgunt: ita etiam ex sanguine putrefacto aliud quoddam genus febris ortum ducat ab illis distinctum: nam quod eo solum excalefacto, & fervescente absque putredine, febris diaria excitetur non vera, & plurium dierum, hoc quidem nulli dubium est, ut ipsemet docet 9. meth. cap. 4. & alijs in. Antea vero quam dubitationi satisfaciat, ostendit prius, quomodo sanguis putrefiat: nam, ut docet Arist. 4. meteor. cap. 1. putredo ab aliena caliditate originem ducit, per alienam caliditatem intelligere debemus non solum eam, quæ extrinsecus corporibus occurit, sed etiam omnem illam quæ nostro calori nativo contraria censetur, licet intra corpus reperiatur, ut latius superiori lib. ostendimus: caliditas enim nativa nostrum corpus regit, omnes actiones exercet, & in universum omnium actionum est principium: & caliditas aliena seu externa actiones omnes destruit, calorem nativum languidum reddit, corpusque ad corruptionem deducit. Quod vero sanguis putrefiat ab aliena caliditate, ostendit Galen. ex his quæ docet experientia, veluti in solis deustionibus, & pestilenti aeris constitutione, atque in universum in omnibus febribus à quacumque causa originem traxerint.

Deinde ostendit Gal. sanguinem putrescere exemplo humorum præter naturam: nam quando sanguis in aliqua parte plurimus coacervatus fuerit supra vires ipsius partis, necesse est ut putrescat: id autem præcipue fiet, quando in exiguis vasis propter maximam ejus crassitiem, obstruitur, aut propter multitudinem impingitur, quemadmodum in bubonibus contingere solet, & phymatis, id est, inflammationibus quæ celeriter tendunt in suppurationem, atque in universum in omnibus alijs inflammationibus: nam in hujusmodi affectibus ob duplicem causam sanguis corrumpitur, & quia scilicet non difflatur, & quia a natura non convincitur, ac superatur: omnia enim quæ non recte transpirant, putrefieri necessario debent, quia maxima copia caloris nativi in nostris corporibus reperitur, quæ humoribus permixta difflatione, & eventatione eget, aliter enim suffocabitur. Quod autem ea quæ non difflantur putrescere soleant, indicant res externæ, quemadmodum fructus, & semina, vestesque etiam. Cujus rei fidem facere etiam potest id quod quotidie in pleuritide, seu lateris inflammatione conspicimus, in qua humor qui in parte inflammata continetur, putrescit, idque ostendit ichor, seu sanies tenuis, quæ ex inflammatione resudat, quæ nihil aliud est, quam ea humoris pars in inflammatione exsuperans, quæ retineri non potest, sed ob tenuitatem resudat exterius, quemadmodum fit in alijs inflammationibus, sicque interdum expuunt ægrotantes aliquid spumosum, si pituita exsuperet; interdum pallidum, si bilis, aliquando vero rubeum, si sanguis; nonnumquam vero, & niger apparet ille ichor, non statim ab initio, sed si prius præcesserint alij, qui humorem melancholicum exsuperare indicabit. Atque hoc modo putrescit sanguis in aliqua parte particulari.

Sed quod sanguis putredinem etiam concipere possit aliquando in omnibus, ac potissimum maximis vasis, possumus quoque id nos ostendere ejusdemmet Gal. testimonio, qui 9. method. cap. 3. de frebre synocho verba faciens, postquam tradidit unū genus ejusdem febris citra putredinem existens, statim hæc verba subjungit: *Alterum est, ubi in omnibus vasis, & potissimum maximis æqualiter humores putrescunt*; per humores vero, ut ipsemet docet lib. de plenit. cap. 10. sanguinem perpetuo intelligit, ita ut parum referat, an humores, an vero sanguinem appelles. Idem etiam docuit 11. ejusdem operis capit. & ultimo itidem cap. hujus lib. in fin. Tandem, quod sanguis putrescat tàm in aliqua parte particulari, quàm in omnibus vasis, id possumus etiam confirmare ejusdemmet Gal. decretis hac firmissima ratione: nam, ut ipse docet 11. method. cap. 3. & cap. 4. superioris lib. ea promptissime putrescunt, quæ calida sunt, & humida, atque in calidis locis permanentia, nisi difflari, ac refrigerari contigerit, sed sanguis est hujusmodi; igitur non solum putrescet, sed promptissime id fiet.

fiet. Hæc de prima parte.

¶ *Quare non procul à vero est existimandum, ſanguinem ipſum nonnumquam in ijs, quæ inflammationem patiuntur, particulis ſubire putredinem, &c.*

QVibus ita ſuppoſitis, jam in ſecunda contextus parte reſpondet Galen. propoſitæ dubitationi, dicens, non procul à vero eſſe exiſtimandum, ſanguinem aliquando putreſcere in partibus inflammatione laborantibus, ex quo ſimpliciores quidem febres fieri, quam ex alijs humoribus: acceſsionum vero proportionem, in tertiano præcipue circuitu aſſumere. Id autem probat exemplo pleuritidis, quæ ex ſanguine ortum ducit, quam conſequitur febris putrida ex ſanguine in inflammatione putreſcente proveniens, quæ proportionem ſervat in acceſsionibus cum circuitibus tertianis. Quod ſi ſanguis ſupra modum aſſatus fuerit, inquit ipſe, pars ejus ſubtilior, & pinguior omnino in flavam bilem convertitur, quæ autem eſt craſsior, in humorem melancholicum: quod in his tumoribus qui carbunculi appellantur, contingit: in his etenim ex ſanguine ſupramodum efferveſcente, ad humorem melancholicũ fit tranſmutatio, ut oſtendit puſtula illa nigra, quæ in his tumoribus reperiri ſolet. Talis igitur naturæ febres conſurgent, qualis fuerit humor in quem ſanguis putreſcens convertetur: nam ſi exigua mutatio inſanguine acciderit, febres bilioſæ conſequentur; ſi valde mutatus fuerit ſanguis, tunc febres melancholicæ fient. Diſtinguentur vero hæ febres ab his, quæ fiunt ex aliorum humorum uſtione, aut aſſatione, quoniam quæ ſanguinis tranſmutationem conſequuntur, mitiores ſunt, ac ſimpliciores illis, quæ ex aſſatione aliorum humorum fient, quanto ſanguis alijs humoribus eſt mitior, idque non ſolum in ſymptomatibus, ſed in caloris etiam qualitate. Hæc de ſecunda contextus parte.

¶ *Nam etſi ſe plurima manui tangenti offert, &c.*

IN hac ultima contextus parte, conſequutione ſermonis ductus Gal. oſtendit, quomodo ex qualitate caloris ſingulas febrium putridarum differentias dignoſcamus: nam licet calor illius febris quæ ſanguinis tranſmutationem conſequitur, tactui multus ſeſe offerat, mitis tamen eſt, & ſimilis illi, qui in balneo contrahitur, qui vaporoſus eſt, & multus: multitudo enim caloris febrilis ſemper in multitudine effluxus conſiſtit; quod ſi calor manui tangenti inſuavis, & moleſtus perſentiatur, tunc ex humore acri, & mordaci proveniet. Hoc autem ſignum ex qualitate caloris deſumptum, maximum eſſe, inquit Galen. ad cognoſcendum humorem febrem facientem: nam calor ille qui magis vaporoſus, & minus moleſtus exiſtet, & ſanguine naſcetur: qui vero moleſtus, acris, & mordax tactui occur-

curret, non solum bilem flavam, sed atram etiam consequetur. Quod si calor in primo quidem occursu vaporosus, & suavis potius, quam acris, & mordax persentiatur: postea vero diutius perseverante manus applicatione, paulatim mordacitas adveniat, ac maxime inæqualis, adeo, ut per colatorium quoddam, & cribrum percolari videatur, certo certius cognosces, hujusmodi febrem ex pituitæ putredine originem trahere, sed de his copiose dictum fuit, quando de signis harum febrium agebamus. Hæc pertinent ad explicationem hujus capitis.

DVBITATIO VNICA.

Vtrum ex sanguine putrescente, manente illius forma, fiat febris sanguinea distincta ab alijs.

RAtio dubitandi est, quoniam Gal. in contextu docet, sanguinem in his locis quæ inflammationem patiuntur, putrescere, & febrem accendere, quæ tertianæ circuitus assumit, quoniam hoc in laterum inflammationibus est observatum eo tempore, quo maxime rubrum expuunt ægrotantes. Similiter lib. 2. de cris. cap. 12. ait, sanguinem putrescentem non amplius esse sanguinem, sed tendere ad naturam flavæ bilis, & in hoc servari triplex esse genus febrium simplicium: nam quæ oritur ex sanguine, quodammodo biliosa est, igitur febris orta ex sanguinis putredine biliosa erit. Contrarium vero docet ipsemet Gal. 9. method. cap. 3. & 4. ubi ex sanguine putrescente constituit febrem sanguineam, nulla facta mentione quod sit biliosa, neque in curatione id observat. Idem etiam docet 6. epid. part. 1. comm. 2. Quæ locorum repugnantia tribuit occasionem Averrhoi. lib. 4. colligit. cap. 31. ut diceret, verba Galen. hac in re varia esse.

Imprimis fere omnes Medici existimant, disputare Avicennam adversus Galen. quod scilicet negaverit, ex sanguine putrescente fieri febrem, cum potius id clare affirmat in contextu; sed si contra illum insurgit, ex eo id præstat, quod scilicet existimaverit Galen. illam febrem ex sanguine putrescente factam, biliosam esse, non vero sanguineam. Quod si quis cupiat rationes videre, quibus id probat Avicenna, is legat primam parti tract. 2. cap. 44. Fernelius lib. 4. de febr. cap. 5. existimat, hanc dubitationem hac posita observatione posse solui, si dicamus, sanguinem duobus modis posse putrescere: uno modo, quando vi caloris præternaturam partes quæ in eo sunt eterogeneæ, & dissimilares, secernuntur, & in alias substantias degenerant, quæ potius corruptio, quam putredo dicenda est: si hoc modo sanguis putrescat, & accendatur febris, biliosa, aut melancholica erit. Alio modo putrescit vere sanguis, quando citra partium separationem totus corrumpitur magno fœtore, & graveolentia, veluti quando in venis, vel extra venas, vel in cavitate aliqua putret, &

suppu-

ſuppuratur; & tunc febris, quæ ex tali ſanguine accenditur, ſanguinea erit. Quam ſententiam confirmat ex Gal. qui 2. de criſ. cap. 12. docens, febrem ex ſanguine putreſcente ortam bilioſam eſſe, non alia ratione id probat, quam quod ſanguis dum aſſatur, pars tenuis, & pinguis ab immodico calore convertitur in bilem, craſſa vero in humorem melancholicum: nam ſicuti ſanguis à moderato calore generatur: ſimiliter bilis ab immodico. Hæc tamen ſententia non placet: nam docet Galen. in contextu, ex ſanguine putteſcenti vere febrem accendi, quæ ſervat circuitus tertianæ, & ideo bilioſa erit.

Chriſtophorus à Vega in proprio com. in hoc cap. opinatus fuit, ex ſanguine putreſcente fieri febrem ſanguineam, quam, inquit, ſimplicē non eſſe, ſed compoſitam ex febre ſanguinea, & bilioſa; quoniam propter hanc cauſam Galen. cap. 2. hujus lib. cum divideret febres omnes putres in bilioſas pituitoſas, & melancholicas, nullam facit mentionem febrium quæ ex ſanguine proveniunt, quia eo loco ſolum ſimplices febrium putridarum differentias connumerabat, ſanguineæ vero febres compoſitæ ſunt. Idem etiam docuit cap. 8. hujus lib. in fine, ubi cum colligeret ex ſuperioribus, tria eſſe febrium putridarum ſimplicia genera, non meminit earum febrium quæ ex ſanguine fiunt, quaſi ſignificans, compoſitas febres eſſe. Hanc ſuam ſententiam confirmat Vega ex his, quæ docet Galen. in contextu, cum inquit, ex ſanguine putreſcente fieri febrem putrem, & hanc proportionem ſervare cum circuitibus tertianis, id eſt tertio quoque die repetere, igitur ſi hæ tertio quoque die repetunt, neceſſario fient ex bile, & ex conſequenti compoſitæ febres erunt, cum ex ſanguine, & bile putreſcentibus fiant. Amplius idem confirmat ex 2. lib. de criſ. cap. 12. ubi poſtquam docuit Galen. tres eſſe differentias febrium putridarum ſimplicium, ſtatim ſubjungit: nam quæ oritur ex ſanguine, quodammodo bilioſa eſt: non enim ſimpliciter dixit bilioſam eſſe, quoniam ſit ex bile ſanguini permixta. Ex quibus concludit febrem ex ſanguine putreſcente factam compoſitam eſſe. Hæc ſententia licet ad veritatem accedere videatur: in eo tamen mihi videtur errare hic vir, quod conſtituat, hanc febrem ex ſanguine factam compoſitam eſſe: nam ſi hoc ita eſſet, eam aliquando inter febres compoſitas connumerat Galen. ſed nullibi, quod ſciam, hanc febrem compoſitam eſſe docuit, igitur hæc febris ſanguinea non erit compoſita, ſed ſimplex.

Tandem Franciſcus Valleſius 5. lib. ſuarum contro. cap. 19. in fine affirmat, ex ſanguine putreſcente nec vere nec proprie ſanguinis febrem accendi, ſed alterius generis: nam cum primum ſanguis putreſcit degenerat in aliam ſubſtantiam, & fit aut flava bilis, aut atra, aut pus; quoniam ob ejus æqualitatem, & perfectionem, cum primum mutatur ſubſtantia, mutatur etiam, & forma: non enim poteſt

test conservari nisi sub illa æqualitate; & sic interpretatur locum Galen. qui legitur 2. de cris. cap. 12. affirmans, hanc febrem non esse simplicem, sed compositam, quia generatur ex substantia illa orta cum primum sanguis putrescit, & ex alia parte quæ jam incalvit, & cœpit disponi ad putredinem, & sic adhuc servari verum illud placitum, triplex esse genus febrium putridarum simplicium. Hæc opinio absurda etiam videtur: nam contra Galen. & veritatem confundit corruptionem cum putridine seu putrefactione. Aliæ etiam quam plurimæ extant aliorum medicorum sententiæ, sed quia nimis prolixum esset eas recensere, ideo illas prætermittimus.

Nos autem ut nostram circa dubitationem propositam, sententiam proponamus, aliqua prius præmonere debemus, ut commodius eam dissolvere valeamus. Sciendum itaque prius est ex Galen. lib. de plenit. capite decimo, & primo de natur. hum. comm. 27. Sanguinem dupliciter à Medicis usurpari: uno modo pro quarto humore à reliquis tribus distincto: altero modo pro tota massa sanguinaria, & quatenus compræhendit omnes humores in venis existentes. Vnde tam sanguis quartus humor, quam tota massa sanguinaria poterit esse putredini obnoxia.

Sciendum etiam est, aliud esse rem putrescere, aliud putridam esse: nam quando res per putredinem jam corrupta est, & mutavit formam, putrida existit: quando vero disponitur ad corruptionem, putrescere dicitur: quoniam putredo alteratio est secundum totam substantiam, siquidem quod putridum est, non solum à qualitatibus primis alteratur, sed in diversam quoque substantiam transmutatur, cum in eo extinguatur calor nativus à calore alieno separante partes humidas; at vero illud quod putrescit, disponitur secundum primas qualitates ad putredinem concipiendam, priusquam secundum totam substantiam permutetur. Hujusmodi duas putredines cernimus quotidie in vinis, ut docet Galenus secundo libr. aphor. comm. 17. etenim vina putrescere dicimus, quando calida redduntur, & acida percipiuntur: nondum tamen in acetum degenerarunt; quæ vina ad priorem statum redeunt loci mutatione, vasorum, & multa ventilatione; quando vero vina jam ex toto corrupta, & acida facta sunt, tunc temporis pristinam naturam recuperare nequeunt, quoniam quæ secundum totam substantiam mutata sunt, nequeant ad priorem statum redire: nam non sicuti quod calefactum est, potest refrigerari: ita quod putridum est, potest emendari, & quod coctum est, reddi crudum. Sciendum tandem est, quod sanguis dum putrescit, disponitur ad bilis flavæ, vel atræ generationem ob immodicam caliditatem, quam acquirit: nam lib. 2. de cris. cap. 12. post principium dicebat Galenus, quod sanguis sicuti putrescit; sic excedentem caliditatem concipit, & bilis flava ab immodico calore generatur, sicuti atraa sufficienter immodico.

Qui-

Quibus ita præmonitis, sit prima conclusio, ex sanguine putrescente, sive quarto humore, & solo, sive cum alijs humoribus conjuncto, febrem excitari: cum discrimine tamen, quod ex sanguinis putredine quatenus totam massam sanguinariam compræhendit, & omnium humorum collectionem significat, generetur febris quæ græce synochus dicitur, latine vero continens, docente Galen. 9. meth. cap. 3. ex sanguine vero quarto humore, & solo putrescente, sub formaque sanguinis remanente, fiat febris sanguinis proprie dicta, ut docet Galen. in contextu: ratio hujus ultimæ partis est, quia sanguis non mutat formam ante corruptionem, & putredo non est corruptio, sed via ad corruptionem, quæ successive fit, & in tempore. Hæc conclusio nulla indiget probatione, cum ex se manifesta sit, & doctrinæ Galen. maxime consentanea.

Sit secunda conclusio, hæc febris sanguinis proprie dicta, & ex sanguine quarto humore putrescente nata, sub febre biliosa continebitur: quoniam cum Galen. varijs in locis doceat, febrium putridarum simplicium tria tantummodo esse genera, biliosas scilicet, pituitosas, & melancholicas, hæc necessario sub biliosa erit reponenda. Quæ sententia Galen. est, & ex varijs illius locis colligi videtur, ac præcipue ex contextu supra posito, & lib. 2. de cris. cap. 12. in contextu namque, ubi ex professo hanc exagitavit controversiam, postquam docuit sanguinem putrescere, concludit febrem ex sanguine putrescente ortam simpliciorem esse, quam ex alijs humoribus: accessionum vero proportionem in tertiano præcipue circuitu assumere, ita ut tertio quoque die repetat, quemadmodum febris tertiana; quod, probat exemplo pleuritidis quæ ex sanguine fit, quam consequitur febris putrida ex sanguine in inflammatione putrescente proveniens: siquidem experientia quotidie demonstrat, has febres tertianum circuitum assumere: igitur hæc febris ex sanguine putrescente nata, sub biliosa merito continebitur. Deinde lib. 2. de cris. cap. 12. reddens caussam Galen. ob quam febris ex sanguine orta circuitus tertianos facit, & ad biliosas sit referenda sic ad verbum concludit. *Liquet autem, quod cùm sanguis putrescere cœpit, non amplius bonus remanet, sed jam ad amaræ bilis naturam transit, atque in hoc illud servatur, triplex esse genus universum simplicium febrium: quæ enim ex sanguinis putredine fit, quodammodo biliosa est, &c.* Ex quo loco evidenter colligitur, caussam propter quam asserit Gal. febrem sanguinis ad biliosam esse referendam, eam esse, quia scilicet sanguis cùm putrescit, fit biliosus: & quamvis scribat Galen. sanguinem putrescentem fieri biliosum, non tamen docet, in alium humorem degenerare, sed sanguinem adhuc appellari, & sub propria forma sanguinis permanere, quemadmodum alijs humoribus accidit, qui putrescentes non degenerat in alios humores, sed proprium nomen servant: atque ita ex

ſanguine putreſcente febris ſanguinis fiet, quæ proportionem ſervat cum circuitibus tertianis.

Sed obijciet aliquis, Gal. in contextu manifeſte videtur affirmare, ſanguinem putreſcentem omnino mutari, partem ſcilicet tenuiſsimam, & pinguem in flavam bilem: craſsiorem vero in atram. Deinde inquit, febres pro eſpecie humorum conſiſtere, in quos ſanguis mutatur, & inter ſe differre, igitur ex ſanguine putreſcente non fiet febris ſanguinis. Reſpondemus, aliud eſſe ſanguinem putreſcere, aliud putridum eſſe: nam qui ad corruptionem diſponitur, putreſcens dicitur: qui vero per putredinem jam corruptus eſt, putridus exiſtit, ut ſuperius dicebamus. Igitur ſi ſanguis priori modo putreſcant non degenerabit in alios humores, ſed ſub propria forma ſanguinis permanebit, quamvis bilioſus fiat, & febrem ſanguinis efficiet, quæ ſub bilioſa continetur. Quod ſi ſanguis poſteriori modo putreſcat, tunc vere in alios humores tranſmutabitur, & febres efficiet diverſarum ſpecierum, quemadmodum diverſis humoribus putridis convenit. Quicumque volet ea quæ hactenus dicta ſunt de febre ſanguinis alta mente perpendere, huic non erit difficile aliarum opinionum falſas rationes diſſolvere, & omnia Galen. loca conciliare. Sed de hac dubitatione ſatis ſit hæc dixiſſe.

QUARE IN FEBRE PITUITOSA INÆQUALIS calor tactui ocurrat?

CAPVT DECIMVM.

¶ *Contemplanti vero mihi, ac cauſam perquirenti, cur in febribus alijs calor æqualis occurſet, &c.*

QVoniam in fine ſuperioris cap. docuit Galen. in febre ex pituitæ putredine proveniente, inæqualitatem caloris tactui perſentiri: propterea hoc capite cauſam hujus inæqualitatis reddit, dicens, nullam aliam eſſe, quam maximam lentitiem, & craſsitiem humoris pituitoſi, qui difficulter diſſolvitur; omnes enim humores qui putreſcunt, id commune obtinent, ut prius accendatur, deinde attenuentur, & hoc modo attenuati in plures vapores reſolvantur. Vnde humores qui calidi, & ſicci ſunt, quia non reſiſtunt calori, æqualiter accenduntur, ſicque æqualem caloris qualitatem tactui inſinuant, ut in febribus tertianis apparet; at vero humores craſsi, viſcidi, frigidi, & lenti, cum maxime calori reſiſtant, difficile accenduntur, ideoque non poſſunt attenuari, & in vapores diſſolvi, ac proinde inæqualitas caloris neceſſario exhalare debet, cum non accendantur

tur æqualiter omnes partes. Quare cùm quotidiana ex pituita ortum ducat, nihil autem ex ea dissolvatur, ac dissipetur, nisi prius extenuatum fuerit, non possit autem extenuari, nisi maxima difficultate ob illius crassitiem, & frigiditatem, hinc fit, ut pituita neque tota, neque æqualiter accendatur, & discutiatur, sed ea solum pars, quæ putredinem concepit; unde necessario inæqualis caloris occursus tactui ocurrere debet. Hoc amplius illustrat Galen. exemplo earum rerum quæ ab externo igne elixantur: quoniam si succi qui ab igne coquuntur, crassi sint, & lenti, quia non æqualiter accenduntur, non emittunt æquales vapores sursum, sed prius bullas, & spumam attollunt, namque cum actione caloris eleventur vapores, & hi crassi sint, cum ex materia crassa eleventur, nequeunt recte dissipari, ac discuti, ideoque substantiæ humidæ permixti, bullas, & spumam excitant. At si succi tenues fuerint, & calidi, quia æqualiter accenduntur, æqualem calorem ostendunt, & æquales vapores exhalant, sicque ampullæ non excitantur. Hæc de hoc capite.

DE CAUSA FEBRIUM QUÆ PER CIRCUITUM repetunt, & continentium.

CAPUT XI. & ULTIMUM.

¶ *Sed quoniam, & de his, ut oportuit, disservimus, nunc earum febrium, quæ à continuo fervore synochæ appellantur, causas investigemus, &c.*

CUm dissolverit Galen. dubitationem de febre sanguinis, tradideritque causam inæqualitatis caloris, quæ in febre pituitosa reperitur; in calce tandem lib. ut huic disputationi finem imponat, ne aliquid in illa desideretur, duas dubitationes exagitat, quæ maximæ necessariæ sunt ad intelligenda ea, quæ in superioribus docuerat. Prima dubitatio est, quare febres synochi seu continentes à principio usque ad finem unica tantum accessione claudantur, quæ ad 5. & 7. diem aliquando extenditur? Secunda dubitatio est, quare aliæ febres varias habent accessiones, & varie per circuitus repetunt, nam veluti miraculum haberi potest inter naturalium causarum effectus, quotidianam singulis diebus accessionem facere: tertianam de tertio in tertium & quartanam per quartam; & quod magis auget dubitandi rationem est, cur hæ febres frequentius eadem hora præhendant, & sæpe hominem eisdem omnino horis, & temporibus intermediis liberum à febre relinquant, hanc secundam dubitationem, quia longe difficilior est, primo loco dissolvit: priorem vero in calce

hujus libri. Præsens autem caput, claritatis gratia, in tres secabimus partes, in quarum prima, ut rationem reddat Galen. cur aliquæ febres repetant per circuitum initium sumit ab illis affectibus, qui nobis conspicui sunt, & manifesti tradens totam naturam, & causas fluxionis. In secunda parte, ex his quæ superius dixit, colligit causam, cur non solum febres, sed alij etiam affectus repetant per circuitus, rationem etiam reddens aliorum quamplurimum problemmatum ad hanc rem pertinentium. In tertia vero, & ultima parte capitis, prioris dubitationis causam assignat.

Devenientes igitur ad primam contextus partem, circuitus morborum græce periodus dicitur: est autem similis ad idem reditus, docente Galen. 1. aphorism. comm. 12. febres autem per circuitum afficientes, sunt quæ statis quibusdam temporibus ad eandem, similemque accessionem videntur redire. Igitur cum traditvrus sit Galen. causam propter quam aliquæ febres per varios circuitus, seu periodos repetant, cum hæc doctrina multum habeat difficultatis, & laboris, ab his quæ manifestissime apparent, incipit illam explicare: investigata namque causa circuitus horum affectum qui externi sunt, & manifesti, facilius nobis licebit devenire ad cognitionem causæ, propter quam internorum quoque malorum, ac præcipue febrium circuitus eveniunt. Affectus autem qui percircuitus repeteræ solent sunt lippitudines quædam, græce ophthalmiæ dictæ, quarum aliæ singulis diebus: aliæ vero tertio quoque die magis solent infestare: similiter, & aurium dolores: & capitis, sive medietatis, quem Græci hemicraneam appellant; alias vero, & pedum, & articulorum dolores per circuitus exacerbari conspiciuntur. Cum igitur in omnibus supra dictis affectibus manifeste liceat videre, venas in partibus quæ laborant, in tumorem attolli, & inflammationem augeri, dolores intendi, fluxionemque superfluam foras procumbere: ita etiam in partibus internis eandem servari proportione existimandum, est, adeo, ut in laterum, pulmonisque inflammationibus, in principijs quidem accessionum tumores increscant: in declinationibus vero discutiantur, imminuanturque.

Cæterum, ut ea quæ dicta sunt facilius intelligantur, agit prius Gal. de inflammationis generatione, totamque naturam fluxionis explicat, supponens prius aliqua ad hanc rem commodius inquirendam. Supponit itaque primo, in omnibus viventibus quatuor reperiri facultates, primam attractricem eorum quæ similia sunt: aliam eorundem retentricem, etiam concoctricem: & quartam, eorum quæ aliena sunt expultricem. Supponit secundo excrementa, sive ea quæ aliena, & extranea sunt, duobus modis talia dici: vel quantitate, quando scilicet immodice exsuperant: vel qualitate, quando ob pravam qualitatem partem irritant, & ad excretionem movent. Supponit tandem Gal. excre-

crementum colligi in parte, aut propter ejus imbecillitatem : aut ob aliarum partium robur, & fortitudinem: quoniam pars quæ languida est aut imbecilla, non potest superare alimentum, sicque necesse est corrumpatur, & in alienam naturam transeat; quod si multum fuerit, itidem manens, partem distendet, ac gravabit: si vero acre, & mordax, eam irritabit, ac mordebit: quemadmodum si calidum fuerit, eam calfaciet; & si frigidum refrigerabit: At vero si partes æque valentes seu robustæ fuerint, & meatus per quos materia inutilis excernitur, secundum naturam se habuerint, tunc partes sanæ erunt; quod si plus attractum fuerit alimenti, quam posit concoqui, omne quod remanet superfluum, à facultate expultrice necessario excernitur. Quæ omnia manifeste in ventriculo apparent, in quo si multum alimentum fuerit assumptum, à robore facultatis expultricis foras excernitur, vel per superiorem partem, vel per inferiorem.

His ita suppositis, colligit Galenus duplicem esse causam fluxionis transmissionem, scilicet, seu expulsionem à partibus robustioribus ad partes minus robustas seu imbecillas : & attractionem quæ fit à partibus laborantibus, & dolore affectis. Quia autem ratione fiat expulsio, quæ prima est causa fluxionis, non solum id docet Galeno in contextu, sed alijs etiam in locis id demonstrat, ac præcipue lib. de caus. morb. capit. 6. fit autem expulsio, in hunc modum. Quando in aliqua parte multa colliguntur excrementa (veluti in venis hepatis, cerebri, aut alterius partis, vel quia error commissus est in victu, vel quia temperamentum partis est læsum, vel quia naturales meatus, per quos excerni solita erant excrementa, sunt clausi) tunc temporis sua quantitate, aut qualitate prava irritant partem ad sui expulsionem, quæ si imbecilla fuerit adeo, ut propter nimiam imbecillitatem non posit noxia excrementa excernere, ibi detinentur, quæ variorum morborum sunt in causa pro varia natura excrementi. Si autem pars fuerit robusta, expellit excrementum in partem imbecilliam: hæc rursus in aliam imbecilliorem, donec tandem in eam, quæ omnium imbecillima sit, excrementum inciderit, & quæ ob nimiam imbecillitatem nequeat illud excernere, sicque ibi detentum excrementum diversos affectus procreat. Vnde nihil mirum, si cerebrum aliquando, quando scilicet robustum est, excrementa ibi collecta excernat ad partes imbecilliores, in quibus varia mala generat, veluti aures, oculos, tempora, dentes, & alias etiam partes minus robustas.

Altera causa fluxionis est attractio, quando scilicet partes laborantes attrahunt excrementa, citra id quod expellant robustæ. cujus attractionis duplex est causa, calor scilicet illius partis quæ affecta est, & dolor. Quod calor sit attractionis causa, demonstrat Galen. ex his quæ nos docet experiencia, & quæ omnibus sunt manifes-

nifesta: nam si alicui parti thapsiam applicemus, statim partem illam calidiorem, & in tumorem sublatam conspiciemus. Idem etiam accidit, si partem aliquam juxta ignem calfaciamus, aut vehementer eam affricemus, vel resina injungamus, aut pice modice calidis, & subito eadem evellamus statim enim eam partem rubere, & in tumorem attolli conspiciemus, quod ostendit sanguinem ad illam partem delatum esse: quoniam caliditas ex sua natura apta est fluxiones attrahere aut easdem recipere. Quod autem pars dolore affecta, sit causa attractionis, duobus exemplis demonstrat Galen. primum est, si quis in extrema parte alicujus digiti punctus fuerit, statim dolor excitatur, & paulo post inflammatur, & partes circumiacentes in magnum tumorem attolluntur. Secundum exemplum est, si alicui ulcusculum aliquod prope unguem obortum fuerit, si negligatur, aut non recte curetur, supercrescente postea carne quæ ab ungue comprimitur, primum quidem dolor ibi excitatur, deinde in toto digito, & aliquando manus ad magnam inflammationē deducitur, usque adeo, ut propter dolorem magna fiat humorum fluxio ad ipsas partes. Constat igitur, dolorem causam esse attractionis.

Traditis jam causis fluxionis, varias statuit Galen. ejus differentias: ex fluxionibus etenim aliæ sunt magnæ, aliæ parvæ: quædam benignæ, aliæ malignæ, quod accidit pro varia quantitate, aut qualitate humoris noxij, & pro diversitate affectus partium. Harum vero fluxionum causa non solum consistit in partibus, quæ ea excrementa transmittunt, & expellunt, sed in illis etiam, quæ eadem recipiunt, & attrahunt: quoniam si in partibus transmittentibus multa adsit excrementorum quantitas, plura etiam excrementa ad partes imbecillas expelluntur: si vero pauca. exigua quoque fiet fluxio. In partibus etiam attrahentibus vario modo fit, fluxio: namque si pars attrahens supra modum sit calida, & ingentissimo dolore affecta, major ad illa excitabitur fluxio: minor vero, si e contra acciderit. Pro varietate etiam excrementi, & diversa illius qualitate variatur quoque fluxio, si enim malignum sit illud excrementum, quod transmittitur, maligna erit fluxio: benigna vero si fuerit benignum. Docet tandem Galen. ex varietate supra dictarum fluxionum diversos affectus fieri, qui non aliunde ortum ducunt, quam ex varia quantitate, aut qualitate excrementorum, & eorundem benignitate, aut malitia. Atque hæc sufficiant ad prioris contextus explanationem.

¶ *Subijciamus enim primum quidem validam esse particulæ potentiam, &c.*

Ex his quæ docuit Galen. de natura, & causis fluxionis, colligit in hac secunda contextus parte causam, propter quam non solum febres, sed alij etiam quamplurimi affectus repetant per certos, & determinatos circui-

cuitus; docens hujus rei causam esse, quia scilicet in corpore affecto, post primum circuitum remanet similis dispositio illi, quæ causa fuit prioris circuitus seu accessionis; hæc autem dispositio tribus de causis accidit, quarum prima est, cum partes robustiores ad imbecilliores excrementa transmittunt. Secunda est, cum ipsæmet partes laborantes, citta aliarum transmissionem, sibi ipsis excrementa attrahunt, dolore aut calore affectæ. Tertia est, cum eædem partes sibi ipsis excrementa generant, quæ ob imbecillitatem, aut earum obstructionem nequeant ea expellere. Igitur cum primus circuitus seu accessio facta sit, ex eo quod confluxerit humor ad partem laborantem, vel à parte robusta transmissus vel ab ipsa parte affecta attractus, vel in ipsamet genitus: & post primam accessionem seu circuitum adhuc remaneat in ipsomet corpore affecto eadem dispositio, aut similis priori, & excrementa quantitate, & qualitate æqualia generentur: tunc temporis necessarium est, talem affectum per æqualem circuitum repetere, donec talis dispositio in corpore laborante permanebit. Nam supponamus, verbi gratia, primum quidem in partibus æquale robur servari, quemadmodum in prima accessione: in tempore vero intermedio in eisdem partibus quæ prius transmiserunt, acervata esse excrementa, & qualitate, & quantitate paria ijs quæ ab initio immiserunt; supponamus deinde, partem laborantem æqualiter se habere, ac antea, & æquali dolore, vel labore esse affectam, viresque illius æquales esse, & tandem in secunda accessione omnia esse æqualia ijs, quæ præcesserunt in prima: tunc certe negandum quidem non erit, secundam accessionem æqualitatem servare cum priori, & æqualem circuitum facere, cum omnia sint æqualia: si autem hæc omnia non sint æqualia non facient circuitus æquales neque ordinem inter se servantes: quoniam diversa est dispositio sequentis circuitus, ab ea quæ causa fuit prioris circuitus. Atque hæc est causa, quam tradit Galen. in contextu, propter quam non solum febres, sed alij etiam affectus per circuitus repetere soleant.

Cæterum, quamvis verissima sint ea, quæ docuit Gal. de causis circuitus in universum: non tamen adhuc constat ratio propterquam accidat, partes affectas ita esse dispositas, ut tertiana tertio quoque die, quotidiana singulis diebus, & quartana per quartum repetant, & accessiones faciant: hoc enim illud est, quod dubitationem parit, & quod omnium ingenia torquet, quodque maxime ipsum Gal. solicitum reddidit, cum ipsemet 3. de dieb. decret. cap. 28. asserat; non esse facile adinvenire, quæ sit hujus rei causa. Imprimis Conciliator Petrus Aponensis differ. 88. Astrologorum sententiam sequutus, hujus rei causam ad motum lunæ referendam esse censet, quæ omnium circuituum in his inferioribus causa esse videtur, ut contingit in mari, & per multis alijs in rebus. Hæc tamen

causa

causa insufficiens est, & maxime remota namque cum adsint causæ manifestæ, & certæ horum circuituum, superfluum sane est, ad lunam, & astra confugere.

Avicennæ sequaces, & cum illis Gentilis, cum causam manifestam horum circuituum adinvenire non possint, ad proprietatem occultam humorum confugiunt, ita ut pituita quotidie, bilis de tertio in tertium; & melancholia per quartum singulari quadam, & occulta proprietate, quæ explicari non potest suas habent accessiones. Hæc sententia falsa etiam est: quoniam quotiescunque assignari possunt causæ manifestæ alicujus rei, superfluum quidem, atque supervacaneum videtur ad proprietates occultas confugere. Deinde, quia, si circuitus in febribus fierent propter occultam humorum proprietatem sequeretur inde, bilem non posse nisi de tertio in tertium repetere, & melancholiam quarto quoque die, sed contrarium docet experientia, cum videamus aliquando bilem quotidie accessionem facere, ut in duplici tertiana: & melancholiam alternis diebus repetere, ut in duplici quartana, igitur hoc non fiet propter occultam humorũ proprietatem. Accedit quoque, & alia ratio: quia si causa circuituum nasceretur à proprietate occulta humorum, sequeretur etiam, humores dum sunt in venis, posse hujusmodi circuitu facere, hoc dicere est maximum absurdum, ergo,&c.

Tandem Fernelius causam circuituum ad propriam naturam, atque conditionem putredinis contractæ humorum retulit: nam quemadmodum cujuscumque humoris sua est natura ita cuique suam putredinem, & putredinis conditionum assignat: ita ut pituita diversam accipiat putredinem à bile, & bilis à melancholia. Hanc sententiam inter tecentiores sequutus fuit Horatius Augenius lib. 5. de febr. cap. 9. Verum hæc opinio, quamvis à multis Medicis, illisque nobilissimis, probari videatur: nihilominus tamen falsa est: namque licet putrescentium humorum non semper sit eadem putredo: semper tamen est idem circuitus, igitur si hæc causa à putredine ortum duceret, variam putredinem varius quoque circuitus sequeretur. Amplius, cum putredo passio sit mixti præter naturam, magnamque varietatem suscipiat, rationi consonum, non videtur, certos, ac determinatos circuitus efficere posse.

Quare supradictis opinionibus rejectis, veram de hac re sententiam proponamus, & doctrina Gal. maxime consentaneam existimamus itaque, nullam aliam esse causam propter quam quotidiana quotidie: tertiana de tertio in tertium: & quartana quarto quoque die repetant, & accessionem faciant, quam propriam humorum naturam, qui sunt causa harum febrium per naturam vero humorum, non solum intelligere debemus, proprium earum temperamentum ex calido, frigido, &c. constitutum: sed eorum quoque substantiam, & consistentiam. Hanc sen-

tentiam ex ipsomet Galen. deprompsimus cap.4. hujus lib. in calce; namque cum humor pituitosus, ex quo fit febris quotidiana, frigidus sit, & humidus; crassus quoque, & lentus, non integre, & in totum in declinationibus accessionum expurgatur, ideoque focus putredinis multum est infectus, & adauctus, cum ibi multa quantitas humoris putrefacti remaneat, quæ facile, & cito inficit humorem de novo ad focum confluentem, sicque necessarium erit hanc febrem quotidie accessionem facere. Similiter etiam, cum humor biliosus, ex quo tertirna ortum ducit, calidus sit, & siccus, consistentiaque tenuis, breviter accenditur, & facile proinde totus fere humor per accessionem evacuatur ob ejus tenuitatem, nullaque tunc temporis, aut exigua remanent excrementa putrida, quibus humor ad focum fluens inficiatur: ideo secundæ accessionis invasio non ita properat, quemadmodum in quotidiana: sed sensim humor colligitur usquequo de tertio in tertium affligat, & accessionem faciat: nam licet natura hujus humoris idonea magis sit: ut facile, & cito accendatur, quam pituita: quia tamen totus tempore accessionis evacuetur, propterea exigua remanet occasio in foco, ut iterum humor de novo confluens accendatur, cùm leve putredinis vestigium remaneat finita accessione. At humor melancholicus, ex quo quartana febris excitatur, cum frigidus sit, & siccus, crassus etiam, & terreus, difficilius accenditur, quam flava bilis (licet ex hoc humore majores sequantur evacuationes quam ex pituita, nullisque putredinis vestigium in accessione relinquitur ob evacuationem eo tempore factam) sicque cum difficilius accendatur, quam bilis, propterea fit, ut longum tempus requirat ad accessionem de novo inducendam, atque ita ejus accessio quarto quoque die repetit quemadmodum bilis de tertio in tertium.

At contextum itaque reversi, quod debeantur circuitus dispositioni partium transmittentium vel affectarum, & quantitati vel qualitati excrementi, id ostendit Galen. proposito exemplo in lippitudine seu opthalmia, docens prius, magni esse momenti intelligere fluxionum causas ad morborum reumaticorum curationem, seu ex fluxione dependentium, an scilicet fiat fluxio ob robur partium transmittentium, an propter affectum partis laborantis. Igitur si causam inquirat aliquis cur, ophthalmia repetat per circuitus, hæc nulla alia esse peterit, quam quod in corpore affecto adhuc maneat dispositio similis illi, quæ causa fuit prioris circuitus, quæ vel est in partibus transmittentibus, vel in partibus affectis & excrementa recipientibus: interdum namque totum corpus plethoricum existit; & cacochymia affectum, tuncque venæ à multa humoris quantitate gravatæ, vel à prava qualitate irritatæ, humorem illum noxium ad cerebrum imbecillum transmittunt, ideoque caput à multa excrementorum copia gravatum ea ad oculos imbe-

cilles expellit, unde necessario ophthalmia repetit. Interdum etiam, si caput fuerit imbecillum, non potest alterare, & concoquere, alimentum, quod ad sui nutritionem attrahitur, ex qno multa generantur excrementa, quæ ad oculos expulsa, de novo repetit ophthalmia. Idem etiam intelligendum esse docet Galen. de partibus internis inflammatione laborantibus: nam sicuti propter solam affectionem partis transmittentis, fiunt in ophthalmia repetitiones: ita in pleuritide, peripneumonia, & cerebri inflammationibus accidet, partibus scilicet laborantibus robustis existentibus, repetitiones fieri ordinatas ob affectum partium transmittentium, & excrementa generantium, quamvis partes affectæ illis imbecilliores existant.

Tradit deinde Galen. rationem, cur accessiones non sint æqualiter longæ, sed aliquæ breves: aliquæ longæ existant namque qui exacte noverit naturam excrementorum accessiones facientium, & diversas corporum constitutiones, ille non mirabitur, etsi viderit, quasdam accessiones esse breves: alias vero longas; quia excrementa neque in omnibus sunt similia, neque æqualiter accenduntur, & dissipantur. Pro varia igitur excrementorum natura vatiantur accessiones, nam excrementa multa, crassa, frigida, & lenta longiores accessiones efficiunt, quia majori tempore egeat, ut accendantur, & in vapores dissolvantur: quod si excrementa calidiora fuerint, tenujora, & pauciora, brevioris accessionis in causa erunt ob contrariam causam. Variantur etiam accessiones pro diversa corporis constitutione: namque quo ratior extiterit corporis habitus, eo brevior fiet accessio, quia cito discutitur humor, quod si densius fuerit corpus, longior evadet accessio. Robur quoque partium, vel imbecillitas accessiones variat: nam si vires languidæ sint, longiores fiunt accessiones, quia maxima cum difficultate, & longiori tempore humor evacuatur: è contra vero, si vires robustè sint, brevior fiet accessio propter contrariam causam. Idem etiam de tota alicujus morbi constitutione judicandum est quæ brevior, aut longior potest esse ob dictas causas.

Docet præterea Gal. non esse inventu difficile, cur aliquæ accessiones finiantur, & deveniant ad infebricitationem, seu tempus quietis; aliæ vero non, sed continuo affligant: quia si prioris accessionis, tempus adeo breve fuerit, ut prius finiatur accessio, quam altera incipiat, in his necessario datur tempus integritatis, & quietis: si vero adeo fuerit longum tempus accessionis, ut prius incipiat secunda accessio, quam prior finiatur, tunc nullum datur integritatis tempus; hoc autem fit, quando eadem facultas, quæ est in parte excrementa recipiente, sibi ipsi similis permanserit, hoc est, quando sanguinem in ea contentum vincit, ac superat, quemadmodum antea.

Postquam tradidit Gal. modum, quo fiunt accessiones propter robur

par-

partium transmittentium, absque eo quod recipientes imbecillæ existant; docet deinde modum; quo generantur accessiones propter solius partis laborantis imbecillitatem, citra partium robustarum transmissionem. Novæ igitur fient accessiones ex solius partis laborantis imbecillitate, quia cum facultas concoctrix seu alteratrix languida sit, non potest totum sanguinem ad eam attractum concoquere, quem solita erat antea, sicque necesse est ibi colligantur excrementa, quæ putrefacta, novæ accessionis in causa erunt: tum etiam, qnia cum putredinem acquirat sanguis qui ad hujus partis nutritionem attrahitur, novæ itidem fient accessiones. Nihil igitur mirum erit, si ex sola imbecillitate partis, citra robustarum transmissionem, novæ eveniant accessiones.

Ostendit præterea Galen. singulas accessiones febriles quatuor tempora obtinere, principium scilicet, augmentum statum, & declinationem. Principium accessionis illud tempus dicitur, in quo calor ad interna retrahitur, ad focum scilicet putredinis, in quo putrefiunt excrementa, & accenduntur, tuncque extremæ partes frigidæ percipiuntur, pulsus etiam parvus, & tardus redditur, & inæqualis etiam, quamvis pro diversitate febris varientur hi pulsus: in tectiana etenim minus parvus est, minusque inæqualis ob humoris tenuitatem, qui minus opprimit partes: magis vero in quotidiana, & quartana ob contrariam causam. Secundum tempus accessionis dicitur augmentum, sive ascensus, in quo calor in humoribus accensus, manifesto jam increscit, adeo, ut non solum partem calfaciat, in qua humores sunt accensi, nempe putredinis focum, sed etiam continuatim per totum corpus dispergatur, manifestoque percipiatur, & eodem modo quo calor hoc tempore accessionis augetur: ita etiam alia symptamata ipsas febres concomitantia crescunt, veluti dolor capitis, sitis, &c. Tertium accessionis tempus, vigor, seu status dicitur, in quo humores accensi ad summum fervoris devenerunt, tuncque totum ægrotantis corpus igneum videtur, extenso æqualiter calore per totum animalis corpus, que tempore symptomata magis adaucta etiam sunt, quam in augmenro. Quartum tempus dicitur declinatio accessionis, in quo jam calor febrilis imminui, ac declinare videtur, quia hoc tempore humor putrescens foras evacuatur, quæ evacuatio, vel est manifesta, vel insensibiliter accidit pro diversa humoris natura: quoniam si humor peccans calidus sit, & tenuis, per sudorem excerni solet: quod si hūmor frigidus fuerit, & crassus, major ejus pars insensibiliter seu per insensibilem transpiratum evacuatur, quia humidior pars, propter calorem diutius in eam agentem, in vapores resolvitur, remanente parte crassa, & cineritia in venis subsidente ob earum imbecillitatem.

Cæterum, quamvis Galen. lib. de temp. morb. sex statuerit particularia tempora in singulis accessionibus,

principium scilicet, tempus inæqualitatis, incrementum, vigorem, declinationem, & tempus integritatis, non propterea colligere licet, diminutum fuisse in præsentia, quia tempus inæqualitatis sub principio comprehendit hoc loco Galen. namque cum principium, totum illud tempus dicatur, quo calor adhuc manifeste non est accensus, sed accenditur, & tempore inæqualitatis calor adhuc non sit accensus, proinde merito tempus inæqualitatis sub principio continebitur. At tempus integritatis vere, & proprie loquendo, non est accessionis tempus, cum accessio proprie dicatur totum illud tempus, quod est à principio à quo incipit accessio, usque ad declinationem illius: tempore vero integritatis, jam est transacta accessio. Quare non fuit diminutus Galen. in præsentia in tradendis accessionum temporibus.

His explicatis, docet Gal. quisnam sit affectus, seu dispositio, quæ remanet in parte imbecilla esse priorem accessionem, ratione cujus alia nova accessio fiat: quam dispositionem duplicem esse docet: alteram quidem, partis imbecillitatem, ex qua fiunt excrementa, alteram vero, quæ ex eisdemmet excrementis quotidie genitis acervatur, quam ultimam dispositionem accommodatissimo exemplo à rebus externis petito explicat, nam quemadmodum ex cibis nidosis, & prava qualitate præditis in olla elixis, postea nidorem quendam, pravumque odorem in ea remanere conspicimus, sic similiter in vasis internis si pravum aliquod excrementum putruerit, hoc evacuato, prava quædam in eis remanet dispositio, ratione cujus excrementa ibi de novo collecta cito corrumpantur. Deinde similitudine quadam confirmat Galen. quod docuit antea, accessiones, scilicet per circuitum repetere, quando eadem manet dispositio in corpore, aut similis illi, quæ prioris accessionis in causa erat: nam ad eundem modum in mulieribus accidit, ut certis temporibus menstrua purgatio superveniat, donec æquales, aut similes menstruorum causæ fuerint.

Tandem Galen. causam febrium erraticarum adducit, id est earum, quæ ordine carent, & nullum in circuitibus ordinem servant: circuitus vero inordinati sunt illi, qui diem mutant, ut qui ex tertianarijs fiunt quartanarij, vel aliter. Causæ igitur, quæ ordinem pervertunt in circuitibus, duæ sunt, mutatio scilicet humoris febrem facientis in alteram naturam: & error in victu commissus; mutatio quidem humoris causa est inordinati circuitus, quia si humor biliosus, qui causa est tertianæ, plurimum assetur, degenerabit in melancholicum humorem, & quartanam inducet, sanguis itidem cum supra modum assatus est, pars quidem ejus tenujor in bilem; crassior vero in melancholiam transmutatur, sicque partim tertianam excitat, partim vero quartanam. Variatur etiam ordo circuituum, quoties humor in aliqua parte incipit putrescere, & alius alterius naturæ transmittitur ad illam,

vel

vel ex aliqua alia parte, vel ex toto corpore, veluti si bilis multa putrescat, & aliunde adveniat pituita, quæ tempus putredinis anticipet, & diem accessionis immutet. Quantum igitur in febricitantium corpore humores mutantur, tantum etiam accessionum circuitus nihil ergo mirandum est si in hujusmodi mutationibus ordo accessionum varietur. Altera caussa quæ ordinē pervertit in circuitibus, est error in victu commissus: nomine vero victus non solum cibum, & potum intelligimus, sed etiam omnes illas res, quas non naturales appellant, ut somnus, vigilia, quies, motus, & animi pathemata; quoniam si spectemus accessionem hora quarta diei, & æger errorem in victu commiserit, pro erroris magnitudine multo antea succedet accessio, adeo, ut aliquando integrum diem anticipet: namque si sani ex errore in victu commisso, in multa incidere solent mala; multo melius in ægris fient accessiones ex erroribus commissis. Hoc idem accidit in his, qui à morbis convalescunt, qui ob errores in victus ratione commissos solent recidivare, & sanitatem retardare. Hæc pertinent ad explanationem secundæ partis contextus.

¶ *Reliquum est id febrium genus, quæ synochæ vocantur, &c.*

TAndem in tertia, & ultima contextus parte, quæ in calce lib. posita est, prioris dubitationis caussam in principio capitis: positam assignat Gal. erat autem hujusmodi, quare febres synochi, seu continentes à principio usque ad finem unica tantum accessione claudantur, quæ ad quintum, & septimum aliquando diem extenduntur, & nullo modo per circuitus repetere videantur, quemadmodum aliæ febres? Hujus sane dubitationis solutio pendere videtur, ex his, quæ de caussis circuituum superius dicebamus; nam si circuitus in febribus, & alijs morbis, ex partium dispositionibus ortum ducunt, quæ vel transmittunt, vel recipiunt, vel generant, vel attrahunt excrementa; in his necessario debet reperiri aliqua pars, quæ præcipue sit offensa, & in qua, veluti in foco excrementa colligantur, ut de novo accessionem faciant, vel transmissa, vel attracta, vel ibi genita: at cúm febres synochi continentes dictæ non habeant putredinis focum in una parte venarum, & non una sola sit pars, quæ præcipue sit offensa, sed in omnibus vasis, ac præsertim maximis, humores putrefacti existant, propterea non datur locus ad quem humor confluat, vel transmissus, vel attractus, vel ibi genitur, & de novo accessionem faciat, atque ita necesse est, unica claudantur accessione à principio usque ad finem: nam existente obstructione in omnibus vasis, sive maximis, in illis scilicet quæ sunt inter alas, & inguina, perpetuo multæ fuligines putres elevantur, quæ continuo ad cor pervenientes unicam continuam accessionem inducunt. Hæc de totius capitis explanatione.

DV-

DVBITATIO VNICA.

De foco putredinis in febribus.

ANtequam huic opere extremam manum imponeremus, visum mihi fuit, dubitationem illam satis exagitatam controvertere, quæ pendere videtur ex his, quæ superius dicebamus; utrum scilicet in febribus continuis, & intermittentibus focus putredines sit intra vasa, an vero extra illa. Imprimis quod febres continuæ habeant putredinis focum intra vasa, dubium non est, cùm ab omnibus concedatur: dubitatio vero solum est de febribus intermittentibus, utrum habeant focum intra vasa, an vero extra illa. Quod ut melius intelligamus, sciendum prius est, focum putredinis nihil aliud esse, quam particula illa, in qua primum residet putredo, obstructio, vel phlegmon, docente Gal. 11. meth. cap. ultimo; vel potius, focus putredinis in febribus, *est locus, in quo primum putrescit humor, à cujus putredine, vel à putrida fuligine ad cor perveniente, febris accenditur.*

Quidam sunt qui existimant, in febribus intermittentibus duplicem esse focum: alium intra vasa: alium vero extra illa. Hæc sententia falsa prorsus est: namque si hoc verum esset, sequeretur inde in febribus intermittentibus duplicem fieri repetitionem, seu accessionem, sed hoc dicere est: absurdum, ergo, &c. Probatur sequella, quia accessio, ut antea dicebamus, fit fluente humore ad focum putredinis, ibique initium putredinis accipiente, expellitur postea à natura robusta ad habitum corporis: igitur si in febribus intermittentibus duplex adest focus putredinis, duplex etiam erit fluxio, & per consequens duplex accessio, sed hoc asserere est contra rationem, & experientiam, ergo, & illud ex quo sequitur.

Barbari vero Medici in eam ducti sunt sententiam, ut existiment, in febribus continuis focum putredinis esse intra vasa, & propter hanc causam perpetuo febricitare ægrotantes: at in feb. intermittentibus, inquiunt focum putredinis esse extra uasa, nempe in habitu corporis, & proinde docent, ad infebricitationem ægrotantes pervenire. Hi itidem maximopere decipiuntut de febribus intermittentibus: nam si in his febribus focus putredinis in habitu corporis constitueretur, & extra vasa, nullum indicium sumeretur ex urina in febribus intermittentibus, quia urina solum denotat affectus venarum, & partium per quas transit: igitur si in his febribus focus putredinis esset extra vasa, urina in illis nullum affectum demonstrabit, atqui urina maximum præbet judicium in febribus intermittentibus, ergo focus putredinis in his febribus non erit extra vasa, sed potius intra ea.

Quare his sententijs explosis, sit prima conclusio; omnes febres putridæ habent focum putredinis; cum discrimine tamen, nam quædam ex illis habent illum in una parte parti-

cu-

culari, ut sunt febres, quæ aliquam sequuntur inflammationem, velut inflammationem hepatis, ventriculi, pleuræ, quæ febres, veluti symptomata sunt harum inflammationum. Aliæ sunt febres, quæ habent putredinis focum in omnibus venis, aut saltim maximis, in illis scilicet quæ sunt inter alas, & inguina, ut sunt febres synochi putres, à Latinis continentes dictæ, quæ à principio usque ad finem unica clauduntur accessione. Aliæ tandem sunt febres, quæ habent focum putredinis in una parte venarum, ut tertianæ, quotidianæ, & quartanæ: tertiana namque habet focum putredinis in venis hepatis: quotidiana in venis ventriculi: & in venis lienis quartana.

Sit secunda conclusio. In omnibus febribus tàm continuis, intermittentibus quàm focus putredinis est intra vasa. In primis de feb. continuis certum est, quod autem febres intermittentes habeant focum intra vasa, & humores in illis exquisite putrescant, vel saltim initium, seu incitamentum putredinis accipiant, id demonstrat Gal. 11. meth. cap. 7. ubi docet, ex febribus alias habere putredinem in una parte: alias per totum animal; deinde alias fieri cum inflammatione: alias citra eam; febres quæ habent putredinem per totum animal, sunt synochi putres, ut ipse docet: alias vero omnes febres putres, in una tantum parte obtinere putredinem. Idem etiam docet 10. meth. cap. 6. Constat igitur ex his, focum putredinis in febribus intermittentibus esse intra vasa. Probatur deinde hæc sententia ratione, in hunc modum. Si in febribus intermittentibus focus putredinis esset extra vasa, & humor ibi putresceret, sequeretur inde in principijs accessionum pulsus: non fieri inæquales, neque calorem veluti sopiri, sed hoc dicere adversatur experientiæ, ergo, & illud ex quo sequitur probatur sequella, quia inæqualitas in pulsu in principijs accessionum, ex eo accidit, quia scilicet humor intra vasa existens ipsum cor maxime aggravat: igitur si in febribus intermittentibus humor extra vasa putresceret, nulla sequetur inæqualitas in pulsu, sed hoc non est dicendum, ergo, &c.

Sed objiciet aliquis, Gal. 1. epid. part. 3. comm. 2. docet, continuas ardentes, & tertianas ejusdem esse generis, & ex eisdem humoribus provenire: distingui vero foco putredinis, quia ardentes continuæ habent focum intra vasa: tertianæ vero in carnibus, in quibus humor putrescit. Hoc idemmet docent symptomata quæ has febres intermittentes sequuntur, veluti rigor, horror, & frigus: igitur febres intermittentes habent focum putredinis extra vasa. Respondemus, Gal. eo loco non dixisse tertianas intermittentes habere focum putredinis extra vasa, sed in carnibus, id est, in exiguis vasis quæ in carnibus conspiciuntur, in quibus esse potest focus putredinis. Vel respondemus secundo, & melius, Gal. loco citato non docuisse, bilem in carnibus putrescere tempore accessionis: quia eo tempore humor expellitur extra vasa

per

per habitum corporis, ibique putreſcit: in foco autem putredinis, nempe intra vaſa, accipit humor initium, ſeu incitamentum putredinis, ibique putreſcere incipit, & deinde expellitur à natura robuſta per habitum corporis, ubi exquiſite putreſcit. Hoc ergo modo intelligendus erit locus Galen. Neque etiam, ex eo quod in febribus intermittentibus illa ſymptomata ſequantur, nempe rigor, horror, vel frigus, ſequitur inde, focum putredinis eſſe extra vaſa: quia illa accidunt ex eo, quod humores expelluntur à natura robuſta ex vaſis ad habitum corporis, & cum per partes ſentientes tranſeant, neceſſario illa ſymptomata excitant: humores autem vel habent omnimodam putredinem in vaſis internis: vel initium duntaxat, ſeu incitamentum accipiunt ab illis, in quibus focus putredinis exiſtit. Quare concludendum erit, tàm in febribus continuis, quàm in intermittentibus, focum putredinis eſſe intra vaſa. Atque hæc ſunt quæ nobis viſa ſunt ſatis eſſe poſſe ad hujus operis explanationem. Quorum omnium ſi veritatem ſumus aſſecuti, Deo optimo maximo gratiæ ſunt habendæ: ſin autem ſecus, rogandus eſt, ut vero ſuo lumine nos illuſtrans, ad veritatem perducere dignetur.

Amen.

*



AN-

ANDREÆ LAVRENTII, REGIS MEDICI, ET IN ACADEMIA MONSPELIENSI PROFESSORIS.

DE CRISIBUS LIBRI TRES.

LIBER PRIMUS.

IN QVO CRISIS NATVRA, DIFFERENTIÆ OMNES, & ſigna critica explicantur.

Præfatio in qua hiſtoriæ criticæ utilitas demonſtratur.

CVM multa ſint, eaque præclara, in hac quam profitemur medendi arte, ad affectum medico neceſſaria, nullum tamen mihi unquam utilius, nullum feracius, nullum obſcurius viſum eſt argumentum, quam quod circa criſeom, & criticorum dierum naturam verſatur. Nam cùm medici officium ſit; morbos humani generis hoſtes infeſtiſsimos profligare, diæta, pharmacia, chirurgia; quiſquis critica ſigna, & dierum criticorum hiſtoriam ignoraverit, is nec victus rationem præſcribet accommodate, nec remedia exhibere poterit opportune. Hippocrates 1. aphoriſ. & lib. de vict. rat. in acut. diætam nunc tenujorem, nunc pleniorem inſtituit pro diverſis morbi temporibus. Aphor. 7. 8. 9. 10. 11. quo tempore inſtat criſis tenuiſsimum victum imperat, ne ab humoris morbifici coctione, & ejuſdem excretione avocerur natura. Exſtat in epidemijs commemorabilis hiſtoria de Philonis filia, quæ cum

ſeptimo die liberali ſuperveniente hæmorrhagia, morbi periculo defuncta videretur, quia eadem die lautius cœnavit, interijt: Diebus criticis nihil movendum, nihil novandum, numquam purgandum apho.20. ſectionis primæ, & libro quarto de morbis, diebus imparibus, qui fere omnes ſunt critici, cathartica exhibere verat Hippocrates. Qui (inquit) diebus imparibus validiore cathattico uſi ſunt, nimium ſunt purgati, & multi perierunt. Neque vero ad curationem modo, ſed etiam ad prænotionem acutorum morborum utilis eſt criſeon, & criticorum dierum dignotio. Prudentis enim eſt medici, tamquam è ſpecula pævidere imminentes morborum tempeſtates. Inſtante criſi perturbatur natura, eſtque aphoriſm. 13. ſectionis 2. jactatio adeſt, & anxitudo pene incredibilis, ſitis inexplebilis, difficultas ſpirandi maxima pulſus inæqualitas, capitis dolor ingens. Hæc ſane ægrum adſtantes, & ignaros, metu mortis exterrere ſolent: Prudentem vero, & expertum medicum, ſpe ſalutis ob futuram criſin conſolatur. Eſt itaque criſeon ad morborum prænotionem, ac curationem medico, & utilis, & neceſſaria. Verum in hac criſeon hiſtoria multa obſervantur involuta ſummeque ardua. Quod enim in dierum logiſmo diſſentientium opinionum ſeſe offerunt fluctus? Quot in cauſarum inveſtigatione ſcopuli? Quot in ſignorum antecedentium, comitantium, conſequentium perſpicientia ſyrtes? Hæc tamen ſingula primus, omnium, quorum memoria ad nos pervenit, Hippocrates, ſua fretus in prognoſtico, aphoriſmis, epidemijs, libello de judicationibus, & de diebus decretorijs, ita accurare expoſuit, ut poſteris gloriam omnem præripuerit. Hunc longo poſt ævo ſequutus eſt Galen. qui primus Hippocratis oracula aperuit, & quæ à ſummo dictatore tradita erant, ſcriptis illuſtravit doctiſsimis, idque libris tribus de criſibus, & totidiem de diebus decretorijs. Nos quæ ab antiquis, & junioribus de criſis natura, differentijs, & cauſis, fuſa verborum ſerie ſunt animadverſa, hic in epilogum, velut incertam ſummam colligemus. Totam autem hanc criſeon doctrinam tribus complectar libellis. Primò criſis naturam, differentias, & critica ſigna aperiam. Secundò criticorum dierum numerum, & eorumdem vires patefaciam. Tertiò cauſas dierum criticorum examinabo.

QVID CRISIS DICTIO DENOTET.

CAPVT PRIMVM.

CRiſis dictio eſt Græca, quam varij variè interpretantur. Sunt qui à verbo, quod Latine, judico, & ſententiam fero, ſignificat, nominis etymon derivent, ut idem ſonet, quod judicium. Placuit Galeno nominis

hæc

hæc interpretatio. Nam commentario in tertium progn. nomen à plebeio quodam è medio foro in artem medicam fuisse translatum scribit. Et sanè similia quodammodo sunt capitis causam dicere, & acuto morbo laborare, ab auctore in judicium rapi, & à morbo in vitæ discrimen trahi. Atque ut tria sunt, quæ forum constituunt, actor, reus, judex: ita hic tria spectantur, natura, morbus, & dies criticus. Improbatur à doctis quibusdam nominis hæc notatio; nulla si quidem forensis judicij cum naturæ, & morbi concertatione est analogia, nisi inepta, & insolens. Quis n. in hoc certamine judex statuendus? Non medicus qui naturæ minister est, & spectator tantum: Non natura quæ pugnat cum morbo. Non dies criticus, quippe qui per se agendi nullam vim habeat, ut docet Arist. in Metaphysicis: Crisin ergo, quod secernere est, derivare malunt, ut crisis humoris potius secretionem denotet, quam judicium. Hoc voluit Galen. comment. ad Aphor. 13. sect. 2. crisis natura secernente humores noxios à bonis, eosque ad excretionem præparante. Alij crisin ad excretionem præparante. Alij crisin ab excretione dictam putant, quod perfecta crisis excretione fiat. Sic Aristoteles in problemutis, & Hippocr. sect. 4. lib de art. corrupt. ossi. excretionem appellare solet. Sunt qui crisin certamen dicere malint: Est enim apud veteres idem quod certo. Et sane in crisi, aut saltem ea instante, maximum est naturæ, & morbi certamen. Sed nobis, qui aucupes verborum non sumus, nihil inter est ne judicium, certamen, secretionem aut excretionem voces: Majoris fortasse erit operæ criseos varias exceptiones indicare ejusque naturam definitione explicare.

QUAM VARIÆ SINT CRISIS APUD HIPPOCRAtem, & Galenum, acceptiones.

CAPUT SECUNDUM.

CRisis nomen in Hippocratis, & Galeni doctrina varium est ac multiplex. Sæpe crisis morbi cujuslibet solutionem quovismodo factam denotat: sic in prognostico, judicantur autem hujusmodi uno die, & nocte, id est, ut vertit Celsus finiuntur. Sic libello de perceptionib. & crisin definit. Hippoc. & libro. Iudicari in morbis est cum augescunt, aut marescunt, aut in aliam speciem transmutantur, aut omnino desinunt. Nonnunquam crisis violentos quosvis naturæ motus, & conatus significat, sic libris de septimestri, & octimestri partu, abortus, & partus in eo tempore judicantur quo, & morbus, & sanitas, & mors omnibus hominibus. Interdum pro morbi temporibus, & exacerbatione usurpatur crisis,

ut aphorismo 19. sect. 1. His qui per circuitus accessiones habent, nihil dare oportet: nec sine ratione crisis pro accessione usurpatur, quia in vigore tantum, & exacerbatione fiunt crises, nunquam aut saltem raro admodum in principio, & declinatione. Aliquando crisis sumitur pro perturbatione quæ crisin præcedit Gal. vocat. Solet etiam Hippocrates crisin pro evacuatione usurpare: sic libro de locis in homine. Medicamentum (inquit) bene sanis non propinandum, neque enim vacuantur nisi modicum. Annotavit Galenus tertio de crisibus, & comment.4. in librum de victus ratione in acutis, crisin simpliciter dictam eam significare, quæ est ad salutem, aut ad melius, & commentario ad aphoris. 13. sect. 1. Plures (inquit) crises ad melius vergunt, quam ad deterius, pluresque ex ægrotis sanantur quam moriuntur, nisi pestilens fuerit constitutio. Reperio tamen criseos nomen sæpe pro interitu à summo Hippocrate usurpatum, ut in Coacis prænotionibus, lingua, quæ multum nigrescit crisin decimo, quarto die futuram ostendit, id est exitium. Et in prorrhetico: Crebri cum vomitu relapsus nigrum cient vomitum, circa crisin sunt etiam tremuli. Sunt hæ criseos apud Hippocratem, & Galenum acceptiones variæ. Sed propriæ definitur crisis cap. 1. lib. 1. de diebus decretorijs cap. 7. libri 3. de crisibus comm. ad aphorismum 13. & 23. sectionis 2. Subita, & repentina in morbo mutatio, ad sanitatem, aut ad mortem. cujus definitionis singulas particulas minutatim excutere placet.

CRISIS DEFINITIO EJUSDEMQVE EXPLICATIO.

CAPVT TERTIVM.

CRisis repentina est in morbo mutatio ad salutem aut ad mortem. In motu, quinque observat Philosophus, Terminum à quo incipit motus (liceat vocabulis uti scholasticis) terminum per quem fit, terminum in quem desinit, movens, & mobile. Crisis motus est, aut saltem motu perficitur: Eadem ergo in crisi, quæ in motu observanda sunt nobis. Terminus à quo incipit crisis morbi est augmentum: Pro varia itaque morbi natura, celeriores fient aut tardiores crises: Acuti celerius, Longi tardius judicabuntur. Acutorum alij sunt extreme peracuti, alij peracuti, alij acuti simpliciter. Extreme peracuti primo quaternario judicantur, aphor. 2. sect. tertiæ prog. febres malignissimæ horrendisque comitatæ symptomatis quarto die interimunt, & aphor. 6. sect. 5. Qui distentione corripiuntur, intra quatuor dies interunt. Morbi peracuti primo septenario judicantur: Acuti v. simpliciter in quatuordecim diebus apho. 23. sect. 2. Morbi longi per septenarios à vicesimo ad 40. per

per vicenarios à 40. ad centesimum judicantur post 120. perit dierum vis, mensibus tunc, & annis solui dicuntut. Plurimi affectus (ait divinus senex tertio aphor.) pueris judicantur, nonnulli quidem in quadraginta diebus, alij in septem mensibus, quidam, in annis septem. Terminus in quem desinit crisis sanitas est aut mors, aut status proximus aut transitus in aliam morbi speciem. Terminus per quem est totum illud tempus, quo coctioni secrerioni, & excretioni incumbit natura. Movens natura est: ipsa num. crisin molitur. Hæc illa est, quæ humotem morbificum coquit, secernit, excernit (ait Gal.) natura secernente humores noxios à bonis eosque ad excretionem præparante. Naturæ apud Hippo. morborum sunt medicatrice. Invenit natura vias sine consilio quibus morbos expellit. Hæc licet tamen quod rectum est facit. Hanc providam libris de diæta, & ordinariamDei potestatem lib. de aeribus, locis, & aquis prædicat Hipp. Hæc illa est Stoicorum. Hic ille est artificiosus Zenonis ignis. Movet ergo natura, & promovet crises: Quòd si debilior sit, potest interdum juvari à medico, propterea addidit Hippoc. in epid. in hanc autem hæc extrinsecus, cataplasma, inunctio, fons totius, & partis. Sic primo epist. Methoni cœpit die critico sanguis è naribus stillare, fovit statim Hippoc. caput aqua calida, tuncque liberius multò sanguis prorupit. Galen. comm. ad aphor. 20. sect. 1. vult juvari naturam, si imperfecta sit crisis, quod si perfecta sit nihil movendum, nihil novandum. Princeps Arabum Avicenna instanre crisi, si sudoris signa appareant, sudorificis utitur totumque ventrem oleo perfundit calido. Postremo in crisi spectandum, est mobile: ejusmodi est humor noxius, & morbificus: Nam in solos humorales morbos cadit crisis.

DE DIFFERENTIS CRISEON.

CAPVT QVARTVM.

Hippocr. sect. 3. lib. 1. epid. 4. statuit crisis differentias: una est ad salutem: altera ad mortem: Quædam ad melius, quædam ad deterius. Totidem agnovit Gal. comm. in 3. progn. Crisis (inquit) quatuor fit modis, aut enim confestim à morbis liberantur, aut magnam in melius mutationem habent, aut statim moriuntur, aut longe pejus habent. Acuratius multò cap. 2. lib. 1. de dieb. decret. & cap. 8. lib. 3. de cris. criseon differentias omnes persequitur. Quædam est perfecta, in qua nihil reliquiarum superest. Quædam, imperfecta in qua non omnino vacuatus est humor noxius. Alia fida in qua nullum subest relapsus periculum. Alia infida, quæ contra. Quædam manifesta est, quæ fit cum excretione,

vel

vel abſceſſu. Quædam obſcura, quæ circa excretionem, vel abſceſſum. Alia id eſt indicata, quæ diem ſuum habuit indicem, quartum in prima ſeptimana, undecimum in ſecunda, decimum ſeptimum in tertia. Alia quæ prænuntiata non fuit. Quædam periculoſa quæ cum graviſsimis ſymptomatis. Quædam ſine periculo quæ cum mitioribus. Quædam poſtremo, bona quæ ad ſalutem, quædam mala quæ ad mortem. Nos unica diviſione has omnes criſis differentias complectemur. Criſis alia perfecta, alia imperfecta eſt. Perfectam appello, quæ perfectè indicat morbum. Hæc duplex, ſalutaris quippe, & lethalis. Imperfecta etiam duplex, altera ad melius, quæ non omnino tollit morbum, ſed facit ut æger alacrius morbum ferat: altera ad deterius. Vt autem perfecta ſit, & ſalutaris criſis multa requiruntur. Primum debet eſſe bonis ſignis indicata: ſigna hæc coctionis ſigna dicuntur, quæ, & tempus criſis, & ejuſdem celeritatem ac ſecuritatem denuntiant, ſi diebus ſuis quos, contemplabiles, & indices vocat Hippoc. appareant. Eſt autem index ſeptimi quartus, decimi quarti undecimus, vigeſimi decimus ſeptimus. Secundo debet eſſe ſalutaris, & perfecta criſis, manifeſta, id eſt, cum cauſis criticis, excretione quippe vel abſceſſu. Apho. 22. ſect. 3. prog. Quibus febres ceſſant ſine ſaluraribus ſignis, relapſus ſubeſt periculum. Sententia 16. ſect. 2. prior. prorertht. Lethales morbi, qui ſine ſignis (id eſt, cauſis criticis) levationem habent mortem ſignificant, & aphoriſ. 27. ſectione ſecunda. His qui ſine ratione levantur (id eſt, ſine excretione aut abſceſſu laudabili) non eſt fidendum: In coac. prænot. Atque in univerſum omnes qui ſine ſudore refrigerati ſunt peſsime habuerunt. Exiſtant ad hujus rei illuſtrationem elegantes hiſtoriæ in epid. ſed unica hæc mihi erit inſtar omnium. Æger ſecundus ſect. 1. lib. 3. epidemion Hermocr. 14. die liberatur à febre non ſudavit. 17. rurſum febre corripitur 20. febris expers, non ſudavit 24. die rurſum febricitavit. Tandem 27. die moritur. Si ergo ſine cauſis, & ſignis criticis, quod eſt apud Hippoc. ſolvatur morbus periculo non vacat: & ſi cum ſalutatibus ſignis, & in ſigni excretione, aut abſceſſu levationem perſentiat æger, perfecta, & ſalutaris criſis æſtimanda erit. Tertio, ad perfectam criſin requiritur dies criticus. Quæ n. diebus non criticis contingunt ſuſpectæ eſſe ſolent. Sunt hi velut arbitri, & judices diſceptationum naturæ, & morbi. Annotavit Ariſtot. cap. 6. lib. 5. Phyſic. febres quæ diebus non criticis judicantur, alterationem habere, quæ v. diebus criticis, ſecundum naturam. Damnat perpetuo Hippocr. ea quæ levant diebus non criticis, ſect. 5. lib. 2. epid. febris niſi fœcundo die remiſerit, recidivam timere oportet. Fœcundos interpretatur Erotianus impares, quoniam impares dies fere critici exſiſtunt, & aliquid adferunt commodi. Sententia 22. ſect. 3. prognoſt. Quæ febres diebus non criticis

ſol-

ſolvuntur, relapſum minantur. Quarto ut perfecta ſit, & ſalutaris criſis, debet eſſe fida, & ſecura. Fidam appello, in qua, nec ullæ ſuperſunt morborum reliquiæ, nec ipſe relapſus in metu eſt: Securam vero, quæ eſt ſine periculoſis ſymptomatis, & cum ægri tolerantia. Poſtremo debet perfecta criſis fieri pro morbi ſpecie, & ægrotantis natura, ætate, temperie. Acuti enim morbi per excretionem, diuturni per abſceſſus judicari ſolent: Febris ardens in juvene, hæmorrhagia ut plurimum, in ſene alvi profluvio judicatur. Erit igitur (ut rem in pauca contraham) perfecta, & ſalutaris ea criſis, quæ judicata fuit ſignis coctionis, quæ manifeſta eſt, cum excretione ſcilicet, vel abſceſſu, quæ die critico contingit ſine periculoſis ſymptomatis, in qua noxius humor omnino vacuatus eſt, quæ denique ægrotantis naturæ, ætati ac morbo convenit. Horum unum ſi deſideretur, imperfecta criſis expectari debet. Criſeon porro differentias clarius ſequens tabella indicabit.

SIGNORUM CRITICORUM DIVISIO.

CAPUT QUINTUM.

Maxima eſt hiſtoriæ criticæ in omnibus morbis acutis, & dignitas, & neceſsitas: Futuros enim morborum eventus prævidere admirabile eſt, & quaſi divinationi proximum. Quiſquis imminentem criſin belle indicaverit, is vulgi, & adſtantium calumniam vitabit, omnibus ſtuporem pariet, remediorum denique dignitatem conſervabit: indicari autem non poteſt criſis niſi per propria ſigna, quæ velut manifeſta ſunt, & notæ, quibus mens in recondita penetrans omnia quantumvis involuta ſic aperit, ut oculis ea cernere videantur. Critica ſigna primus quidem expoſuit Hipp. ſed ſparſim, & ego in rudiorum gratiam obſcura hæc illuſtrabo, & in apertam lucem proferam brevi hac methodo.

Signorum criticorum, alia criſin præcedunt, alia comitantur, alia ſubſequuntur: Quæ criſin præcedunt duorum ſunt generum. Quædam diem, & tempus criſes prænunciant ejuſdemque ſecuritatem, cujuſmodi ſunt coctionis, & cruditatis ſigna, quæ in excrementis apparent univerſalibus, urina, & dejectionibus: quædam ſpeciem criſis, ſudorem quippe jam futurum, inſtantem, hæmorrhagiam, vomitum, alvi, & urinæ profluvium quaſi digito indicant. Signa criſin comitantia ſunt ipſæmet cauſæ criticæ, excretio quippe, vel abſceſſus. In excretione ut commode fiat 4. ſpectanda ſunt, qualitas laudabilis, debet enim, & peccans, & coctus humor vacuari; quantitas ſufficiens, nam ut nihil paucum, & criticum, ita quod ni-

nimium eſt damnatur. Tempus opportunum, & excernendi modus naturæ familiaris, quæ omnia his verbis expreſsit Hippoc. 6. epid. & qualia, & quando, & qua parte, & quantum opus eſt. Abſceſſus v. legitimi conditiones ſunt ut fiat deorſum, ſecundum rectitudinem morbo à natura concocto, & pro dignitate morbi, quod tribus verbis deſignavit ſect. 2. lib. 6. epid. quo, unde, & propter quid. Signa quæ criſin conſequuntur, factam jam criſin perfecta ne ſit an imperfecta nobis commonſtrant, ea exactionibus naturalibus vitalibus animalibus ex qualitate corporis, & excrementis univerſalibus petenda ſunt.

DE SIGNIS ANTECEDENTIBUS QUÆ TEMPUS, & diem criſis prænuntiant, ſignis quippe coctionis.

CAPVT SEXTVM.

Signa tempus, & diem criſis indicantia ſunt coctionis, & cruditatis ſigna: Hæc enim, quo die judicaturus ſit morbus, & an celerior, vel tardior ſperari debeat criſis, certo demonſtrant. Quod diem criſis indicet coctio docet Hippocr. in progn. & aphor. Quibus (inquit) ſeptimo die criſis venit, illis ſub quartum in urina nubecula fuit rubra, & alibi: Si quarto die urina hypoſtaſin habeat albam, levem, æqualem ſolutionem morbi ſeptimo fieri oſtendit. Eſt enim ſeptenorum quartus index: Addit Galen. modo nihil extrinſecus erratum fuerit, id eſt, ſi neque medicus quid peccaverit in victu inſtituendo, neque æger, neque miniſtrorum quiſquam: imo ſi neque error ullus extrinſecus admiſſus ſit, quod etiam deſignavit Hipp. aphor. citato, dum ſubjungit, & in coacis prænotionibus ſi cætera convenienter ſint conſtituta: Fieri enim poteſt ob externam aut internam aliquam cauſam, ut quartus ſeptimum ſemper non indicet, ut fuſius lib. 2. explicabitur, dum dierum indicantium vires aperiemus. Neque verò die tantum, ſed etiam ſecuritatem, & celeritatem criſis indicare ſolent coctionis ſigna: Locus eſt per elegans apud Hippoc. ſectione ſecunda lib. 1. epid. Coctiones (ait) celeritatem, & ſecuritatem criſis denuntiant, cruda vero incocta, & in pravos abſceſſus converſa, aut diuturnitatem, aut dolorem, aut mortem, aut relapſus minantur, & progn. 26. ſect. 2. urina quæ albam, & levem habet hypoſtaſin ſecuritatem, & brevitatem morbi oſtendit, quia (ut interpretatur Gal.) coctio nonniſi velentiſsimi caloris opera ſuſcipitur, calor autem natura

eſt

est particularis, quæ morbos curat. Obijciet hic fortasse argutiolus quidam Hippoc. auctoritatem sect. 2. lib. 2. epidem. judicatoria ne statim appareant: Non igitur primis morbi diebus, neque perpetuo laudanda sunt coctionis signa. Expedita responsio est ex Galen. libr. de crisib. per Hippoc. non intelligere coctionis signa de his enim existat solemne illud edictum, coctiones semper opportunæ. Sed aut signa perturbationis criticæ, aut causas ipsas criticas excretionem scilicet vel abscessum: hæc enim si principio morbi appareant, humoris potius feritatem quam naturæ contentionem indicant. Dices sputum in pleuritide si statim appareat, morbi, & brevitatem, & securitatem significare, aphor. 12. sect. 1. Cur non eadem sudoris, urinæ, sanguinis, & reliquorum humorum in acutis febribus erit ratio? Respondet Gal. pleuritim peculiarem esse membranæ quæ costis subtenditur affectum, quo ergo celerius exsudat, excluditurque humor distens, eo celerius mitescit inflammatio: At febrium acutarum materia in toto venenoso genere continetur, quæ mitificanda, coquenda, secernenda est priusquam excernatur, hoc autem primis morbi diebus fieri nequit. Stet igitur invicta summi Dictatoris sententia, coctionis signa, quovis morbi die appareant, semper bona esse. Verum pro theorematis hujus veritate adhibendæ sunt distinctiones quædam: Non enim quælibet cujusque humoris coctio securitatem arguit, nam pleuriticos, peripneumonicos, anginosos plerosque cum sputo laudabili, & cocto interiisse observavit Hippoc. in epid. Duo itaque ad perfectam coctionem requiruntur. Debet primum esse continua, deinde universalis. Continuam voco cum Hippoc. eam quæ constans est. Vniversalem vero quæ in excrementis apparet univetsalibus, urinis quippe, & alvi dejectionibus. Quod requiratur in coctione constantia, & continuitas demonstratur progn. 26. sect. 2. Optima (inquit) est urina cum sedimentum fuerit album, læve, & æquale per toum tempus, donec judicatus fuerit morbus: Quod si intermiserit, & aliquando quidem pura (id est cruda) mejatur nonnunquam subsideat quid album, ac læve, diuturnior fit morbus, & minus securus. Auctoritas ratione confirmatur. Continuitas coctionis naturæ validam vim, & caloris coquentis imperium denotat: At si interrupta sit coctio, ut mane coctionis signa appareant, vesperi delitescant, nunc crudæ, nunc coctæ funduntur urinæ, nulla ex ea coctione crisis securitas sperari potest, quia pars contentione certant natura, & morbus, unde manet victoria anceps, inchoat coctionem natura, sed debilior perficere nequit, aut fortasse humoris efferi tanta est malignitas, ut coctionem admittere non posit, hinc. Debet præterea coctio hæc esse universalis, id est, in excrementis apparere universalibus ejusmodi sunt urinæ, & alvi dejectiones, sed ex urinis certiora quam ex dejectionibus

petuntur indicia. Qualia ergo, ea sint, & quid prænuntient jam explicare aggredior.

QUALIA ESSE DEBEANT COCTIONIS SIGNA in urinis, & quomodo ex urinæ inspectione crisis totusque morbi eventus præsentiri possit.

CAPUT SEPTIMUM.

Signa omnia sive sint lethalia, sive salutaria ex tribus quasi fontibus haurienda sunt, actione læsa, qualitate corporis, & excrementis. Excrementorum licet varia sint genera, plura tamen, & certiora ab urinis, quam cæteris omnibus, salutis aut mortis, coctionis, & cruditatis indicia petuntur. Nulla prognosis medica recte instituitur, nulla in medendo præclare initur, nulla crisis tuta, & certa præsagitur, quæ urinarum non admittat: Inique igitur Erasistratus, & Quintus urinarum inspectionem ad pictores tantum spectare arbitrabantur. Nos celeritatem, tarditatem, securitatem, & periculum criseos, totumque morbi eventum ex urinis ita conjiciemus. In urina duo observanda sunt liquor contentum: Ex liquore igitur, & contentis coctionis signa, quæ vere sunt petenda sunt. In liquore duo spectantur, substantia, & qualitas: Substantiæ nomine duo complector, corpus, & perspicuitatem. Si liquoris corpus inspicias, urina omnis aut tenuis erit, aut crassa, aut mediocris. Si perspicuitatem, alia erit perspicua, quam visus acies facile penetrat, alia turbulenta seu obscura, per cujus medium non cernimus. Ad qualitatem liquoris refero colores tantum, tum extremos, tum medios, & odores: Nam urinas gustare (ut solebat arabes) sordidum est, ac medici dedecet dignitatem. Vrina tenuis cum febre acuta cruditatem, & nativi caloris imbecillitatem perpetuo arguit: Quandiu ergo talis apparuerit, perfecta, & salutaris crisis sperari nequit, aphor. 30. sect. 2. progn. Vrina tenuis, morbum incoctum esse significat. Statum hoc pro theoremate: Vrinas tenues in acutis febribus si summa adsit virium imbecillitas, mortem aut periculum ingens minari. Sin autem constant vires, aut morbi longitudinem, aut abscessum imis in partibus, prænuntiare: Quod si post crisin tales appareant, relapsus periculum subest. De longitudine morbi exstat hæc prognosis in Coacis, Vrina tenuis, & vix sedimentum habens, tum quæ in melius, modo in pejus mutatur, diuturnitatem morbi significat,

ficat, quia dubium naturæ, & morbi certamen ostendit. Quod abscessum prænunciet docuit Hippoc. prog. 34. sect. 2. Qui tenuem crudamque urinam diutius mingunt abscessus expectare oportet in partes diaphragmate inferiores: Quod verò relapsum minetur urina tenuis, Hermocratis historia illustrari poterit. Is 14. die liberatur à febre, decimoseptimo urinæ tenues apparuerunt, vigesimoseptimo mortus est. Ne longum faciam hæc summi Hippocr. auctoritas sufficiet de tenujum urinarum judicio sect. 3. lib. 3. epidem. urinæ tenues criticum nihil nec salutare præ se ferunt, quia tenuitas aut caloris imbecillitatem arguit, qui homogenea cogere nequit, aut caloris excessum qui nimium attenuavit. Dignoscitur utraque causa colore. Quæ enim tenuis est, & decolor, à debili est calore, quæ tenuis, & colorata ab igneo. Cæterum urinas tenues hic intelligo, quæ febrem continuam habent comitem. Nam si sine febre mingantur, aut ea mitiore, hepatis tantum, lienis, & meatum urinæ dicatorum obstructionem arguunt: ita enim quod tenue est tantum percolatur, quod crassius est remanet. Contra urinæ mediocriter crassæ salutarem, & perfectam crisin perpetuo pollicentur quia nativi caloris robur ostendunt, unde crisis celeritas, & securitas. Debet ex Hippocr. doctrina aphor. 16. sect. 2. prog. omne excrementum crassescere, eunte ad judicationem morbo, & apud Philosophos, coctio omnis incrassando perficitur. Sit autem urina hæc mediocriter crassa. Nam si crassissima sit, pravorum humorum permistionem arguit, aut nativi caloris oppressionem, unde aut dolor, aut diuturnitas morbi aut pravi abscessus, aut relapsus. Solet porro utraque urina nunc perspicua, nunc turbulenta excerni, unde cruditatis, & coctionis, salutis, & mortis certa petuntur indicia. Vrinarum turbidarum, tria statuit genera Galen. Quædam claræ minguntur, & postea turbantur indicant, primum coctionis impendere rudimentum: Quædam turbatæ minguntur, sed postea evadunt limpidæ, naturæ victoriam demonstrat, & tantillum flatulenti spiritus superesse. Quædam postremo perturbatæ minguntur, & perturbatæ remanent, arguunt maximam humorum in venis agitationem, & naturæ, ac morbi certamen ambiguum. Hæc urinis jumentorum sunt similes, & in Hippo. doctrina capitis dolorem, delirium, convulsionem, ac mortem prænuntiant. De capitis dolore exstat aphor. 70. sect. 4. Quibus urinæ perturbatæ jumentorum similes, his capitis dolor vel adest, vel aderit. De delirio observavi quamplures historias in epid. Philini uxor quæ filium pepererat, cum urinis perturbatis deliravit, tandem mortua est. Evalicedæ famula phrenetica interijt, at toto morbi decursu urinæ perturbatæ apparuerunt. Polyphantus cum urinis jumentorum similibus mente motus est, tandem convulsus moritur. Cur autem hæc omnia judicent urinæ perturbatæ, demonstrat eleganter

Galen. commentario ad aphor. jam citatum, quia perturbatio hæc maximam humorum in venis agitationem, & flatulenti ſpiritus permiſtionem arguit, hinc vapores quam plurimi ſuſcitantur, qui ſua tenuitate ſurſum elati caput replent, & pro varia partium quas obſident infeſtantque natura diverſa pariunt ſymptomata, ſi enim ſacram Palladis arcem occupent, id eſt ſi cerebri temperiem (quam mentem ſolet appellare Gal.) immutent, delirium excitant, ſi biliosa acrimonia nervorum principium pungant, convulſionem pariunt; ſi venas, & arterias capitis, nec non ejuſdem membranas, quæ ſunt exquiſitiſsimi ſenſus, diſtendant, cephalalgiam: Quod ſi perſpicuæ mejantur, nativi caloris robur, & ſpirituum per univerſum urinæ corpus æqualiter difuſorum copiam arguunt. Atque hæc ſunt, & ſalutaria, & læthalia, quæ ex liquoris ſubſtantia, tenuitate quippe aut craſsitie, perſpicuitate aut tutbulentia peti poſſunt: Nuuc quid qualitas liquoris, color nimirum indicet, brevi aperiamus.

QUÆ COCTIONIS SIGNA IN LIQUORIS URInarum qualitate luceant.

CAPVT OCTAVVM.

AD qualitatem liquoris refero colores: Eorum alij ſunt extremi, alij medij. Extremi duo ſunt albus, & niger: Intermedij quam plures pro varia extremorum permixtione: Eorum tamen quidam ad album magis accedunt, alij ad nigrum. Vrina alba, aquoſa, pellucida ſi ſit ſine febre, lethalis per ſe eſſe non poteſt: arguit enim tantum, aut cruditatem, aut hepatis lieniſue, & meatuum urinæ ſecernendæ, deducendæ, excipiendæ, dicatorum obſtructionem, aut aquæ, & vini albi liberaliorem potum: At ſi cum febre ſit continua, eaque acuta, niſi ad hemorrhagiam criticam aut dyſenteriam appareat, perpetuo lethalis eſt aut ſaltem periculo non vacat, quia vel ſummam nativi caloris imbecillitatem oſtendit, quæ potum, & humores nec alterare, nec permiſcere potuit, aut univerſæ bilis translationem ad caput, aut magnum incendium hepatis, quo ſanguis una cum bile abſorbetur. De urinarum albarum cum febre acuta periculo multa ſcripſit Hippoc. in coacis prænotionibus, quas doctiſsimis, & elegantiſſimis commentarijs illuſtravit Ludovicus Duretus Regius Medicus, & Profeſſor eximius, Præceptor olim meus obſervantiſsimus, qui multa Hippoc. oracula nobis aperuit, & quæ ad prog. ſpectant ita explicuit, ut cum prioris ſeculi tenebras diſcuſſerit, poſteriori lucem ſplendoremque attulerit eximium. Ex quibus hæc anno-

tare placet periculoſas quidem eſſe in univerſum urinas albas, ſed in phreniticis perpetuo lethales, quod etiam aphor. 72. ſect. 5. ita ſcriptum legitur. Quibus albæ, & pellucidæ apparent urinæ pravæ ſunt, maxime verò in phreniticis, quia humor qui deberet eſſe fit, qui per inferiora revellendus erat ad partem inflammatione obſeſſam curſum inflectit, unde augetur cerebri, & membranarum eryſipelas. Æger quartus ſect. 2. lib. 3. epid. ſecundo die ſurdus cum urinis albis, tenuibus, & pellucidis circa meridiem deliravit, quinto die mortuus eſt. Æger quartus ſect. 3. lib. 3. epid. cum urinis tenuibus, & albis quarto die moritur phreniticus. Dealcis uxor phrenitica cum tenuibus, & albis urinis vigeſimo interijt. Nulla ergo in urinis albis, & tenuibus coctionis ſigna lucent, ſed cruditatis tantum, nullaque proinde ſalutaris criſis ſperanda eſt. Contrarius urinarum color, niger quippe magis nos terret, graviuſque minatur periculum, aphor. 32. ſect. 2. prog. urinæ nigræ omnium peſsimæ ſunt, & lethales magis, aphor. 21. ſect. quartæ damnat in univerſum dejectiones nigras. Ratio in promptu eſt, quia aut maximum indicant incendium omnia torrefaciens, perurens, & quaſi incineres vertens, aut nativi caloris extinctionem: Sic jam jam morientium partes omnes livent nigricantque, vitalis ſpiritus radijs non amplius iluſtratæ. Hoc docuit Gal. lib. 1. de criſibus, & commentar. progn. exemplo partium noſtri corporis, quæ ab immodico ſolis æſtu, & ambientis frigore nigredinem contrahunt; ſic ſanguis dum refrigeratur aut exuritur ater fit. At utraque cauſa lethalis eſt. Cæterum dum urinas nigras exitiales dico, eas intelligo, quæ tales ſunt liquore, & generatione. Nam quæ nigræ ſunt permiſtione humoris cujuſdam atri, ſalutares plerumque eſſe ſolent, & criticæ, tum in acutis, tum in diuturnis morbis. Solet (inquit Galen.) natura deponere pravorum humorum abundantium per urinas. Mulieribus quibus ſuppreſsi ſunt menſes ſi nigræ appareant, refluente ab utero ad renes, aut veſicam ſanguine, nihil malum. Obſervavimus ſæpe ſpleniticos, & quartanarios urinarum nigrarum liberali profuſione ſanatos. Quomodo autem, & per quos ductus id fiat lib. 1. controverſiarum noſtrarum anatomicarum expoſuimus: Sæpe etiam ab epoto medicamento urinæ nigræ minguntur ſalutariter, ut docet Actuarius longa hiſtoria ſervi ſui lib. 1. de judicijs urinarum: Sed hæ omnes urinæ tales ſunt permixtione, non liquore. Vrinæ prærubræ initio morbi longitudinem arguunt, in ſtatu vero mortem. Atque hæc ſunt, quæ in liquore ſpectare debet medicus, ut diem, & tempus criſis, ejuſdemque ſecuritatem, & celeritatem tuto prædicere queat: Nunc quæ in contentis luceant coctionis aut cruditatis ſigna explicemus.

QVA-

QUALIA APPARERE DEBEANT IN URINÆ contentis coctionis, & cruditatis signa.

CAPUT NONUM.

Ex contentis, plura apud Hippocr. coctionis, & cruditatis, salutis, & mortis, celeritatis, & tarditatis criseon indicia petuntur, quàm ex liquore: Raro enim liquoris meminit, sæpissime contentorum in aphor. prog. epid. coacis. Contentum appello quicquid crassius, & corpulentius in urinis consistit. Hoc duplex statui solet: Aut enim de urinæ substantia est, id est, cum urina ortum perfectionemque nanciscitur, communiori vocabulo, dicitur, aut aliunde advenit, ut ab universo corpore, vel ab aliqua parte, hepate, renibus, vesica. Hypostasis pro varia loci, & situs ratione triplex statuitur: vel enim in imò subsidet, & proprie hypostasis dicitur, vel id medio propendet, & vocant suspensum, sublimamentum: vel summa facie innatat nubes, nebula, nubecula dicitur: solet tamen sæpissime Hippoc. in prog. coacis, & epid. tria hæc confundere. Hypostasis si in urinis appareat celerem crisin ostendit, estque certissimum futuræ criseos argumentum. Extat illud Hippocr. Quibus urina cito hypostasin habet, celeriter illi judicantur, ad salutem aut ad mortem, ad salutem, si laudabilis sit, ad mortem, si prava. Laudabilis hypostaseos notas ex Hippoc. doctrina quatuor reperio. Debet esse alba, lævis, æqualis, & moderate crassa. Albedo robur arguit solidarum partium: Hæ enim partes cum albæ sint, & spermaticæ, crassam hanc alimenti partem assimilare conantur: hoc cum omnino præstare nequeant ob substantiæ dissimilitudinem, saltem in colore, & qualitatibus id moliuntur: omne siquidem alimentum, omne excrementum (ut docet Gal. primo de facultatibus naturalibus) referre debet naturam, ideam, & colorem partis, à qua manat: manat à solidis partibus hypostasis earumque excrementum est. Debet igitur alba esse si omnia se habeant. Secundo debet laudabilis hypostasis esse, id est levis, ut omni ex parte unica sit planities, unicum corpus continuum, & sibi cohærens, nihil habens asperitatis, nulla ex parte fissum, rugosum aut divulsum. Tertio debet esse æqualis, similaris. indicat hæc æqualitas vim nativi caloris, qui in omnes materiæ partes æqualiter sese diffudit. Cæterum æqualitatem hanc duobus modis interpretor. Primum æqualem intelligo eam, quæ uniusmodi est, id est, cujus partes omnes, & crassitie, & colore sui ubique similes sunt, ut hac parte crassior non sit, illa tenuior. Proterea æqualem voco

eam, quæ constans est, & similis toto morbi decursu, ut si semel alba, & lævis apparuerit, sequentibus diebus eadem permaneat, eam his verbi designavit Hipp. in prog. Quod si intermiserit morbus, & diuturnior erit, & minus securus. In coacis prænotionibus urina bonum sedimentum habens, & de repente non habens laborem, & mutationem significat: Quia hæc inæqualitas, ut materiæ arguit inæqualitatem, cujus portio coquitur, portio propter malignitatem, & contumaciam coctionem præterfugit, aut nativi caloris imbecillitatem. Postremo debet laudabilis hypostasis esse moderate crassa: ex ea namque crassitie caloris robur indicatur, cujus imperio congregantur, & segregantur: His quatuor dotibus exornata hypostasis quocunque morbi die appareat, perpetuo salutaris, & expetenda venit: Huic prima salutis, & securitatis debetur laus: Hæc ut præclare annotavit Hippoc. aphor. 26. sect. 2. prog. morbi securitatem, & brevitatem significat: De nubeculis, & encoremate albis æqualibusque idem fere esto judicium: coctionis enim inchoatæ, sed aliquantulum debilioris signa in his lucent. Proximum huic sedimento albo est rubrum quod prog. 27. sect. 2. salutarem quidem morbum, sed paulo diuturniorem indicat: salutarem, quod à salutari humore, sanguine quippe exsuperante fiat, diuturniorem, quod serosus ille sanguis non tam cito coctionem admittat. De sedimento rubro scripsit etiam aphor. 71. sect. 4. aphor. his verbis. Quibus die septimo morbi judicantur, ijs urina rubram die quarto nubeculam habet. Hypostasis nigra, aspera, inæqualis, semper pessima. Nigra, vel maximum denotat incendium, vel exstinctione caloris nativi. Id autem intellige in febribus acutis. Nam hypostasis nigra sine acuta febre, nec mortem, nec periculum promittit, denotat plerumque quartanam febrem ejusque prænuntia esse solet. Hoc docuit me divinus senex in coa prænotionib. Sedimentum nigrum in erraticis febribus, quartanam denuntiat. Aspera hypostasis morbifici succi contumaciam indicat. Quod si inæqualis sit, dissimilaris, coctionis difficultatem arguit. Inæquale hanc hypostasin solet Hippocr. variegatam appellare. Historia prima lib. 1. epid. Philiscus variegatam, & nigram minxit urinam, sexto morbi die interijt: Variegatum porro, & inæquale sedimentum tribus modis interpretor, in colore, in figura, in consistentia, in colore cùm modo album, modo rubrum, modo nigrum apparet; in figura, nunc id est rotundum, nunc divulsum dispersumue, in consistentia nunc crassum, nunc tenue: Omnis illa inæqualitas perpetuo indicat. Atque hæc de contentis quæ cum urina ortum perfectionemque haben, & de illius essentia sunt. Sunt alia contenta quæ aliunde veniunt, & ipsa urinæ permiscentur: Adveniunt, aut ab universo corpore, & ut à colliquatione solidarum partium, hinc contentum multiplex, pingue, olea-

ceum,

ceum, putaceum, ervoſum, lamineum, furfuraceum: aut ab aliqua parte, ut hepate, liene, renibus, veſica. Sunt autem ea, quæ permiſcentur, varia ramenta, pili, carunculæ, arenulæ, ſquammæ, ſanguis, pituita, craſſus humor, pus, ſemen, telæ arenearum, & ſimilia. Horum omnium cauſa univerſalis eſt calor liquefaciens, torrefaciens, putrefaciens: A calore liquante, & diſſolvente, urinæ pingues ſunt, oleoſæ, pultaceæ, lamineæ: A calore vrente arenulæ, calculi, pili: à putrefaciente fœtidæ, & purulentæ. Pingues urinæ ut plurimum ſunt lethales, quia colliquationis ſigna ſunt: & Hippocr. eas urinas peſtilentes ſolet appellare, in progn. prava eſt urina, quæ oleoſa merendo emittitur. Pultaceum ſedimentum, ſi ſit à colliquatione carnoſi generis, perpetuo eſt lethale: ſin ab ingenti calore ſanguinem perurente, morbi longitudinem prænuntiat. aphor. 31. ſect. 7. Quibus febricitantibus in urinis ſubſidentiæ craſsiores polentæ ſimiles fiunt, longum morbum ſignificant. Æger ſecundus ſect. 3. lib. 1. epid. Silenus pultaceum minxit, apparuit illi undecimo die interijt. Lamineum ſedimentum aut à colliquatione fit aut ab eroſione, illud lethale hoc ulceris tantum indicium eſt, illud ſine fœtore eſt, hoc fœtidiſsimum eſſe ſolet, aphor. 81. ſect. 4. Furfuraceum aut ab ingenti fervore fit, eſtque, aut ab ulcere, & ſcabie veſicæ, apho. 97. ſect. ejuſdem. Sunt hæc igitur omnia, & lethalia, & ſalutaria, quæ ex urinæ contentis, & liquore peti poſſunt. Quoniam vero multa ſunt quæ urinam immutant, ne in prognoſi decipiatur medicus, aut præceps, & temerarium ſit ejus de coctione, & cruditate judicium, cautiones hæ adhibendæ ſunt quæ ſequenti capite deſcribentur.

PRIUSQUAM DE URINARUM COCTIONE, ET cruditate ſuum proferat judicium medicus, quid obſervare debeat.

CAPVT DECIMVM.

Excipiatur ex Galeni mandato comment. 2. progn. ejus qui acuta febre laborat urina, quavis diei hora, eaque tota mox in matulam pellucidam, æqualem, terſam, alieni coloris expertem, magnam, & oblongam immitatur. Exceptæ urinæ liquor ſtatim conſpiciatur, turbidus ne an perſpicuus ſit, non tamen de morbi eventu ſtatim ſententiam ferat medicus, quia ineſt adhuc alienus color nullaque apparent contenta à calore divulſa. Quieſcat urina, & reſideat per horam, idque in loco tem-

temperato, non ventis perflato, nequid permisceatur, non frigidissimo, ne crassior evadat, non radijs solaribus exposito, ne immutetur ejus color. Inspiciatur autem quavis diei hora Hippoc. in historia Endemici sub ortum solis urinam conspexit, si quid interdiu mejeret servari jussit, si forte turbetur urina aut sponte aut frigoris vi, igne dissolvitur. Quod si dissolvi nequeat, verisimile est talem excretam fuisse. Rhazis 23. continentis hæc tradit signa quibus utraque urina internosci possit. Quæ mingitur clara, & postea turbatur alba est: & concreta pinguedinis instar nullam habet perspicuitatem, parietib. matulæ adhæret, illosque maculis quibusdam non obscuris inficit, quæ omnia urinæ quæ turbida mejititur non conveniunt. Dum urinam inspicit medicus, manum ponat ex advreso matulæ, ut radij omnes colligantur tanquam in speculo; sit autem visio in mediocri distantia: remotior enim tenujores, propinquior crassiores visui ostendat. Si tenuis appareat urina, & alba cum nubecula aut eneoremate divulsis, vel cum nullo contento, crudum esse morbum tuto pronuntiet, sin mediocriter crassa, cum hypostasi alba, lævi, æquali securitatem, & celeritatem cryseos polliceatur. Interea caveat medicus ne decipiatur ab his quæ urinæ liquorem, & contenta immutare solent: sæpe enim à causis non naturalibus, naturalibus, & præter naturam alteratur urina, quæ nihil lethale, nec sinistri præ se fert. Inter causas non naturales agnosco cibum, & potum: sæpe ab usu pulticulæ siligineæ aut lactis, urinæ albæ funduntur, ut ab usu pulticulæ leporinæ nigræ: Rheubarbarum, crocus, rubia tinctorum suo colore urinam inficiunt: Asparagus, terebinthina alieno perfundunt odore, liberalior aquæ potus tenuem crudamque profundit urinam. Hæc omnia sinistri nihil, nec præ se ferunt: pervertunt tamen judicium medici, ijsque præsentibus de morbi eventu nihil certum statui potest. Ad naturales causas refero ætatem, sexum, temperiem, unde urinarum varietas: Puerorum urinæ albæ sunt, crassæ, & cum multo sedimento, juvenum tenues, & flavæ, senum, albæ, tenues, virorum urinæ coloratiores sunt quā mulierum, sanguineorum, mediocriter crassæ, biliosorum tenues, cum eneoremate potius quàm hypostasi, pituitosorum crassæ, albæ, cum crasso, & multo sedimento, melancholicorum, crassiusculæ. Postremo ab ijs quæ præter naturam sunt immutatur urina ut ab ulcere renum, & vesicæ: ita enim nunc crassæ nunc cruentæ, nunc purulentæ effluunt. Hæc omnia si attente observet prudens medices, vix in prognosi decipietur.

DE

DE ALIJS SIGNIS TEMPUS, ET DIEM indicantibus.

CAPVT VNDECIMVM.

EX coctionis, & cruditatis signis celeritatem, ac securitatem criseos tuto prænuntiari posse jam à nobis confectum est: Nunc quibus notis criseos dies indicari queat, & pari ne an impari judicaturus sit morbus breviter aperiamus. In morbo tria considerantur, idea morbi, mores, & motus. Ideam seu speciem detegunt signa mores, motum. Qui morbi celeriter, & vehementer moventur, hi celeriter judicantur. Extreme peracuti primo quaternario, peracuti primo septenario, acuti simpliciter 14. die quod longissimum est acuti, id est, ex decidentia ad quadragesimum usque diem prorogari possunt. Itaque ex morbi motu tarditas aut celeritas criseos prænuntiatur. Idem motus, diem crisis, parine an impari contingere debeat, certo indicat. Nam cum in statu tantum, & paroxysmi exacerbatione fiant crises, nunquam in principio nec in declinatione: Sane si paribus diebus exacerbetur morbus, pari die speranda erit crisis, si imparib. impari. Hoc docuit Hipp. sect. 3. lib. 3. epidem. Quæ paribus diebus exacerbantur paribus judicantur: at quorum exacerbationes in imparibus fiunt, ea imparibus judicantur. Philiscus sexto die ad mortem judicatus est. Inquit Hippocr. erant illi exacerbationes diebus paribus. Larissea virgo sect. 3. lib. 2. epid. 6. die perfecte ad salutem judicata est, at huic, dolores parib. diebus contigerunt. Pythion dieb. paribus exacerbationes habuit, decimo die mortuus est. Hujus rei evidens demonstratio est. Cum enim in crisi validum sit naturæ, & morbi certamen, pugnentque mutuo, exemplo gladiatorum pariter dimicantium, necesse est eo die crisin contingere, quo vires acquirit morbus, id autem in exacerbatione fit. Hoc apertissimis verbis expressit Galen. lib. 3. de crisibus. Crisis (inquit) in idem tempus incidit cum accessione, & raro accidit ut leviori die fiat crisis, ut videatur bis tantum Archigenes toto ætatis suæ decursu id observasse, ego vero ad hanc horam semel tantum, & capite decimo ejusdem libri optimæ crises in statu fiunt, in agumento vero si salus sit subsequutura, vel imperfectæ, vel non securæ, in principio nunquam fiunt. Addamus nos ad hujus rei illustrationem duo ad perfectam crisin requiri, stimulum, & coctionem, at in morbi exacerbatione duo hæc contingunt, irritatur enim in paroxysmo natura, circa statum vero coctus est humor. Sunt hæc igitur signa antecedentia ad tempus, & diem crisis ap-

pa-

parentia, quæ ex urinarum coctione, & morbi motu petuntur. Coctio celeritatem, & securitatem, motus paritatem, & imparitatem criseos prænuntiat. Diem vero proximum ipsamque jam instantem crisin indicant signa perturbationis criticæ, quæ pro varia excretionis specie varia exsistunt, solent tamem in universum hæc omnia crisin præcedere, capitis dolor ingens, jactatio, & angitudo incredibilis, sitis inexplebilis, difficultas spirandi, pulsus inæqualitas, quæ omnia designavit Hippocr. apho. 13. sect. 2. Quibus crisis fit, his nox gravis ante accessionem. Quod si interdiu hæc appareant, crisis nocturna speranda est.

DE SIGNIS ANTECEDENTIBUS QUÆ SPECIEM crisis in universum prænuntiant.

CAPVT DVODECIMVM.

NOn satis est ex morbi motu, & coctionis signis, tempus diemque criseos prænuntiasse. Periti est artificis speciem crisis proprijs signis quasi digito indicare. Species crisis duplex omnino est, excretio, & abscessus: excretio in acutis, accessus in diuturnis sæpius contingit. Excretionis differentiæ sunt, sanguinis fluxus per nares, uterum, hæmorrhoidas, vomitus, sudor, & alvi, & urinæ profluvium. Abscessus nomine etiam complector, & quæ sub cute erumpunt. Excretionis, & abscessus signa prius tradam, universalia, mox cujusque speciei propria. Vniversalia ex morbi specie motu, parte affecta, ægrotantis natura, ætate, temperie petenda sunt: si speciem morbi consideres, calidi per excretionem judicari solent: Frigidi vero per abscessus, quia in calidis affectibus omnes excretionis opportunitates lucent: Frigidi, & difficilius coquuntur, & ad motum pigri esse solent. Sic casus apud Hip. sudore aut hæmorrhagia solvitur, non abscessu. Si motum spectes morbi acuti per excretionem, diuturni per abscessus judicantur. Acutorum si quidem natura in celeri, & vehementi motu consistit ut diuturnorum in tardo. Obijcies diuturnos morbos sæpe excretione judicari: sic tertio epid. Nicodemus 24. die per urinas, virgo Abderitana per sudores septuag. Anaxion per sudores 34. Cleanatides octogesimo riguit, multum sudavit, perfectè judicatus est. Expedita responsio est, solutiones eas quæ in morbis longis per excretionem fiunt, non fieri continuato morbi acumine sed dum modo remittit, modo exacerbatur: unde accessiones interdum acutæ fiunt in quibus excretionem fieri nihil prohibet. Pars affecta excretionis etiam speciem solet indicare. Si hepatis convexa inflammatione obsideantur expectanda erit crisis, aut

per hæmorrhagiam è nare dextra, aut per urinæ profluvium; sin cava afficiantur, alvi fluxu, aut vomitu, aut sudore potius solvetur morbus. Inflammationes cerebri, & capitis totius, prorupto è naribus sanguine sæpè judicantur, eo enim desinunt extrema vasorum: Mesenterij, & ventriculi phlegmonas, vomitus, & alvi fluxus supervenientes sanant, & apud Hippoc. lypiria febris, quæ ab erisipelate, & inflammatione ventriculi excitatur, cholera superveniente exsolvitur, id est, prægrandi, & citabilis vacuatione sursum deorsumque. Postremo ex ægrotantis ætate, & temperie excretionis speciem præsagiet Medicus. Nam juvenibus febre ardente correptis hæmorrhagiæ ut plurimum contigunt: senibus vero alvi profluvia. Id confirmat Hippocr. historia tertia universali lib. 1. epid. proruptæ sunt plurimis hæmorrhagiæ, potissimum vero adolescentibus, & ætate florentibus; senib. autem perturbatione alvinæ, & dysenteriæ Rationem affert Galen. quia juvenum humores biliosi sunt, tenuissimi, & acerrimi propterea que: senum vero pituitosi. Atque hæc sunt excretionis futuræ signa universalia, nunc quæ sint cujusque speciei propria explicemus.

SIGNA QUÆ APPARENT AD FUTURAM hæmorrhagiam.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

CRiseus species omnes unico aph. complexus est mirus Hippoc. his verbis. Morbi acuti judicantur sanguine è naribus prorupto, sudore item multo, urina purulenta, alvo mucosa, & cruenta vomitionibus, & abscessu commemorabili. Hæmorrhagia prima est species crisis, quæ febres radentes, præcordiorum, & viscerum omnium phlegmonas perfectè judicat, constitutione tertia lib. 1. epi. Quibus acute febricitantibus sanguis per nares erumpit, hi periculo morbi defuncti sunt, nec quenquam eorum vidi (inquit Hippoc.) qui in ea constitutione interierit. Methon quinto die prorupto è naribus sanguine ad salutem judicatus est. Laryssea virgo febre correpta, sexto die quantumvis tyranno, per liberalem hæmorrhagiuam è naribus, febris expers, perfecte judicata est. Hujus hæmorrhagiæ criticæ jam futuræ signa, primus omnium aperuit Hippoc. historia secunda universali sect. 2. lib. 1. epid. nec non in coacis prænotionibus, & progn. Si cui (inquit) febricitanti rubore suffundatur facies, capitis adsit dolor prægrandis, & una venarum emicet pulsus, pro fluvium sanguinis è naribus exspectare oportet addit in epid. hypochodrij distentio-

tionem, colli dolorem, temporum gravitatem, & caliginosam vertiginem. Quæ singula ad lydium, ut aiunt, lapidem, & veritatis libellam revocare placet. Rubet primum facies, quia transfertur humor ab inferioribus partibus ad superiores qui mox per nares exitum sibi parat: Excurrunt enim ad extimas usque nares venarum internarum, & externarum rivuli. Rubor hic sanguinis arguit præsentiam, quia ex libello: Qualis humor, talis color in cute efflorescit. Dolent caput, & collum, ob eandem humoris morbifici translationem, qui membranosas partes exquisitissimi sensus divellens distendensque doloris sensum parit, sed dolor ille gravis est, & lancinans: gravis quia ab humore benigno, lancinans ratione membranarum. Pulsant venæ temporum, id est, micant arteriæ (solet enim sæpissime arterias venas appellare Hippocr. ut tertio de morbis, & in progn. venæ non conquiescentes: At certum est venas diastoles, & systoles motu non agitari.) Pulsant inquam arteriæ dum in procinctu est hæmorrhagia, extraordinario motu, propter earum compressionem, quæ à particulari venarum repletione fit: Sic phlegmone omnis ob eandem arteriarum compressionem, pulsum aspectabilem, & tractabilem habet perpetuo comitem. Est, & aliud jamiam futuræ hæmorrhagiæ signum visus hebetudo, lucem tunc aversantur oculi, lacrymæ profunduntur involuntariæ, & ut scripsit Hippoc. progn. 33. sect. 3. marmariges ante oculos obversantur: Appello marmariges minutula, & divulsa quædam corpuscula maculis marmorum similia: Hebetudinis porro causa est, quia copiosus, & crassus ad superiora elatus spiritus meatus obstruit, unde fit ut denegato aditu spiritui animali, hebescat visus: Apparent autem in aere corpuscula, & permixti colores varij, qui tamen intra corneam sunt, & crystalloidem ex humoris sursum translati vaporibus, qui licet interni sint, externi tamen apparent, quia crystallinus humor externæ assuetus visioni, quæcumque intus sunt, extra esse judicat. Neque vero oculis tantum sed etiam cerebro, & imaginationi visa apparent mendacia, ex quibus jamiam futuram hæmorrhagiam prædicere potest medicus. Sic Galen. l. de prænoscendo, juveni cuidam acute febricitanti prædixit erupturum è naribus sanguinem, cum medici de sanguinis missione contenderent, juvenem scilicet e lecto exsilientem subito viderat, rogatus autem qua de causa exsiiret, cum nihil adesset metuendum: Respondit rubrum serpentem ex regula irrepentem se vidisse, ideoque aufugisse ne aberrans super ipsum delaberetur. Postremum hæmorrhagiæ instantis signum est, hypochondrij distentio fugax, & sine dolore cum spirandi difficultate Distenditur porro hypochondrium, id est, hepar, & intumescit ob sanguinis motum, qui in suo fonte, & venarum radicibus moveri incipit: at hepar est sanguinis, officina, Hippoc. libello de Alimento; difficilis

autem redditur ſpiratio quia dum ad ſuperiores partes viam affectat ſanguis, diaphragma princeps liberæ reſpirationis organum premit, ſed fugax eſt ea reſpiratio, ut & hypochondrij tenſio, ſi enim perſeverarent hæc duo, cum dolore, hepatis inflammati indicia eſſent. Addit, & alia ſigna Gal. aurium tinnitum, ex vaporibus ſurſum elatis, cervicis tenſionem, narium titillationem, adde juvenibus à decimo octavo ad trigeſimum ætatis annum, biliofis, febre acuta correptis.

DE SIGNIS QUÆ SUDOREM CRITICUM prænuntiant.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

Est altera criſeos ſpecies naturæ maximè familiaris, & conſueta, quæ febres ardentes viſcerumque omnium phlegmonas ſæpe ſoluit, ſudor quippe calidus, copioſus, univerſalis: Huic ſi ſuſcipiatur, maxima debetur ſalutis laus. Sudoris hujus critici jamiam futuri ſigna duo ſunt apud Hippoc. urinæ ſuppreſsio, & rigor: De urinæ ſuppreſsione critica meminit ſæpe in prog. ſed eam eleganter deſcripſit ſect. 1. lib. 6. epid. his verbis. Ante rigorem (id eſt ſudorem qui proxime rigorem ſequitur) urinarum ſuppreſsiones ſi ex bonis fuerint. Cur autem ſuppreſsio hæc ſudoris prænuntia ſit, hæc mihi videtur ratio, quod urinæ, & ſudoris eadem ſit materia ſcilicet, ſerum eorum, qui in venis continentur humorum ſi ergo ſeroſi humoris fiat in univerſum corporis habitum translatio, aut ſupprimetur urina aut ſaltem exigua erit illius quantitas, proptèrea qui multum ſudant, parum mejunt, & contra. Alterum futuri ſudoris ſignum eſt rigor: Rigoris cauſa eſt ſeri acrimonia panniculum nervoſum (vulgus carmoſum vocat improprie) exquiſitiſsimi ſenſus vellicans. Rigorem hunc tandem ſequitur ſudor. De eo rigore critico ita ſcripſit Hipp. aphor. 5.8. ſect. 4. febre ardente occupato rigor ſuperveniens eam ſolvit. Addunt recentiores pulſum mollem, fluctuantem, & undoſum, extima omnia his calent, facies rubeſcit, ſentiturque e corpore calidus quidam vapor copioſus efferri. Signa hæc critica ex pulſibus non deſcripſit Hipp. (ut annotavit Gal. 3. de criſibus) vel quia ignorabat, vel quia non exiſtimabat magni momenti. Sunt qui ex inſomnijs ſudoris mox erumpentis ſigna colligant. Nonnulli, (inquit Gal. libello de dignotione ex inſomnijs) quibus per ſudores morbus finiendus erat, lavari, & in aquæ calidæ lacu natare ſe ſomniarunt. Somnia hæc naturalia ſunt, & ſequuntur quippe, & humoris prædominantis naturam, addit Avic. prærubrum urinæ colorem.

DE

DE SIGNIS FUTURÆ VOMITIONIS, & dejectionis alvinæ.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

VEntriculi, inteſtinorum, meſenterij, & hypochondriorum phlegmones ſuperveniente vomitu aut alvi dejectione ſæpè curantur. Eſt igitur uraque vacuatio inter ſpecies criſeon numeranda. Vutriuſque imminentis ſigna hæc ſunt apud Hippocratem: vomitionis quidem faſtidia: cordis morſus, crebræ ſalivæ, tenebricoſa viſio. Jactatio primum adeſt eaque cum nauſea, ob bilem in ventriculo ſtabulantem (inquit Gal.) cum ventriculi os à pravis vellicatur, & mordetur humoribus: Ab eadem cauſa excitatur, morſus cordis, id eſt, oris ſuperioris ventriculi, quod veteres Græci appellaverunt, quia maxima eſt ejus cum corde, & ſymptomata invehere ſolet cardiaca, id autem refero ad ſenſum ejus exquiſitiſſimum, quem nervi duo inſignes ſtomachici dicti à ſexta conjugatione orti impertiuntur. Eſt tertium jamiam futuræ vomitionis ſignum ſputatio frequens, quæ fit exundante humore à ventriculo in os, idque per interiorem tunicam, quam ventriculo, & ori continuam eſſe docet anatome Apparet etiam præ oculis obſcurum quidpiam ob fumidum vaporem, qui ab impuro ventriculo exhalat. Addamus nos alia ſigna, labri ſcilicet inferioris palpitationem, linguæ amarorem, crebram horreſcendi, & ſubſuſandi viciſsitudinem partes infra hypochondrium frigidiores, cordis ſpirandi difficultatem, durum pulſum, & inæqualem, acutum capitis dolorem, cujus cauſam refert Gal. ad vaporis bilioſi acrimoniam, necnon ad ſympathiam membranarum cerebri, & totius nervoſi generis. Diarrhœæ vero ſigna aperuit Hippoc. in coacis prænotionibus his verbis. Quibus ructus, flatus, crepitus ventris, ejuſdemque inflatio, his rapide fertur alvus: Arguunt enim hæc omnia tranſlatum humorem à majoribus vaſis, & à toto corpore in meſenterij venas, & ab his in inteſtina, unde rugitus, & inflatio ventris. Addit in Epid. Hipp. lumborum dolorem: Eſt autem dolor ille ſympathicus per meſocoli continuitatem, quod à ligamentis, quæ lumborum vertebras connectunt, oritur. Ex pulſu, & urina, ſigna diarrhœæ inſtantis petunt Arabes, pulſum parvum, & frequentem eſſe volunt, nrinas verò tenues, & albas apparere, translata quippe ad alvum, & inteſtina copioſiſsima bile: Supprimitur etiam quandoque urina: quia ut mictio noctu plurima facta parvam delectionem denotat aphor. ultimo ſect. 4. ita ſi profuſior futura ſit alvus, aut ſupprimetur urina, aut exigua illius erit quantitas.

DE SIGNIS PERIRRHOEÆ, ID EST, URINARUM profluvij.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

PEr urinas universum corpus expurgari, & gravissimorum virorum auctoritas, & experientia ipsa fidem faciunt. Multos acuto morbo laborantes urinæ profluvio superveniente perfectè sanatos sæpè observavimus. Non enim unicam urinæ agnoscimus materiam, potum scilicet (ut voluerunt quidam) sed, nunc serum quatuor, qui in venis continentur, humorum, (propterea definit Gal.) nunc humores omnes biliosos, pituitosos, melācholicos. Solet (inquit) Gal. commentario in primum epid.) universum corpus deponere pravorum humorum varietatem, & abundantiam per urinas. Est ergo quædam critica, eaque universalis, per quam universum corpus totumque venosum genus expurgatur, cujus meminit Hipp. sect. 2. lib. 1. epid. (inquit) multi urinas profundebant cum dolore biliosas, aqueas, abradentes, quæ tamen non erant nephriticæ, sed his alia pro alis. Est, & quædam critica particularis, quæ partis cujusdam affectum sanat. Sic lienosos multos urinarum nigrarum liberali profusione sanatos vidimus: Erant autem eorum urinæ nigræ, non (quia tales cum aut incendium maximum denotent, aut nativi caloris exstinctionem perpetuo sunt lethales,) sed permistione humoris atri, quem lien expurgabat, & deponebat in renes. Thoracis affectus quamplurimi per urinas salutariter judicantur: Pleuritidis, peripneumoniæ, empyematis, materia per renes, & vesicam sæpè expurgatur. Hoc observavit Hipp. sect. 3. lib. 3. epid. constitutione pestilenti (inquit) omnium quæ circa pulmonem erant, in inferiora erat decubitus. Gal. eam thoracis per urinas expurgationem confirmat cap. 4. lib. 6. de locis affectis. Negant (inquit) quidam abscessu in pulmone orto pus expurgari posse per renes. Nos vero pulmonis vomicam per urinas expurgari vidimus sæpè, & ante Galeni tempora eam puris per renes expurgationem agnoverat Diocles: Mesueus vero, & Rhazius ejus meminere. Quomodo autem, & per quas vias id fiat, lib. 3. controversiarum nostrarum anatomicarum aperuimus: docuimus enim per arterias, & sinistrum cordis ventriculum expurgationem eam fieri posse: id clarissimorum virorum auctoritatibus, & historijs fide dignis illustravimus. Statuatur ergo species quædam crisis. Ejus autem signa nulla tradidit Hippoc. Nos ex reliquarum specierum privatione ea colligemus, ita monente Gal. si enim hæmorrhagiæ, sudoris, vomitus, dejectio-

tionis alvinæ, nulla ſigna luceant, præceſſerint autem, & coctionis, & perturbationis criticæ ſigna, veriſimile eſt, per urinæ profluvium morbum judicatum iri, maxime vero ſi gravitas in hypogaſtrio, & ardor in extremo pudendi perſentiantur, ſi item toto morbi decurſu copioſas, & craſſas minxerit urinas, adde ſenilem ætatem, & tempeſtatem hybernam.

DE SANGUINIS EXPURGATIONE PER UTERUM, & per hæmorrhoidales venas, earumque ſignis.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

SVperſunt excretiones duæ criticæ, profluvium menſtruale, & hæmorrhoides: Illud mulieres pleraſque acuto morbo laborantes perfecte judicare ſolet. Teſtem habeo locupletiſsimum Hippoc. conſtit. 3. l. 1. Epid. Mulieres, inquit, quibus die critico menſes eruperunt omnes periculo morbi defunctæ ſunt: nec ullam ex his quibus recte id contingit, mortuam vidi. Aphor. 158. Coa. prog. febrem ſolvunt ſanguinis profluvia è naribus, alvus bilioſa, copioſa urina, genuum dolores, idem quoque facit in fœmina profluvium menſtruale. Mulier Thaſia copioſo exitu menſium à febre, convulſionibus, & gravi periculo liberatur. Lariſſeam virginem, acuto morbo laborantem, prima menſtruorum eruptio ab interitu vindicavit. Ne longum faciam, ſalutaris, & critica eſt hæc excretio, ſi jure, & loco perficiatur. Ejus autem ſigna hæc tradidit Hipp. in Prorrh. æſtum, & gravitatem lumborum, hypogaſtrij, dolorem, & tenſionem; Addit Galen. 3. de criſ. certiſsima hæc eſſe indicia, ſi aliarum excretionum nullæ apparuerint. Æſtum porro, & gravitatem lumborum perſentiunt, ob copiam ſanguinis eo confluentis, qui venam cavam lumborum vertebris ſuperſtratam diſtendit, à qua ſpermaticus, & hypogaſtricus ramus univerſum uteri corpus rigantes, ſcaturiunt. Sanguinis quæ per hæmorrhoidas fit vacuatio, non ita familiaris eſt, ſolvit tamen plerumque melancholicos omnes affectus, nec non totius venoſi generis, & viſcerum inflammationes. De melancholicis exſtat aphor. 56. ſect. 6. inſanientibus varices, & hæmorrhoides ſupervenientes inſaniam ſolvunt. Venarum autem plethoram, per hæmorrhoidas vacuari ſæpe obſervarunt medici. Hæmorrhoidum namque alias ſtatuunt internas, alias externas. Illæ à ramis portæ, hæ à ramis cavæ oriuntur: illas cacochymiæ vacuatrices, & has plethoræ depletrices vocant. Illæ meſenterij, & hypochondrij ſiniſtri. Hæ

totius venosi generis affectus plerumque sanant. Hujus excretionis quæ per hæmorrhoidas fit, signa nulla traduntur, si tamen coctionis suo die, & perturbationis criticæ signa apparuerint, nullaque sudoris vomitus, hæmorrhagiæ, diarrhœæ, perinhœæ indicia observet medicus, & consueverit æger hæmorrhoidas pati, huic verisimile est mox esse fluxuras.

DE ALTERA SPECIE CRISIS QUÆ FIT PER abscessus, & quæ sint illius signa.

CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

Morbi omnes aut per excretionem, aut per abscessus judicari solent. Excretio in acutis, Abscessus in diuturnis sæpius contingit: acutorum namque materia tenuis est, & natura satis valida. Itaque humorem morbificum nunc per sudores, nunc per urinas, dejectiones, hæmorrhagiam excernit. At diuturni morbi causam agnoscunt, aut naturæ imbecillitatem, quæ humorem morbificum coquere, secernere nequit, aut humoris crassitiem: In his ergo sperabilis non est excretio, sed vel abscessus vel transitus in aliam morbi speciem. Abscessuum n. duæ sunt causæ altera ex parte agentis, altera ex parte materiæ. Agens natura est debilior, materia humor est crassus, aut copiosus, qui à natura regi non potest: ex eorum alterutro abscessus fiunt. Si tenues sint, & calidi humores, non opus est facultate valida, sin frigidi, validum naturæ robur requiritur. Quod si utrunque jungas humoris scilicet crassitiem, & naturæ imbecillitatem maximam, nec fiet excretio, nec abscessus, sed aut morietur æger, aut in aliam speciem transmutabitur morbus. Excretionis species omnes, earumque signa exposuimus, nnnc quibus notis abscessum jamiam futurum indicare possit medicus, aperiamus. Quoniam vero abscessus nomen in Hippoc. doctrina varium est, ac multiplex, ne nobis homonymia imponat, singulæ ejus acceptiones distinguendæ sunt prius Abscessus Græcis si nomen spectes omnem humoris ab una parte in aliam translationem denotat. At quicunque humor transfertur, aut effluit, aut decumbit. Erit itaque duplex abscessus, alter, per excretionem, alter, per decubitum. Hac fusa, & ampla significatione omnis excretio abscessus appellabitur. Meminit abscessuum qui per excretionem fiunt Hippoc. in epid. sect. 1. lib. 2. epid. Optimi (inquit) sunt abscessus, qui per effluxionem fiunt, velut sanguis è naribu. pus ex aure, sputum, urina. Sect. 2. lib. 1. epid. multi abscessus oriebantur aut majores quam ferre posset, aut minores quam ut quicquam prodessent, erant autem dysſente-

ſenteriæ, lienteriæ; teneſmi, ſudores. Nonnunquam abſceſſus tranſmutationem morbi in morbum ſignificat, ut ſect. eadem. Quibuſdam inquit non paucis, ex alijs febribus, & morbis abſceſſus in quartana fiebant. Interdum abſceſſus nomen pro ſuppuratione uſurpat, ut aph. 36. ſect. 1. prog. Tumores in ventre, minus faciunt abſceſſum quam in præcordijs. Abſceſſum interpretatur Galen. ſuppurationem. Sæpe aſceſſus vitium omne cutaneum, & quiquid ſub cute erumpit à cauſa interna denotat, ut ejus tam late pateat ſignificatio quam phymatis. Hoc nomine tubercula omnia exanthemata, ectymata furunculi, abſceſſus dicuntur, ſic ſect. 1. lib. 2. epid. vocat, ſed proprie abſceſſus pro humoris decubitu, qui tumorem facit uſurpatur. Ita abſceſſum hic intelligendum putamus, cujus ſigna primum tradam univerſalia, deinde particularia. Quæ abſceſſum in univerſum prænuntiant, deſcripſit Hippoc. ſect. 3. prog. apho. 23. 24. 25. 26. Si vigeſimnm diem exceſſerit morbus, tunc expectandus abſceſſus, adde ex eodem auctore, ſi nullus dolor affligat, ob inflammationem, aut ob aliam manifeſtam cauſam. Cum enim (ut interpretatur Gal.) triplex ſit cauſa prorogationis febrium, pars affecta curatu difficilis, humor crudus, & craſſus, aut aliquis error commiſſus ab ægro medico, ad ſtantibus, externis: Si nec affecta ſit ea pars, nec error ullus contigerit, ſane longus erit morbus ob humores craſſos, quos cum per excretionem foras trudere nequeat natura, eos in partem ignobiliorem pellere ſolet. Hoc idem in Coac. prænot. ſcriptum legitur: Quibus inveteratio eſt morbi, abſceſſum dolorificum imis in partibus expectare oportet, potiſsimum vero junioribus. Et alibi: in diuturnis febribus aut phymata fundi ſolenr, aut in articulis abſceſſus oriri. Et aphor. 44. ſect. 4. quibus febres longæ: ijs tubercula ad articulos, vel dolores fiunt. Eſt aliud futuri abſceſſus ſignum, urinæ ſcilicet tenues, & crudæ, toto morbi decurſu cum ſalutaribus ſignis apparente. Apho. 34. ſect. 2. Prog. Qui tenuem crudamque urinam diutius mingunt, abſceſſus expectare oportet in partes diaphragmate inferiores. Inſpicere etiam oportet anni conſtitutionem. Hyeme inquit Hippocr. prog. 29. ſect. 3. abſceſſus frequentius contingunt, tardius ceſſant, & minus recurrunt: frequentius contingunt, quia tunc temporis frigidis humor dominatur, tardius deſinunt, ob humoris naturam, & aeris circumdantis frigus, minus recurrunt, quia frigidus humor ad motum omnino ineptus eſt. Sed, & abſceſſum præſagiet Medicus ſi excretionem inchoatam viderit non omnino perfectam conſuevit n. ſæpe natura e xcretionem criticam in abſceſſum converterc: Quod ita docet Hip. 6. epid. part. 2. ſi eorum quæ excernuntur ſuperſit pars aliqua, tunc in abſceſſum morbus eſt facilis. Atque hæc ſunt abſceſſuum ſigna in univerſum, nunc quæ pars, quis articulus ſuperior, an inferior abſceſſum ſuſci-

pere debeat, videamus. Exhauriuntur (inquit Hippocr. Prog. 66. sect. 2.) ad inferas quidem partes quibus hypochondria incandescunt, ad superas autem quibus hypochondrium quidem molle est, & doloris expers, ipsi vero paulisper suspiriosi quiescunt sine causa, verum hæc de peripneumonicis tantum intellge. Nos ex humoris motu naturæ impulsu, & meatuum sursum deorsumve spectantium conditione, & situ, superos, aut inferos abscessus certo conijciemus. Si tenuis sit humor, ad superiores partes potius, si crassus ad inferiores viam affectabit. Si validum sit naturæ robur, deorsum procul, & pro dignitate morbi fiet. Quin etiam si ante morbum pars quæpiam laboravit, in eam morbus decumbet, aphor. 33. sect. 4. Spectare etiam debet Medicus meatuum sursum deorsumque spectantium conditionem, & situm. Nam peculiaris est partium, & rectitudo, per quam humoris decubitus non tam naturæ robore, quam à forma humoris elementari fieri solet: fit autem motus qui elementarem formam sequitur ad perpendiculum.

DE SIGNIS CRISIN COMITANTIBUS.

Ac primum quæ signa sint laudabilis excretionis dum fit.

CAPUT DECIMUMNONUM.

HActenus quæcunque crisin præcedere solent signa, & quomodo tempus, diem, & speciem crisis præsentire possit Medicus ex Græcorum, & Arabum doctrina videor explicasse. Nunc ad alterum signorum genus transeundum est. Signa hæc comitantia voco, quod cum ipsa specie crisis simul appareant, crisinque ipsam dum fit, bona ne sit an mala, perfecta an imperfecta, quasi digito indicent. Signa hæc non aliunde quam ex criticis causis petenda sunt, & ipsemet causæ sunt criticæ. At criticas causas duas tantum agnovit Hippoc. excretionem scilicet, & abscessum: Quæ igitur excretio bona sit, aut mala, quis abscessus legitimus aut illegitimus videamus. Excretio ea salutaris, & bona dici debet, quæ commode fit. Vt autem commode fiat, quatuor requiruntur, qualitas laudabilis, quantitas sufficiens, tempus opportunum, & excernendi modus naturæ familiaris. Qualitas humoris qui excernitur laudabilis erit, si, & peccans, & coctus humor vacuetur. Quod peccans humor excerni debeat, docet Hippoc. Aph. 2. sect. 1. In alvi perturbationibus, & sponte factis vomitionibus, si quidem talia purgentur, qualia purgari oportet,

con-

confert, & leviter ægri ferunt, sin minus contra. Quod humoris excernendi coctio requiratur, sexcentis locis scripsit Hippocr. Nulla unquam in cruditate salutaris crisis expectanda est: Quicunque diebus criticis riguerunt, indeque meraca vomuerunt, pessime omnes habuerunt. Si cui bilis atra sursum deorsumne exeat. Damnantur nigræ, æruginosæ, & crudæ omnes, id est à natura non domitæ dejectiones. Eorum enim humorum effeta vis non minus exitiosa est partibus, per quas redit, quam earum partium à quibus manat exitium ostendit. Secundo ut salutaris sit excretio, requiritur quantitas. Debet humor noxius totus vacuari, non per partes. Quæ enim relinquuntur in morbis relapsus facere consueverunt aphor. 12. sect. 2. Debet etiam moderata esse quantitas: Vt enim nihil paucum est criticum, ita quod nimium est damnatur. De eo quod paucum est, exstat solemne Galen. edictum commentario ad aphor. 47. sect. 2. prioris. Prorrhetici (inquit) eorum quæ critica sunt nihil convenit esse paucum. Rationem subjungit eodem loco: Quia quod paucum excernitur, aut malignos, & multos humores naturæ dominatu regi non posse, aut summam naturæ fatiscentis exsolutionem denuntiat. Suspectæ sunt apud Hippo. sudatiunculæ, substilla sanguinis, exigui vomitus. De sudatiuncula hæc scripsit in prog. sudores miliares quo cervix, & claviculæ tantum exsudant, pessimi sunt. In coacis prænotionibus. Qui exiguo sudore madent cum febre, male se habent. De substillo sanguinis exstat Aphor. 58. Coacarum prog. perexigua sanguinis stillicidia sunt prava. Sectione 3. lib. 1. epid. Philisco. Epaminoni, & Sileno: pusillum quid è naribus stillavit, & interiere. Mulier puerpera febre ardente correpta, decimo quarto die è naribus sanguinem profundit, interijt tamen, quia evacuationis quantitas, magnitudini morbi non respondebat. De exiguo vomitu legite aph. 47. sect. 2. prioris prorreht. inquit, Pauci vomitus biliosi, mali sunt. Exigua igitur omnis excretio, sive per sudores fiat, seu per vomitum, aut hæmorrhagiam, aut alvi profluvium, suspecta esse debet. Quod unico aph. complexus est mirus Hippoc. his verbis. Exigua apparere, ut sanguinis stillicidia, urinas, sudores, vomitus, dejectiones, est quidem omnino malum, sed eo pejus quo frequentius reverterint. Immodica etiam excretio periculosa est, ait Hippoc. aph. 51. sect. 2. omne nimium naturæ est inimicum, & aphor. 22. sect. 2. prioris prorrhet. In acuta febre qui copioso sudore diffluuunt, male se habent. In epid. profusior omnis hæmorrhagia terrifica est, liberalior urinæ, & alvi profusio multos ante diem ad exitium præcipitavit. Hæc itaque excretionis laudabilis secunda lex sanciatur, ut moderata, & sufficiens ejus sit quantitas. Tertio requiritur tempus, id est, dies criticus: Quæcunque enim diebus non criticis contingunt, suspecta sunt. Sunt ni velut arbitri, & judi-

judices disceptationum naturæ, & morbi, propterea eos, fœcuudos appellare solet Hippocr. Postremo in excretione laudabili ipse excernendi modus considerandus est. Debet primum confertim fieri, non sensim, & paulatim. Debet etiam fieri per loca conferentia, & legi naturæ commoda, quæ vocat Hippocr. ut autem per loca conferentia fiat vacuatio, tria sunt necessaria. Primum ut locus non sit loco morbi dignior, deinde ut habeat rectitudinem, postremo ut transitus patentes habeat. Primum interpretor, ut per nobiliora loca non fiat extretio: Nam quæ ab ignobilioribus ad nobiliores fit, periculo non vacat. Empyicorum, pleuriticorum, & perineumonicorum materia in thoracis cavitate contenta, sæpe per arterias, & sinistrum cordis sinum expurgatur in renes, unde urinæ abradantes, & stranguriosæ, sed in ea expurgatione multi motiuntur, & hoc plerisque imponit, qui abscessum in corde ivisse clamitant. Fieri autem per sinistrum cordis sinum, & arterias eam puris expurgationem, primus omnium Diocles prodidit, & post eum Galen. cap. 4. lib. 6. de locis affectis: Nos vero lib. 3. controversiarum nostrarum anatomicarum, vias eas aperuimus, & historijs fide dignis illustravimus. Debet secundo fieri excretio secundum rectitudinem è directo. Nam quæ fit, è diverso, damnatur ab omnibus, sic aph. 33. sect. 3. prioris prorrh. sanguinem è diverso fluere malum est, ut in liene magno si è dextra nare fluat, & de hypochondrijs eodem modo. Arguit excretio hæc quæ fit è directo, validam naturæ contentionem, ut quæ è diverso fit humoris malignitatem, & obsessæ partis imbecillitatem. Tertio requiriur ut locus transitus habeat patentes, id est, ut meatuum adsit libertas: fitque, quod ita expressit Hippo. sect. 3. lib. 6. epid. transitus apertos esse oportet, & alia quibus opus est: Vbi notabis Hippoc. laudabilis excretionis notas omnes indicasse his verbis, ut oportet, & qualia, & quando, & qua parte, & quantum opus est. Prima particula excretionis modum designat, secunda qualitatem, tertia tempus, quarta rectitudinem postrema quantitatem. Loca porro naturæ familiaria, & ordinaria, per quæ excretiones fiunt, sunt aures, nares, intestina, uterus, pudendum, venæ narium, hæmorrhoidum, & cutis ipsa. Nam per hæc effinunt pus, sanguis, sputum, urinæ dejectiones, sudores. Sunt hæc omnia laudabilis excretionis signa universalia: Particularia vero cujusque ut sudoris, vomitus, dejectionum urinæ, hæmorrhagiæ, ex Hippocr. progn. petenda sunt. Quæ nos uno capitulo ad finem hujus operis in rudiorum gratiam complectemur. Adde his omnibus, morbi speciem ægrotantis naturam, ætatem, auni tempus.

DE

DE SIGNIS LAUDABILIS, ET LEGITIMI abſceſſus.

CAPVT VIGESIMVM.

LEgitimi, & ſalutaris abſceſſus conditiones, paucis verbis ita expreſsit divinus ſenex, ſect. 2. lib. 6. epid. conſiderandum quo, unde, & propter quid. Quo, partem denotat in quam decumbit, unde, partem ex qua, propter quid, cauſam deſignat, ob quam oboritur abſceſſus, id eſt, num à natura cocto morbo, aut à materia cogente, & divexante adhuc humore crudo. De partis in quam decumbit humor conditione primum dicam. Debet eſſe inferior, ignobilior, remota ab affecta parte, & totius materiæ morbificæ capax. Itaque ratione partis ſuſcipientis debet legitimus abſceſſus fieri deorſum, procul à morbi foco, & pro dignitate morbi. Quod deorſum, & procul fieri debeat docet Hippoc. ſent. 17. ſect. 1. lib. 6. epid. Sin infra umbilicum ſuperiora conſtiterint in inferioribus articulis bonum, & prog. 67. ſect 2. prog. Abceſſus qui erumpunt ad crura in peripneumonia vehementi utiles omnes ſunt. Apertius ſect. 1. lib. 2. epid. Optimi, inquit, ſunt abſceſſus qui infra fiunt, & longiſsime ifra ventrem, & remotiſsimi ſunt à morbo. Quod partis recipientis capacitas requiratur, docet idem auctor in epid. prorrh. & coa. ſect. 1. lib. 2. epid. Debet abſceſſus legitimus fieri pro morbi dignitate: id autem contingit dum in partem humoris morbifici capacem decumbit, ſi ſecus contingat periculum eſt recurſus ad nobiliores partes, unde cita mors venit Partic. 2. lib. 2. epid. exanthemata apparebant parva nec digne morborum excretioni reſpondentia, inde mox rurſum evaneſcentia, eadem ſect. multi abſceſſus oboriebantur, aut minores quam ut quicquam prodeſſet aut majores quam ferre poſſent. Inprorh Quæ apud aures extuberant in paraplecticis ſuſpecta ſunt, quia magnitudini morbi non reſpondent. Exſtant ad hujus rei illuſtrationem elegantes hiſtoriæ in epid. Æger nonus ſect. 3. lib. 1. Crito abſceſſum habuit in magno pedis digito, nocte deliravit, poſtridie interiit. Hiſtoria quinta particulari ſect. 3. epid. Clauus Lariſſeus fœmur dextrum doluit, quarto die circa meridiem mortuus eſt, celerrimi, & acutiſsime ſect. 1. lib. 2. Temeni neptis ex vehementi, & acuto morbo abſceſſum habuit in digito, cumque pars totius materiæ non eſſet capax recurrente eadem ad ſuperiores, & nobiliores partes interijt. Conſiderandum igitur in abſceſſu laudabili ex ſummi Hipp. mandato, quo id eſt, in quam partem fiat decubitus ſpectandum etiam eſt, unde id eſt, à

qua

qua parte dextra ne an ſiniſtra: ſi dextra laboret pars, in dextram fit decubitus, ſi ſiniſtra in ſiniſtram. Atque ut in excretione requiritur ita, & in abſceſſu. Sic Herophonti cum intumuiſſet lien obortus eſt in crure abſceſſus, & præter ſpem convaluit. Poſtremo conſiderandum eſt propter quid, id eſt, ut interpretatur Galen. num cocto à natura morbo fiat, aut eadem irritata: ſi crudo exiſtente morbo oboriantur abſceſſus, pravi ſunt, & morbum perfecte non judicant: Cruda enim (inquit Hippocr. ſect. 2. lib. 1. epid.) incocta, & in pravos abſceſſus converſa, aut morbi longitudinem, aut periculum, aut mortem minantur, & aphor. 66. ſect. 2. prog. Si ſputum non facile excernatur, neque urina hypoſtaſin habeat laudabilem, periculum eſt ne ab abſceſſu articulus claudicet, aut multum moleſtiarum exhibeat. Eſt igitur ut rem in pauca contraham ſalutaris, & legitimus ille abſceſſus qui fit deorſum procul à parte affecta, pro dignitate morbi ſecundum rectitudinem & morbo à natura concocto.

DE SIGNIS CRISIN CONSEQUENTIBUS.

CAPUT VIGESIMUMPRIMUM.

TErtium supereſt criticorum ſignorum genus, quod criſin jam factam perfecta ne ſit, an inperfecta: ſecura, an infida nobis commonſtrat. Signa hæc conſequentia appello, quia criſin conſequuntur. Ea autem ex qualitate corporis, actionibus, & excrementis petenda ſunt. Qualitas corporis cernitur in colore, figura, & mole totius, ſed præſertim facie. Actiones tres ſunt, naturalis, vitalis, animalis; naturalis, coctione, diſtributione, & excretione abſolvitur, vitalis in pulſu, reſpiratione, colore, & calore totius lucet. Animalis aut princeps eſt, aut motrix, aut ſenſifica. Excrementa hic intelligo univerſalia, urinas, & dejectiones. In his tribus ſigna omnia quæ criſin conſequuntur apparent, & ex his perfectam, aut imperfectam criſin, ſalutarem aut lethalem judicabit medicus. Abſoluta igitur criſi per inſignem aliquam excretionem. Quialitatem primum corporis ſpectare debemus in colore, & mole: ſi enim bene ſit colorata facies, ſalutaris fuit excretio, ſin color lividus, citrinus, niger, ſymptomatica. Si quæ prius à morbo, & febris vehementia intumuerat facies, repente detumeſcat, perfecta eſt criſis: ſi vero poſt criſin, faciei tumor remaneat, ſintque adhuc turgidulæ palpebræ, periculum ſubeſt relapſus. Hoc docuit me divinus ſenex ſect. 5. lib. 2. epid. ſi cui febricitanti facies die critico extenuetur, ſequenti die ſolvetur omnino morbus. Hoc idem in Coacis Prænorionibus ſcriptum legitur, Facies extumeſcente reſidens,

vox

vox idem blandior, tum spiritus rarior, & facilior, remissionem perfectam fere denuntiant. Observata corporis qualitate actiones omnes percurrere debet medicus, primumque naturales. Nam si peracta crisi, cibum appetit ex animi sententia, bene coquit, & dejicit, atque ut brevius dicam bene ingerit, digerit, egerit, de relapsu non est quod metuamus. Quod si nausea, cibi fastidium ructus acidi, aut nidorulenti, sitis, hypochondiorum tensio: remanserit, signa sunt impuritatis aluinæ, & reliquiarum, unde relapsus. Vitalis facultas in respiratione, pulsu, colore, & calore totius conspicua est. Si itaque pulsus æqualis, remissior, & temperatus sit, si spiritum ducat ex facili, si color sanorum similis, si denique omnis alieni caloris sit expers, planeque perfectam, & salutarem omnino crisin exclamet medicus. Quod si frequens sit pulsus, calorque acrimonia quamtumvis levi tactum feriat, recidivam polliceatur. Remansit enim quod superesse cujusdam visceris intemperiem testatur, à qua nova humoris generatio fieri potest: At quæ relinquuntur in morbis, relapsus facere consueverunt aphor. 12. sect. 2. Ex animalibus facultatibus, signa hæc petenda sunt, si absoluta crisi mens tranquilla sit, non deliret, sensus integerrimi sint, decumbat in alterutrum latus, manibus, pedibus, cruribusque modice reflexis perfecta fuit crisis, sin minus imperfecta Postremo, ex universalibus excrementis, urinis scilicet, & dejectionibus, indicia quædam perfectæ, aut imperfectæ criseos peti possunt: Si post crisin urinæ tenues appareant, relapsus periculum subest. Æger secundus sect. 1. lib. 3. epid. Hermocrates decimoquarto die liberatur à febre, decimoseptimo urinæ tenues apparuerunt, vigesimoseptimo mortuus est. Vrinæ etiam rubræ post crisin, reliquiarum aliquid superesse arguunt. Sunt hæc omnia crisin consequentia signa. Sed inter ea principatum obtinet somnus: quando quis nuper morbo defunctus suaviter dormit, signum est firmissimæ, perfectæ, & absolutæ criseos. Hoc docuit Hippoc. in Coac. præno. Somni pro fundi nec turbulenti firmam, & stabilem crisin significant, turbulenti vero, & cum dolore corporis, inconstantes sunt. Atque hæc sunt signa omnia critica, & antecedentia, & comitantia, & consequentia.

LIBER SECVNDVS.

IN QUO DIERUM CRITICORUM DIFFERENtiæ omnes, & eorundem vires explicantur.

Quomodo dies critici à medicis inventi sint.

CAPVT PRIMVM.

TANTA apud Antiquos fuit olim superstitio, ut certo quodam dierum numero omnia constare, ab his pendere singula, his vitam hominis dispensari existimaverint. Sanctissimos Ægyptiorum sacerdotes in privatis, & politicis actionibus peculiares dies observasse legimus, Græci suos habuerunt dies, quos nefandos appellarunt. Fuerunt apud Romanos atri, & infausti quidam dies, qui ex Pontificum decreto, neque præliares, neque puri, neque comitiales erant. Rustici, & agricolæ in plantarum amputatione, ac satu dies peculiares observant. Astrologi, & Genethliaci in suis natalitijs maximam dierum rationem habent. Sunt, & nautis suspecti quidam dies, quibus mari se non audent committere. Tales notantur Martij primus, septimus, quintusdecimus, septimus, & decimus, vigesimus quintus: Aprilis quintus, sextus, duodecimus, vigesimus, Februarij sextus, quintusdecimus, septimusdecimus, nonus, & decimus, vigesimus. Sunt, & felices in mari dies, quibus venti omnino consilescunt, summaque in mari notatur tranquillitas, Alcyonios vocant. Verum superstitiosa hæc omnia incerta, fallacia. Præclarius Medici, certa, & longa experientia edocti philosophicam dierum contemplationem, medicæ artis exercitationi subjecerunt. Cum enim in morbis dies alios, alijs potentius decernere, & imparibus ferè omnibus, naturam adversus morbum insurgere, insignique aliqua excretione, aut abscessu humorem morbificum nunc foras, aut intro, aut aliò quo oportet trudere observarent. Dies quosdam statuerunt quos in universum criticos, decernentes, judicatorios, de-

decretorios vocarunt, eorum alios salutares, & faustos, alios lethales, infaustos, & nefandos statuentes. Hos admirandus Hipp. primus omnium quorum memoria ad nos pervenit in epid. aphor. prog. & lib. de judicationibus accurate descripsit, salutares passim fœcundos appellans. Hunc sequuti sunt Archigenes. Diocles, Heraclides Tarentinus, Philotimus. Neque verò summo illi Philosopho, & naturæ genio Aristoteli, incognita fuit dierum criticorum vis. Nam cap. 6. lib. 5. Physicor. morbi solutionem quæ diebus verè criticis contingit vult fieri, secundum naturalem alterationem. Quæ vero diebus non criticis, per violentam alterationem. Tandem subsequutus est Galen. qui dierum omnium naturam, differentias, & vires libris tribus ita accurate, & eleganter descripsit, ut nihil ferè desiderari possit. Nos secundo hoc libro dierum criticorum differentias omnes, & quæ sit cujusque diei dignitas atque in dicernendo vis clarius explicabimus.

QVID SIT DIES MEDICUS, ET QUÆNAM ejus sint partes.

CAPVT SECVNDVM.

Antequam dierum criticorum differentias aperiamus videamus primum quid dies sit medicus, & quot sint ejus partes. Diem Astrologi duplicem faciunt, naturalem, & artificialem. Naturalis viginti quatuor horis constat æqualibus, quæ æquinoctiales dicuntur Galen. 7. 8. method. Ejus diei partes sunt duæ, dies id est, sol lucens super terram, & nox id est, umbra terræ in solis oppositum diametraliter extensa. Artificialis dies dicitur quamdiu sol est supra terram, hic inæqualis esse solet, nam æstate longior est, hyeme brevior, & ejus horæ inæquales sunt, temporales appellatæ. Dies medicus, & criticus naturalis est constatque 24. horis. Hoc docuit Galen. 1. & 2. de crisib. lib. de septimestri partu. Diem, inquit, appello intervallum 24. horarum æquinoctialium: sic & annum trecentis, & sexagintaquinque diebus, & quarta insuper diei parte constare dicunt. Diem porro Athenienses, Persæ, & Boæmi à solis occasu incipiunt. Vmbri, & Arabes a meridie, Babylonij ab exorto sole, Egyptij, & Galli à media nocte, Medici ab ea hora qua cœpit æger decumbere, & manifeste laborare, ut post hæc fusius demonstrabitur. Diem naturalem veteres Romani in partes undecim secuerunt, mediam noctem: Gallicinium, conticinum crepusculum, matutinum, diluculum, auroram, diem clarum, meridiem, tempus occiduum, supremam tempestatem, & vesperam,

Medici diei naturalis quatuor tantum ſtatuunt partes, matutinum tempus, meridianum, veſpertinum, & nocturnum. Hoc primus indicavit Hippoc. ſect. 1. lib. 2. epid. & ſect. 1. lib. 6. dum ſcribit, veſperi exacerbari, & annum ad veſperam, & aſcarides Gal. in comment. diem toti anno proportione reſpondere vult, ut enim quatuor ſunt anni partes, ver, æſtas, autumnus, hyems, ita diei Matutinum tempus, veris analogiam præ ſe fert, æſtati aſsimilatur meridies, Autumno veſpertinum tempus, nox autem hyemi. Horis matutinis dominatur ſanguis. Circa meridiem quæ æſtuoſa eſt bilis. Circa veſperam melancholicus humor. Noctu pituita. Obſervarunt Arabes, morbos à ſanguine obortos mane exacerbari, quia tunc temporis movetur ſanguis, & ea ratione matutinis horis mittendum ſanguinem præcipiunt, melancholici omnes affectus circa veſperam magis affligunt: pituitoſi noctu, unde nocturnæ febres fere omnes ſunt pituitoſæ. Ita ergo diei naturalis quatuor ſunt partes in Græcorum, & Arabum Medicorum doctrina, quibus ſingulis criſes contingere poſſunt, ſed nocturnæ periculoſiores eſſe ſolent. Iam vero criticus dies dicitur, qui decernit, qua fuſa, & ampla ſignificatione omnis dies criticus dici poteſt, quia quolibet die judicari poteſt morbus. Sed proprie, & verè criticus dies is dicitur, qui frequenter, & ſecure decernit, cum excretione, vel abſceſſu.

DIFFERENTIÆ DIERUM CRITICORUM EX Hippocrate.

CAPUT TERTIUM.

Dierum criticorum numerus, eorundem vires, & differentiæ multis quidem difficultatum involucris ſunt implicatæ. Nos tamen ſingula hæc explicare, & in perſpicuam lucem proferre conabimur. Atque ut ordine progrediatur diſputatio noſtra, quid admirandus Hippocr. quid Galen. ea de reſcriptis mandarint primum aperiemus. Deinde quid ſentiamus paucis explicabimus, Hippocr. criticorum dierum differentias, aliter in epidem. aliter in progn. & aphor. tradidit. Sect. 3. lib. 1. epid. dierum alios impares, alios pares ſtatuit. Pares ſunt quartus, ſextus, octavus, decimus, decimus quartus, vigeſimus octavus, trigeſimus, quadrageſimus octavus ſexageſimus, octogeſimus, centeſimus. Impares ſunt tertius, quintus, ſeptimus, nonus, undecimus, ſeptimus decimus, vigeſimusprimus, ſeptimus, & vigeſimus; trigeſimus primus. Intereà emendandus Hipp. locus. Nam in Græcis codicibus ita legitur: circuituum, qui judicant imparibus diebus, primus, tertius, quintus, ut ita videatur primus

mus dies esse criticus: Quod tamen falsum est. Nam apud eundem Hip. (ut suo loco demonstrabitur) primus, & secundus dies non sunt decretorij, cum nullus morbus cujus coctionem, expectamus, finiri uno die posit, quamquam eadem die sæpè mori contingit, ut ex angina, &c. Legendum ergo loco ut sit auctoris hic sensus. Primus dies impar est, tertius vel circuituum qui judicant imparibus diebus, primus est tertius, ut eorum qui decernunt diebus paribus, primus est quartus, neque etiam secundi diei meminit eo loco. Itaque ut eo redeamus, unde digresi sumus. In epidemijs dies omnes, quibus crises contingunt perfectæ, criticos appellavit, quia tunc temporis, quæ singulis ægrotis contingebant bona, aut mala observabat Hippoc. neque certa erat adhuc, & explorata crisimorum dierum cognitio: Et sane (ut annotavit Galen. Epidemiorum libri sunt, & velut observationes quas sibi ab memoria, non alijs scribebat. Accuratius in prog. & Aph. aureis, & plane divinis libris, criticorum dierum differentias proposuit, & eos tantum, qui vere sunt critici, quibus frequentes, fidæ, & sæcuræ contingunt crises descripsit. Itaque quaternarios omnes in acutis morbis potenter decernere voluit: acutorum autem terminum statuit vigesimum diem. Sunt hæc Hippoc. verba sect. 3. prog. Primus acutorum impetus quarto die finitur, secundus ad septimum producitur, tertius ad undecimum, quartus ad decimumquartum, quintus ad decimumseptimum, sextus ad vigesimū. Hi igitur impetus ex acutisimis morbis per quatuor ad viginti ex aditione desinunt. In aphor. eadem fere scripsit, aph. 24. sect. 2. Septenorum quartus est index. Alterius septimanæ octavus principium: est autem, & undecimus spectandus, ipse enim quartus est alterius septimanæ. Rursus vero septimusdecimus spectandus, ipse siquidem est quartus à quartodecimo, septimus verò ab undecimo. Itaque à primo ad vigesimum sex sunt quaternarij, & tres septimanæ, quæ ita numerandæ sunt ut secunda à prima omnino separetur, id est ut octavus dies secundæ principium sit: tertia vero cum secunda copuletur, id est quartus decimus dies bis numerrtur, ut ita in vigesimum diem non primum, & vigesimum cadat crisis. Inter cidentium dierum non meminit in prog. & apho. quoniam quæ his diebus contingunt crises, & imperfectæ sunt, & potius aut ob aliquod extrinsecus adveniens irritamentum contingunt, quam ex lege, & præscripto natuæ. Hæc est admirandi Hipp. de criticorum dierum differentijs doctrina.

DIFFE-

DIFFERENTIÆ CRITICOROM DIERUM EX Galeno.

CAPVT QVARTVM.

GAlenus, quæ paulo obſcurius à ſummo Hippoc. tradita erant, ſcriptis illuſtravit elegantiſsimis libris tribus de criſibus, & totidem de diebus decretorijs. Itaque dierum duos ſtatuit ordines. Alij bene, & perfecte judicant. Alij male, & imperfecte. Eorum qui bene judicant, tres ſunt differentiæ. Alij principes dicuntur, qui eas omnes habent notas, quæ ad perfectam criſin requiruntur, decernunt quippe ſecure, perfecte, manifeſte, cum indice, tales ſunt ſeptimus, decimus quartus, vigeſimus. Alij ad eos accendunt proxime, ut nonus, undecimus, ſeptimus decimus. Alij minus perfecte judicant, ut tertius, quartus, quintus. Qui imperfecte, & male judicant, ſuos etiam habent dignitatis aut potius malitiæ gradus. Alij namque frequenter decernunt, ut ſextus qui Tyrano confertur. Alij rarius ut octavus, & decimus: Alij rariſsime, ut duodecimus, & ſextus decimus. Itaque ex Hipp. & Galen. ſcriptis hæc colligo: tres eſſe ordines circuituum, primus ad vigeſimum diem. Altera ad quadrageſimum. Tertius ad centeſimum extenditur. Primus ſex conſtat quaternarijs. Secundus tribus ſeptenarijs. Tertius tribus vicenarijs. Quaternarij omnes à primo ad vigeſimum critici ſunt, Septenarij omnes à vigeſimo ad quadrageſimum vicenarij à quadrageſimo ad centeſimum. Statuantur ergo tres dierum criticorum circuitus. unus minor ex quaternionibus alter major, & ex ſeptimanis. Tertius maximus, & perfectiſsimus ex viceſimo in ſe aucto, & multiplicato. Sed hæc junioribus obſcuriora fortaſſe videri poterunt, noſtra igitur diviſione illuſtriora clarioraque evadent.

PERFECTA, ET VERA DIERUM CRITICORUM diviſio.

CAPVT QVINTVM.

DIes criticos, appello, in quibus mutationes contingunt plurimæ, ac firmæ. Eorum in morbis acutis tres omnino ſtatuto differentias. Alij ſunt vere, & perfect critici. Alij indices. Alij intercidentes. Perfecte critici, abſolute dicuntur aut principes, Barbari radicales dicunt, quo-

quoniam quæ his diebus contingunt crises, omnes perfecte criseos notas habent. Ejusmodi sunt septenarij tres, septimus, quartusdecimus, vigesimus. Debet perfecta crisis esse indicata. At quilibet septenarius, sum habet indicem, septimus quartum, quartus decimum, vigesimus septimum decimum. Debet esse manifesta, cum excretione laudabili, vel abscessu: At solet natura sponte nullo lacessita pharmaco, septimo die, decimo quarto, vigesimo humores excernere. Debet esse sine periculo: At illis diebus plures sanantur, quam moriuntur, ut observavit Gal. cap. 7. lib. 2. de diebus decretorijs plures quam quadringentos homines acuto morbo laborantes æstate unica septimo die perfecte judicatos fuisse. Hi ergo tres vere, & absolute critici, ac principes dici debet. Secundus criticorum dierum ordo eorum est, quos vocat Hippoc. nos contemplabiles, indices, internuncios, contemplabiles quod eorum observatio ad crisis præsentionem Medico necessaria sit. Indices quod criseos die principi futuræ, signa in his luceant, indicentque diem crisis, si coctionis signa in excrementis appareant universalibus urinis præsertim: sic in progn. & aphor. urina quæ quarto die hypostasin habet albam, lævem, æqualem, solutionem morbi septimo fieri ostendit. Sunt autem indices dies numero tres, quartus, undecimus, septimus decimus; quia tres tantum septimanæ, & quilibet septenarius suum habet indicem, primus quartum, secundus undecimum, tertius septimum decimũ. Tertius superest criticorum dierum ordo, quos Græci, Latini intercalares, intercidentes, interrepentes appellant, quia inter vere criticos, & indices intercidunt, intercalantur. Quidam provocatorios dicunt, quod naturam proritent, & ante tempus excernere cogant. Ejusmodi sunt in prima septimana tertius, & quintus in secunda nonus, & tertius decimus, in tertia decimus nonus. Sunt autem hi in morbis acutis ea prærogativa critici, quia impares, & quæ illis diebus crises contingunt, imperfectæ sunt, quia naturæ motum, & ordinem non sequuntur, sed irritata, ac lacessita natura fiunt. Tot ergo à nobis crisimorum dierum statuuntur differentiæ, ut alij sint principes, alij indices, alij intercidentes. Reliqui omnes ut sextus, octavus, decimus, duodecimus, sextus decimus, octavusdecimus à Doctis quibusdam vacui, & medicinales dicuntur: vacui quia nec decernunt, nec indicant, nec provocant. Medicinales v. quia illis diebus ægris mederi eisque cathartica citra periculum exhibere potest Medicus. Hoc apertissimis verbis expressit Divinus senex lib. 4. de morbis. Quicunque, inquit, febre continua correpti cathartico diebus paribus usi sunt, hi nimium purgati sunt nunquam: At qui diebus imparibus cathartico sunt usi, nimium sunt purgati, & multi perierunt. Dies hos quidam criticos artificiales vocant, quod arte medica morbos judicent, id est, solvant.

QVOD

QUODNAM SIT MORBI PRINCIPIUM, ET A QUO die numerare debeat medicus.

CAPUT SEXTUM.

Antequam dierum criticorum vires, & quæ cujuſque ſit in decernendo dignitas aperiamus, videndum prius quid ſit morbi principium: Eo enim ignorato quis primus, quis quartus aut ſeptimus dies dici debeat, ſtatui non poteſt. Principij apud Hipp. & Galen. multiplex eſt acceptio, ut colligo ex com. in 1. progn. ex com. ad aphor. 12. ſect. 1. ex lib. 1. de criſi cap. 6. 7. 8. & ex lib. de totius morbi temporibus. Sæpè principium denotat primum morbi inſultum, nullam adhuc latitudinem obtinentem. Principium illud momentaneum eſt, & fere indiviſibile, conſiſtit in puncto Secundo, principium ſumitur pro primo die decubitus, ut dicatur tunc morbus incipere cum decumbit æger. Interdum ſignificat eum inſultum qui ad aliquod tempus, tertium ſcilicet, vel quartum diem extenditur, ut primus quaternarius principium morbi dici poſsit. Quinetiam primum morbi tempus denotat, cum morbum in quatuor dividentes tempora principio, incremento, ſtatu, & declinatione conſtare pronuntiamus. Nonnumquam principium pro toto cruditatis tempore uſurpatur, ut tandiu dicatur morbus eſſe in principio, quandiu humorum adeſt cruditas, licet ad decimum quartum diem extendatur. Hac principij ſignificatione utitur paſsim Hipp. in aphor. 22. ſect. 1. Cocta medicari atque movere non cruda, nec in principijs, & aphor. 24. ejuſdem ſect. In acutis morbis raro, & principijs medicamentis purgantibus utendum, quamdiu ſcilicet crudus eſt humor. Poſtremo uſurpatur principij nomen pro eo tempore quo manifeſtam perſentit æger actionum læſionem, & febris adeo facultates lædit, ut rectus ſtare amplius nequeat, ſed coactus decumbat, ſi per tempus, occaſionem, & locum liceat. Hæ ſunt principij omnes apud Hipp. & Gal. acceptiones. Nunc quomodo in hiſtoria critica principium intelligi debeat videamus. Non à primo quaternario, neque ab humorum cruditate principium inchoandum, ita enim tertius dies non eſſet criticus, & aliquando decimus quartus primus eſſet morbi dies, quia poteſt ad decimumquartum extendi naturæ oppreſſio, & humorum cruditas. Non à primo inſultu primum morbi diem numerare debet Medicus, quia principium hoc eſt inſenſile, & momentaneum: At Medicus ſenſualis eſt artifex. Non à primo die decubitus, fieri enim poteſt ut delicatior quiſpiam levi de cauſa, & ſine febre decumbat: Contra ſæpe contingit robuſtos, vel gravioribus negotijs occupa-

cupatos, licet febricitent, tardius decumbere quam deberent. Quid igitur ſtatuendum? Solvit eleganter quæſtionem hanc Gal. primo de diebus decret. docetque ab ea hora principium morbi inchoandum, qua ſentit æger manifeſtam actionum læſionem, & qua febris adeo facultates lædit, ut rectus ſtare nequeat. Id confirmat ſummi Hippocr. auctoritate. Scribit enim in epid. Lotos pleroſque, cœnatos ac bene cibum capientes, derepente morbo correptos fuiſſe. Sect. 3. lib. 1. epid. Eraſinus ſtatim à cœna igne correptus. Pythion primo die tremore manuum cum febre acuta vexatus eſt, Calvum Lariſſeum femoris dextri dolore cum acuta febre derepente prehenſum legimus, controv. epid. 1. ſcribit Hipp. multis ad alteram aurem obortos tumores, plurimis ad utramque ſine febre, & rectis, & ſect. 1. lib. 3. epid. Eum qui inDealcis horto jacebat, diu capitis gravitate laborantem, dextroque tempore dolentem cum occaſione, igne prehenſum fuiſſe, & jacuiſſe ſcribit. Ex quibus planum fit, & apertum ab eo die principium morbi numerandum, quo cepit æger febricitare non dolere, nec alijs ſymp. infeſtari.

AN IN PARTU PRINCIPIUM MORBI A DIE partus numerandum ſit, an à die febris.

CAPVT SEPTIMVM.

Contra noſtræ concluſionis veritatem objici multa ſcient quæ diluenda ſunt. Nam ſi principium morbi ab eo die inchoandum, quo cæpit febricieare. E. & impartu, & in capitis vulneribus, & in viſcerum inflammationibus, principium à die febris numerandum: At contrarium ſuadent, ratio, experientia, & graviſſimorum virorum Auctoritas. De partu primum dicam. Conſtans eſt Hippoc. Galen. Avic. omnium denique Medicorum aſſertio, non à die febris, ſed à die partus principium morbi numerandum. Sententia 10. ſect. 3. progn. hæc ſcripſit Hippocr. juxta vero eandem rationem mulieribus quoque judicationes fiunt à partu. Galen. in com. clarius Hippocr. ſententiam enarrat. Principium (inquit) numerationis tibi fiat non quo die cœperint febricitare, ſed quo pepererint. Sect. 2. lib. 3. epid. in ægris decimo 11. 12. ſupputationem à die partus facit Hippocr. Hujus rei eſt evidens demonſtratio. Nam ab eo die numerandum morbi principium quo incipit moveri humor. At in die partus moveri incipit humor. Eſt enim ex ſummi Hippc. doctrina lib. de ſeptimeſtri partu, partus velut quædam criſis, & eo die maxima eſt naturæ contentio, quo tempore qui latitant humores exagitari incipiunt. Itaque ex

eo humorum motu, & naturæ contentione ſupputatio fieri debet non à die febris. Sic in omni inflammatione non à die febris, ſed à die inflammationis ſupputatio facienda, quia febris illa ſymptomatica eſt. Verum ſibi ipſi adverſari videtur Hippocr. Nam ſect. 3. lib. 1. epid. in Philini uxore morbi principium numerat à die febris non à die partus. Huic (inquit) 14. à partu die ſupervenit febris, ſexto die deliravit, vigeſimo interijt. Erat autem vigeſimus ille dies trigeſimus quartus à partu. Expedita reſponſio eſt, ſi febris poſt ſextum aut ſeptimum diem ſupervenerit jam non à patiu, ſed à die febris computationem faciendam, quia febris hæc non ſequitur humoris motum, qui paulo ante partum aut etiam in ipſo partu contingere ſolet, ſed forte ab aliqua cauſa externa, ut ira, metu, intempeſtiva victus ratione, aut ſimili alio errore excitatur. Opponet nobis fortaſſe argutiolus quidam hiſtorias duas, quibus ſecundo à partu die febris oborta eſt, & tamen à die febris, non à die partus principium numeravit Hippocr. Sect. 3. lib. 1. epid. Epicratis uxorem, & Dromeadem febris corripuit ſecundo à partu die. Legite eas hiſtorias apud auctorem, nam ſingula hic tranſcribere, hominis eſſe otio, ac litteris abutentis. Reſpondet Petrus Aponenſis, partum alinm eſſe naturalem, alium non naturalem, ſi naturalis ſit partus, à die febris computatio fiat, veriſimile enim eſt febrem non ab agitatione partus excitari, quia omnia ſe habent, ſed ab aliqua cauſa externa. Quod ſi non naturalis ſit partus, fiat computatio a die partus quia tunc temporis partus morbi rationem habet, & febris ſuperveniens ſymptomatis, vel dicamus cum Galen. Hippocr. in epid. multa ſparſim, & confuſe annotaſſe, non ut ederentur, ſed ut eſſent velut adverſaria, & ad memoriam juvandam: In progn. verò, & aphor. ſingula paulo accuratius explicaſſe, & ad certam veritatis regulam accommodaſſe. Itaque his libris computationem à die partus inchoandam cenſet, ſi modo ab alia cauſa non contingat febris, quàm ab eo humorum motu, quem pariendi conatus excitavit. Quæ autem de Partu à nobis dicta ſunt ad capitis, & relinquarum partium vulnera, aut inflammationes accommodari poſſe exiſtimamus. Principium namque non à die febris, ſed ab eo quo inflictum eſt vulnus numerandum, ſic ſolet Hippocr. lib. dies numerare. Multi (inquit) æſtate ante ſeptimum diem, hyeme ante decimumquartum moriuntur. Cæterum ne quid prætermiſſum à nobis videatur, quod ad morbi principium, & dierum ſpectet, hæc pro diſputationis coronide annotanda ſunt, dum morbus redit, recidivam cum priore morbo jungendam eſſe, ſi modo relapſus ex morbi reliquijs, non ex alia cauſa contingat. Teſtem habeo locupletiſsimum Hippocr. qui primarios affectus cum recidividis conjungere ſolet. Æger ſecundus ſect. 2. libri tertij epid. Hermocrates, decimoquarto die liberatur à febre, ſeptimo-

deci-

decimo rursum febricitavit, vigesimo febris expers, quarto, & vigesimo redijt. Tandem 7. & vigesimo moritur. Æger octavus sect. 3. lib. epid. Anaxion vigesimo die sudavit, febre liberatus est omnino, septimo, & vigesimo redijt febris, quarto, & trigesimo totum illi corpus calido sudore diffluxit, cessavit febris, perfectè judicatus est.

CUI DIEI ATTRIBUENDA SIT CRISIS.

CAPVT OCTAVVM.

QVoniam sæpe contingit crisin multos dies occupare, adeo ut incertum sit, ad quem eorum, referri debeat ne quid fluctuantes rudiorum animos remoretur, ea paucis explicare non erit studiosis (ut opinor) ingratum. Statuatur exempli gratia, vacuatio quædam critica, ut sudor, qui septimo morbi die erumpere incipiat, sequente autem 8. desinat, cui horum attribuenda est crisis? 7. ne an. 8. Nos ad quæstionis dissolutionem, tria in die critico Medico diligenter observanda volumus, morbi, accessionem, Diei naturam, & temporum criticorum numerum. Paroxysmorum hæc est ratio. Si diebus imparibus exacebetur morbus diei impari potius crisis attribuenda, etiã si in parem sæpe incidat, quoniam ex summi dictatoris doctrina ijsdem diebus judicantur, morbi, quibus exacerbantur, & sect. 3. lib. 3. epid. Quæ paribus diebus exacerbantur, paribus judicantur; at quorum exacerbationes in imparibus fiunt, ea imparibus judicantur. Secundo dierum vis, & natura consideranda. Alij enim, alijs potentius decernunt, quibusdam diebus fidæ, & perfectæ, alijs infidæ, & imperfectæ contingunt crises. Demus exempli gratia nono, & decimo diebus sudasse ægrum, si crisis perfecta fuerit, & salutaris, noni erit non decimi diei, si imperfecta ad decimum referenda potius. Postremo spectandus est numerus temporis critici: sunt autem critica tempora tria, principium accessionis, principium motionis criticæ, & finis criseos solutio scilicet morbi. Qui dies duo in se tempora complectitur, is magis crisin sibi vendicat, ut si septimo die ceperit perturbari natura, octavo autem, & excretio, & solutio contingerit, octavi erit non septimi diei crisis. Quod si tria hæc in tres distribui contingat, illi maxime tribuenda erit crisis, in quo cœpit excretio, siquidem is maximus est naturæ impetus. Cæterum observatione dignum est, peracutos morbos, & vere acutos unica die crisin absolvere, eos vero qui decimumquartum excesserunt, duobus qui vigesimum tribust Hoc videtur in historijs suis particularibus tacite indicasse. Hippocr. ut eleganter obsetvavit Galen. cap. 5. lib. 2.

de diebus Decretorijs. Nam dum crisis uno tantum die absolvitur (quod ante decimumquartum diem fieri solet) hac dicendi formula utitur Hipp. Morbus huic quinto, septimo, nono, undecimo, judicatus est, nec reperias dixisse Hippocr. quemquam circa quintum vel septimum diem judicatum: At ubi morbus decimum quartum, excessit diem, quia plures dies occupare solet crisis, mutat dicendi formulam, & ita loqui consuevit. Circa vigesimum, aut trigesimum, aut quadragesimum judicatus est, innuens tacite huic aut illi diei posse crysin attribui. Ita ex dierũ paulo spinosioribus senticetis evadendum putamus. Nunc quæ sit cujusque diei dignitas, & in decernendo facultas, aperiamus.

DE DIEBUS VERE CRITICIS QUI PRINCIPES appellantur, ac primum de septimo die, & ejus dignitate.

CAPUT NONUM.

Dierum non eandem esse vim, sed alios alijs potentius decernere, longo usu, & certa experientia, jam à multis seculis observatum est: septenarios autem ejusmodi esse, & primus prodidit Hipp. & ratio ipsa suadet. Habent n. perfectæ, ac salutaris criseos notas omnes. Debet perfecta crisis esse indicata, manifesta, absoluta, & secura. At solis septenarijs hæc insunt omnia: Merito itaque principes, & absolute dicendi sunt. Septenarij porro in acutis tres sunt, 7. 14. 20. quorum historiam primum describere postulat dignitatis, & naturæ ordo. Sed 7. primum debetur laus criseos: propterea cum Galen. cap. 4. lib. 1. de dieb. decret. primum inter decret. appellat, non numero, & ordine, sed viribus, & dignitate. Eum Regi confert clementissimo, & sexto oponit tanquam Tyranno: ut enim Rex clementissimus multis parcit, & pœna liberatos dimittit, ita septimus dies insigni facta excretione, multos ab interitu vindicat. De septenarij præstantia multa, à sanctissimis Ægyptiorum Sacerdotibus à Chaldæis, Græcis, & Arabibus sunt prodita, quæ hic lubens sciensque prætereo: fateor enim multas nugas numerorum prætextu circumferri, ut in nostra de septimestri partu disputatione annotavimus. Quid n. sapienti curæ est si Pleiades septem sunt, utraque ursa si septem in orbe miranda, septem orbes planetarum, septem Hyades, septem lunę facies, septem Triones majores, minores, septem vocis mutationes, septem motus naturales, septem quæ conspiciuntur, septem ætates, septem apud Græcos vocales, septem Græciæ

sa-

ſapientes, ſeptem metalla, ſeptem oſtia Nili : hinc illud Poetæ, *Et diverſa ruens ſeptem diſcurrit in ora*, ſeptem in capite, ſacra Palladis arce feneſtræ, ſeptem quæ una ſibi muro circumdedit arces, ſeptem vocis mutationes, ſeptem artes liberales, ſeptem humanarum actionum cauſæ, ſeptem de ſtirpe Homeri certantes urbes, &c. Quid inquam hæc ad ſeptenarij vires? Nam & de ſenario, ternario, quinario, cæteriſque numeris mira prædicant quidam. Præſtat in Hipp. Ariſt. & Galeni hortulos multis doctrinæ floribus peramænos arridenteſque divertere inquit divinus Hippocr. libello Hominis ætas ſeptenario dierum numero conſtat. Nam & plerique eorum qui per dies ſeptem nihil quicquam aut edere, aut bibere volunt, his ipſis diebus moriuntur, quia & contrahitur jejunum inteſtinum, & ventriculus diuturna officij vacuitate, ſui omnino redditur immemor. Semen quod poſt viri ejaculationem intra ſeptem horarum ſpatium non fuerit in effuſionem relapſum hæſiſſe in vitam pronuntiatur. Septimo poſt conceptionem die, ſpermaticarum omnium partium prima apparent rudimenta, habetque (ait ſummus Dictator) genitura ſeptimo die, quæcunque corpus habere par eſt, ſeptimeſtres partus ſunt, non octimeſtres, ſeptimo poſt partum die jactat reliquias umbilici. Poſt bis ſeptem incipit ad lucem uiſus ejus moveri. Poſt ſepties ſeptem liber etiam, & pupulas, & totam faciem vertit ad motus ſingulos. Septimo menſe dentire incipit. Poſt bis ſeptem ſedet ſine caſus timore. Poſt ter ſeptem ſonus ejus in verba prorumpit. Poſt quater ſeptem incedit, poſt quinquies ſeptem incipit lac nutricis horreſcere. Septimo anno dentes permutat, fitque ut ſcribit Hippoc. lib. dentium tertia generatio à ſolidioribus alimentis: tunc loquendi integritas abſolvitur, unde ſeptem apud Græcos vocales. Bis ſeptem annis peractis lucent pubertatis indicia puellis enim erumpunt menſtrua, turgent mammæ, nova lanugine inſperguntur genitalia, totum corpus libidine titillatur. Mares verò hircire, vocem aſperiorem edere, & venerem agnoſcere incipiunt, ob nativi caloris. Poſt ter ſeptenos firmam aggrediuntur ætatem. Quarto, quinto, & ſexto ſeptenarijs conſervantur vires, eaque ætas virilis, & conſtans dicitur. Septimus ſeptenarius quadratus eſt. Nonus climactericus, & periculoſiſsimus judicatur. Obſervatum enim in multa hominum memoria expertumque eſt (ut notat A. Gellius) in ſenioribus pleriſque, hunc vitæ annum cum periculo, & clade aliqua venire, aut corporis morbique gravioris, aut vitæ interitus: aut animi ægritudinis. Elegans legitur apud eundem auctorem Divi Auguſti ad Cajum Nepotem de anno climacterico congratutio. Decimus ſeptenarius qui ſeptuageſimum annum complet meta creditur vivendi, quo Regius ille Propheta cœleſti numine plenus ita eciniſſe eſt viſus. *Septuaginta anni dies ſunt hominis, ultra labor, & dolor.* Sunt ergo ſeptimi dies menſes, & anni

(quos

(quos hebdomadicos vocant) maximè considerandi, quoniam insignes in illis mutationes contingunt. Propterea monet Ficinus ille Plantonicus ut qui vitam producere cupit, septimo quoque anno Astrologum, & Medicum consulat: Astrologum quidem ut unde vitæ impendet periculum intelligat: Medicum vero ut rectam victus rationem præscribens astrorum minas, & vim maleficam effugiat. Aristoteles septimo de historia Animalium hoc quasi eximium septenario tribuit, quod singulis septenarijs mutationes maximæ contingunt. Gal. sanitatis præcepta tradens, per septenariorum rationem, ætatum facit discrimina. Merito itaque Pythagorici septenarium rerum omnium principium. Tullius rerum omnium nodum nexumve (Geminam quippe vim habet vinciendi) Medici vero certa experientia persuasi, Regem inter decretorios dies appellarunt: Nam septimus dies multos judicat, perfectè, fide, manifeste, cum indice, & sine periculo. Narrat Galen. cap. 7. lib. 2. de diebus decretorijs se plures quam quadringentos homines acuto morbo laborantes, æstate unica perfectè judicatos vidisse. Cæterum licet septimus dies salutariter, & perfecte ut plurimum judicare soleat, quidam tamen (ut observat Gal. cap. 4. lib. 1. de diebus decretorijs) septimo die moriuntur, plerique etiam insignem in deterius mutationem eo die nacti, in sequenti aliquo decretorio intereunt. Id autem contingere solet, aut propter materiæ contumaciam, & malignitatem, ut in febribus pestilentibus, aut propter expultricis facultatis imbecillitatem, aut denique ob meatuum obstructionem. De his qui septimo die interierunt, exstant elegantes historiæ 1. & 3. epid. Mulier quæ apud Plantimedem habitabat, cum primo die febre correpta fuisset, septimo interijt. Altera ex abortivo partu phrenetica die septimo obijt. Adolescens qui in Mendacium foro jacebat, septimo. De his qui septimo die deterius se habentes, sequentibus diebus criticis interierunt exstant historiæ in epid. Æger tertius lib. 1. cum septimo die obtumuisset, undecimo moritur. Æger duodecimus cum septimo die omnia exacerbata essent, quintodecimo interijt. Plura collige ex Epidemion libris.

DE DIE QUARTODECIMO, QVI SECUNDUS est dignitate, & viribus.

CAPVT DECIMVM.

SEcundus dies verè, & perfectè criticus est quartus decimus. Huic veterum quidam majorem in decernendo vim tribuunt, quam septimo, argumentum à Lunæ oppositione sumentes, in quo aspectu major oritur ini-

inimicitia, quam quovis alio tempore: sed deliramenta ſunt hæc & meræ nugæ. Nam ſeptimus dies, & numero, & dignitate, principatum inter verè judicatorios, (quos radicales vocant Barbari) obtinet, ſed ſi 7. die perfecta non contingat criſis, non eſt ante quartumdecimum exſpectanda, niſi forte irritetur natura aut copia, aut qualitate humoris, vel juvetur à Medico: ita enim cogitur ante diem, & præter inſtitutum humorem excernere. De his, qui quartodecimo die perfectè judicati ſunt, exſtant commemorabiles hiſtoriæ in epid. & hoc unum inter cætera ejus diei dignitatem, ac ſecuritatem teſtatur, quòd ſuum habeat indicem undecimum. At nulla criſis perfecta, & ſalutaris dici debet, niſi fuerit bonis ſignis indicata. Verum in hac 14. diei hiſtoria multa obſervantur involuta, ac primum illud quæri poteſt, ſit ne ex parium, vel imparium dierum numero: Deinde utrum ſit acutorum morborum terminus. Quod ad primum attinet, certiſsimum eſt in ſupputatione arithmetica, 14. ex numero eſſe parium, quia in duos æquales ſecatur numeros, & ex duobus imparibus, quales ſunt ſeptenarij, perpetuo par numerus generatur, Hippoc. ſententia decimaquarta ſect. 3. lib. 1. epid. intet pares criticos numerat. Ejus hæc ſunt verba: Eſt autem primus decretorius circuitum, qui diebus paribus judicant, quartus, ſextus, octavus, decimus, quartus decimus. Hæc ſi vera ſunt, non erit quartus decimus perfectè decretorius, quia perfecta criſis diebus contingit imparibus, & ut ſæpè jam annotavimus. Acuti morbi iiſdem judicantur diebus, quibus exacerbantur: moventur autem imparibus diebus, quia acutorum materia eſt bilis, cujus hæc eſt proprietas ut tertio quoque die moveatur. Nos quæſtionem hanc ita ſolvendam putamus diverſam eſſe Arithmeticorum, & Medicorum ſupputationem: Numerant enim Medici per ſeptimanas, ita ut octavus dies ſecundæ ſeptimanæ principium ſit, & quartus decimus ſeptimus ſit ſecundæ ſeptimanæ. Hoc docuit Hippocrates aphor. 24. ſect. 2. Septenorum (ait) quartus eſt index: Alterius ſeptimanæ octavus principium. Itaque in Logiſmo Medico quartus decimus dies ex numero erit imparium.

AN QUARTUSDECIMUS DIES ACUTORUM morborum ſit terminus.

CAPVT VNDECIMVM.

DE acutorum morborum termino dubitandi occaſionem præbuerunt diſſentientes Hippoc. loci. Nunc enim quartumdecimum nunc vigeſimum, nunc quadrageſimum diem acutorum finem videtur agnoviſſe.

De decimoquarto in Aphor. & Coac. prænotionibus hæc scriptis mandavit, Aphor. vigesimotertio sect. 2. Acuti morbi in quatuordecim diebus judicantur. Prog. 143. Coacarum ardenter febricitantes judicant quatuordecim dies, vel ad interitum, vel ad salutem. In epid. plures historias annotavi eorum, qui acuto morbo laborantes septimo decimo, & vigesimo judicati sunt. Herophon decimo septimo judicatus est. Philini uxor 20. interijt, Cherion vigesimo judicatus est, febre omnes acuta correpti. Sect. 3. Progn. vigesimum diem acutorum statuit terminum. Febres (inquit) malignissimæ quarto die, aut prius occidunt. Primus itaque ipsarum insultos sic desinit: Secundus ad septimum producitur, tertius ad undecimum. Quartum ad decimumquartum, quintus ad decimumseptimum, sextus ad vigesimum. Hi igitur, impetus ex acutissimis morbis per quatuor ad viginti ex additione desinunt. In eodem progn. quadragesimum diem acutorum morborum terminum statuit. Prognosi vigesimaquarta sect. 1. Libera (inquit) & facilis spiratio, maximam ad salutem vim habet in omnibus morbis acutis, qui cum febre sunt, & in quadraginta diebus judicantur. Itaque pugantia videtur loquutus, Hippoc. interpretum quidam ut se ab his laqueis extricarent, Hippoc. scripta ita conciliare ausi sunt, quartumdecimum diem non esse acutorum morborum terminum, sed quatuordecim tantum esse dies decretorios, si quis à tertio ad quadragesimum supputaverit. Hoc illi commento probabile quiddam afferre videntur, sed tamen Hipp. splendori tenebras offundunt. Nam neque id somniavit unquam Hippoc. neque vera sunt quæ ipsi proferunt. Plures quippe sunt, aut pauciores quam quatuordecim dies decretorij, à primo ad quadragesimum. Si enim vere decretorios numeres, sex erunt tantum septenarij ad quadragesimum usque, septimus, decimus quartus, vigesimus, vigesimusseptimus, trigesimusquartus, quadragesimus, si indices tantum, sed erunt etiam quia quilibet septenarius suum habent indicem: si principes decretorios, & indices simul jungas, erunt tantum duodecim: si his addere velis intercidentes, plures erunt quam quatuordecim. Itaque quocunque velis modo, aut plures erunt, aut pauciores quam quatuordecim. Ridicula ergo, & tota nugatoria est hæc interpretatio. Nobis dissentientes hos Hippoc. locos conciliare non erit difficile, si acutorum morborum naturam, & differentias ob oculos proponamus. Acutos morbos definit Hippoc. in epid. qui celeriter, continenter, & vehementer moventur, adeo ut acuti morbi ex motu nomen sortiantur, propterea laudat Archigenem Gal. 2. de dieb. decret. quod non ex sola temporis brevitate, sed ex motu, & natura morbi acutum, aut peracutum morbum appellare consueverit: Eum namque qui lento, motu, & cum intervallis ad quadragesimum usque protenditur, nemo sanæ mentis acutum revera

dixerit.

dixerit. Neque etiam morbus omnis, qui celeriter judicatur, acutus dici debet, nec idem est acutus cum brevi: ita enim ephemera febris acutus esset morb. sed requiritur ad morbi acumen celeritas, continuitas, & vehementia. Quod si objicias acuto morbo opponi longum (ita enim reperias apud veteres Medicos, morborum alios esse acutos, alios diuturnos.) Respondebo ex Gal. doctrina cap. 13. lib. 3. de diebus decretorijs, ob dictionum penuriam id contigisse, & acutum morbum diuturno opponendum. Statuatur ergo acutorum natura in celeri, continuo, & vehementi motu. Acuti porro duorum sunt generum, quidam sunt peracuti. Quidam acuti simpliciter. Peracuti rursum, aut sunt extreme peracuti. Per peracutos dicunt quidam, aut peracuti simpliciter. Acuti etiam alij sunt peracuti simpliciter: Alij acuti ex decidentia. Galen. comm. & aphor. 23. sect. 2. annotavit verius, & elegantius acutos dici debere per prioris status in alium mutationem, aut à sua specie degenerationem, quam acutos ex decidentia. Itaque retinent hi nomen tantum morbi acuti, sed illius naturam plane amiserunt, lento enim moventur, & incedunt gradu, unde quasi cohibitos freno morbos, nec laxis habenis ad sumum terminum properantes dicuntur. Horum quidam tales sunt per crisin imperfectam, quidam propter inæqualem vicissitudinem remissionis, & exacerbationis. His ita jactis fundamentis dico extreme peracutos primo quaternario judicari. Testem habeo Hippoc. ahp. 2. sect. 3. prog. febres malignissimæ, horrendisque comitatæ symptomatis quarto die interimunt. Peracuti simpliciter primo septenario judicantur: Acuti simpliciter decimoquarto die, quod longissimum est finiuntur, adeo ut morbi continuatum acumen plures quam quatuordecim dies excedere non possit, id quotidianus rerum eventus commonstrat, & ipsa suadet ratio: Acuti enim, vehementiam, & celeritatem cum habeant comitem magnam vim naturæ inferunt: Apud Philosophos nullum violentum est perpetum. Acuti ex decidentia ad quadragesimum usque prorogari possunt, de quibus intelligendus Hipp. in prog. non enim dixit simpliciter in acutis, sed cum addito, ijs qui quadragesimo die judicantur. Qui vero morbi decimoseptimo aut vigesimo judicantur, fuerunt ab initio parvi, mites, ad motum tardi, submersi propterea in illis supputatio à die decubitus, aut febris fieri non debet, sed à die vehementis, & citatioris motus, quo acuti esse cœperunt. Itaque decimus septimus aut vigesimus ille dies, erit perpetuo decimus quartus. Hæc quæ multis obscuriora videri poterunt, exemplorum appositione clariora, & illustriora evadent. Si quis febricitans quarto die phrenitide corripiatur, & septimodecimo judicetur, apud nos decimoquarto judicatus creditur, quia cœpit tantum quarto die morbus celeriter, & vehementer moveri, at à quarto ad septimum decimum sunt quatuordecim tantum

dies. Hoc noverat ante Gal. Diocles. Phreniticos n. non à primo, die ſtatim fieri, ſed procedente morbi tempore enunciavit. Si primum ſeptenarium exegerit quis cum febre mitiori, & ſeptimo die acute cœperit laborare, etſi is vigeſimo die judicetur, tamen decimoquarto criſin contigiſſe exiſtimandum. Hoc confirmat Adoleſcens in Mœlibea lib. 3. epid. Cœpit decimo die delirare. Quartodecimo omnia exacerbata ſunt, vigeſimo valde inſanivit vigeſimoquarto interijt. Fuit illi vigeſimusquartus, quartuſdecimus à decimo. Vera eſt igitur ſummi Hippocr. ſententia: Acutos revera morbos, intra quatuordecim dies quod longiſsimum eſt judicari, id eſt, morbi continuatum acumen plures quam quatuordecim dies excedere non poſſe.

DE VIGESIMO DIE, QUI TERTIUS EST radicalis.

CAPVT DVODECIMVM.

TErtius inter principes decretorios à nobis ſtatuitur 20. Eſt n. ſeptimus à quartodecimo, & ſuum habet indicem ſeptimumdecimum. Multos hic ſecure judicat, & perfectum complet circuitum. Eſt hic acutorum morborum terminus, eorum dico qui tardi fuerunt ab initio, aut quorum continuatum non fuit acumen. De eo maxima diſceptatione certatur inter Medicos. Sunt enim qui vigeſimum primum præferant vigeſimo, quod ille tribus conſtet perfectis ſeptenarijs, hic imperfectis. Ejus ſectæ principes ſunt Archigenes, & Diocles. Celſus quoque lib. 3. cap. 4. referens dies cryſimos, quos antiqui ſequebantur vigeſimum primum recenſet non vigeſimum. Meminit etiam Hipp. vigeſimi primi in epid. aphor. & libello de diebus decretorijs. Primo epid. Circuituum (inquit) qui judicantur diebus imparibus, primus eſt tertius, quiutus, ſeptimus, nonus, undecimus, ſeptimusdecimus, vigeſimusprimus. Aphor. 36. ſect. 4. Sudores febricitantibus boni qui manare cœperint die tertio, quinto, ſeptimo, nono, undecimo, decimoquarto, decimoſeptimo, vigeſimoprimo. Libello de diebus decretorijs. Judicantur (ait) febres primo die, ſeptimo, undecimo, decimoquarto, decimoſeptimo, vigeſimoprimo. Nos tamen certa experientia perſuaſi, & ex ſummi Hippoct. doctrina vigeſimo principatum decernendi tribuimus, non tamen vigeſimum primum à decretorijs diebus omnino excludimus. Quod vigeſimus dies criticus potius dici debeat, quam vigeſimus primus, ipſa circuituum ratio, & totus dierum ordo ſatis ſuperque ſuadent. Nam ſi vigeſimusprimus perfecte criticus

ticus ſit: Ergo & decimusoctavus index ſtatuetur, & poſt vigeſimumprimum hi erunt critici, vigeſimusquintus, vigeſimusoctavus, trigeſimus ſecundus, trigeſimusquintus, quadrageſimusſecundus, ſexageſimustertius, octageſimusquartus: At eorum nunquam meminit Hippoc. in hiſtorijs ſuis univerſalibus, & particularibus, ſed criticos omnes numerat à vigeſimo, vigeſimumquartum, vigeſimum ſeptimum, trigeſimumquartum, ttigeſimum ſeptimum, quadrageſimum, ſexageſimum, octogeſimum, centeſimum. Quibus frequenter criſes contingere ſolent. Poterunt ſingula hæc particularibus hiſtorijs illuſtrari. Cherion, Philini uxor, Eurianactis filia vigeſimo die judicati ſunt, Abderitana virgo vigeſimoquarto. Anaxion trigeſimo quarto. Clazomenius quadrageſimo, ut & qui in Dealcis horto jacebat: Vxor Iphicratis quadrageſimo die pauca bilioſa vomuit, octogeſimo perfecte judicata eſt: ſic & Cleanatides octogeſimo riguit, multum ſudavit integre judicatus eſt. Heropytus centeſimo, vigeſimo perfecte judicatur. Quid multis opus? Nullus unquam (ut eleganter annotavit Gal. 2. de diebus decretorijs) in epid. aut ſalvus evaſiſſe, aut objiſſe cõperietur, in toto illo dierum ordine, qui eſt à decimo octavo, & vigeſimo primo, ſed omnes illis diebus judicati ſunt, qui à decimoſeptimo, & vigeſimo ordinem ſumunt. Statuatur ergo vigeſimus dies princeps, & radicalis decretorius non vigeſimus primus. Rationem affert Hipp. in prog. quia ſeptimanæ integræ ſupputandæ non ſunt, ut neque dies, neque anni. Id ut clarius innoteſcat obſervatione dignum eſt. Tres eſſe circuituum ordines univerſales, maximum, medium, minimum. Vigeſimus minimus eſt, quadrageſimus medius, centeſsimus maximus. Vigeſimus quaternionibus conſtat, quadrageſimus ſeptenarijs, centeſimus vicenarijs in ſe auctis, & multiplicatis. Vigeſimi quaterniones ſunt ſex. Quartus dies finis eſt primi, & principium ſecundi: Tertium complet dies undecimus, & hujus principium eſt octavus dies. Quartum decimus quartus cum tertio conjunctus. Quintus cum quarto conjungitur, & in decimum ſeptimum diem cadit. Sextus cum quinto copulatus in vigeſimum diem cadit. Itaque vigeſimus dies ſex conſtat quaternarijs, & tribus ſeptimanis, ex quibus prima integra eſt, ſecunda cum tertia copulatur. Quod autem dies integri numerandi non ſint, demonſtrari poteſt ex logiſmo veterum Aſtrologorum, cujus mihi copiam fecit Doctiſsimus Medicus Franciſcus Vertunianus ex Magni, & Clariſsimi Joſephi Scaligeri obſervationibus.

DE

DE SECUNDO ORDINE DIERUM QUOS INDI-ces, & contemplabiles vocant, ac primum de quarto die.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

SEcundus criticorum dierum ordo eorum eſt quos Hippoc. vocat, indices, & contemplabiles. Indices, quod perfectam criſin indicent, contemplabiles, quod eorum obſervatio ad criſeon præſentionem Medico ſit neceſſaria. Si enim illis diebus ſalutaria ſigna, qualia ſunt coctionis, appareant, ſalutaris criſis die principi, & radicali ſperari debet, ſin lethalia, qualia ſunt in urinis hypoſtaſis nigra, in dejectionibus, aquæ, ſpumantia, nigra, viridia, livida, in ſputis rotundum, ſpumans, & viride ſputum, lethalis criſis expectanda. Dies hi, tres tantum numero ſunt, quia tres tantum ſeptenarij, quartus, undecimus ſeptimus decimus. Quartus ſeptimi index eſt, undecimus deciniquarti, ſptimus decimus vigeſimi. Neque vero his judicandi jus denegatur, decernunt enim aliquando, ſed imperfectius, eſtque exigua eorum vis, propterea indices verius, & magis proprie dici debent, quàm judices. Cæterum ut in decretorijs principibus, ſuus eſt dignitatis ordo, ita, & in indicibus. Septimus primus erat viribus, & dignitate. Quartus inter indices primas tenet, melius enim, & perſectius ſeptimum indicat quã undecimus quartumdecimum. De quarto hæc ſcripſit Hippoc. aphor. 24. ſect. ſeptenorum quartus eſt index, & aphor. 71. ſect. 4. Quibus die ſeptimo morbi judicantur, ijs urina rubram die quarto nubeculam habet. Eſt ergo quartus dies primo per ſe, & ex ſui natura perpetuo index ſeptimi. Illud per ſe docte interpretatur Gal. cap. 11. lib. 1. de diebus decretorijs, ſi nihil rarum, & magnum ſupervenerit, id eſt, ſi nihil externum, aut internum contingat. Fieri enim poteſt ob externam aliquam cauſam, aut internam, ut quartus, ſeptimum non indicet. Externarum cauſarum nomine quatuor complector, Ægrum, Medicum, Aſtantes, & extetriora, quæ aphor. 1. paucis complexus eſt Hippocr. Nec ſolùm ſeipſum præſtare oportet opportuna facientem, ſed & ægrum, & adſtantes, & exteriora. Medicus peccat, ignorantia artis, audacia, timiditate. Itaque ſi ſeptimo die catharticum exhibuerit, etiamſi quarto ſigna apparuerint coctionis, criſin perfectam impedit. Æger, vel Medici mandatis non obſequitur, vel ſibi indulget nimium, aut impatiens eſt : Adſtantium miniſtrorium quippè domeſticorum, & clinicarum mulierum errores ſunt varij. Exteriorum nomine multa complectimur, aerem, ci-

cibos, potus, animi pathemata, &c. quæ fusius persequitur Gal. cap. jam citato commentario ad aph. 1. sect. 1. Si itaque in his quatuor errores contingant, naturæ ordinarij motus impediuntur, & circuituum ordo interturbatur, unde fit ut quartus non primo, & per se, sed ex eventu septimi non sit index: Jam vero internarum causarum occursu plerumque accidit quartum septimi indicem non esse. Interna hæc causa duplex est. Morbi natura, & ægrotantis temperies constitutio, habitus. Morbus si extreme peracutus sit, impediet, quominus quartus septimum indicet, quia indicabitur primo quaternario: si tardius moveatur, undecimo, quartodecimo aut vigesimo die solvetur. Idem de ægrotantis natura statui potest: Juvenis enim, & biliosus celerius judicabitur quam senex, & pituitosus. Statuatur ergo quartus dies ex se, & ex natura sua perpetuo index semptimi, modo nihil magnum, & rarum superveniat, id est, si neque Medicus quid peccaverit in victu instituendo, neq; æger, aut ministrorum quisquam, imò si neque extrinsecus ullus error commissus fuerit. Est & quandoque quartus dies sexti index, sed ex eventu, quia si quarto die prava appareant signa septimum diem non attinget æger, sed sexto morietur. Novi etiam aliquid molitur dies quartus. Nam si primo, & tertio die exacerbetur morbus, non secundo, quinto die accesio exspectanda erit, non quarto, quod si quarto die contingat, novum aliquid, & sinistrum minatur. Est etiam quartus dies inter decretorios collocãdus: Judicat enim morbos extreme peracutos, ut summi Hippocr. edicto confirmari potest, aph. 2. sect. 3. prog. Febres, inquit, mitissimæ, & signis securissimis firmatæ quarto die desinunt aut prius, malignissimæ vero; & horrendis comitatæ symptomatis, quarto die aut prius occidunt. In epidem. Pericles quarto die prorupto universali sudore acutissima febre defunctus est. Caluus Larisseus femur dextrum doluit, 4. die circa meridiem mortuus est cellerrimè, & acutissimè. Verum raræ sunt quarti diei crises, sæpius enim in tertium, aut quintum incidunt, quia acutorum morborum exacerbationes diebus fiunt imparibus: At iisdem apud Hippoc. judicantur diebus morbi, quibus exacerbantur, propterea testatur Gal. se die quarto, semel tantum crisin observasse, & Archigenem bis. Id autem intellige in biliosis morbis, quales esse solent acuti fere omnes: Nam sanguinei quia paribus moventur, paribus etiam judicantur.

DE

DE UNDECIMO DIE QUI INDEX EST decimiquarti.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

EST quoque undecimus dies contemplabilis (ait divinus senex aph. 24. sect. 2.) ipse siquidem quartus est alterius septimanæ: Non tamen ita perfecte quartum decimum indicat, ut quartus septimum. Vt enim dierum perfectè judicantium vis sensim minuitur, ita, & indicantium. Hujus rei hæc vera mihi videtur ratio. Quoniam si quarto die cœpit natura humorem morbificum coquere, poterit eum brevi temporis intervallo totum domare, & septimo excernere. At si undecimo tantum coctionem inchoaverit, debilior fortasse decimo quarto non semper excernet, sed ad septimum decimum, aut vigesimum relegabit: Quod si ante undecimum septimo quippè, aut nono coctionis signa appareant quantumvis levissima, & undecimo magis luceant, perfecta crisis quartodecimo expectanda erit, modo Æger, Medicus, & adstantes nihil peccaverint, sintque externa rite comparata. Est etiam undecimus dies decretorius multosque solet judicare, nunc ad salutem, nunc ad mortem. Sect. 3. lib. 1. epid. Melidia quæ juxta Junonis templum decumbebat undecimo die perfectè copioso superveniente sudore judicata est. Æger secundus ejusdem sect. Sillenus undecima die mortuus est, ut & æger duodecimus. Gal. cap. 7. lib. 1. de diebus decretorijs, se uno Automno omnes undecimo judicatos observasse scribit.

DE SEPTIMO DECIMO DIE QUI INDEX est vigesimi.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

TErtij septenarij index est decimusseptimus, finis est quinti quaternarij, & principium sexti. Archigenes, & Dioles decimum octavum malunt indicem statuere, quia vigesimumprimum perfectè decretorium, & principem agnoscunt. Verum in historia vigesimi annotavimus, si decimus octavus criticus, & index statuatur, omnis crisimorum dierum ordo immutabitur. Proferam Gal. elegans argumentum, quod est à contrarijs. Si dierum ordo à decimoseptimo ad centesimum validior est.

Ergo

Ergo imbecillior erit ordo, qui à decimooctavo exſurgit, & contra: At conſtat ordinem dierum, qui à decimoſeptimo manant, validiorem eſſe: erit itaque decimusſeptimus potius criticus quam octavusdecimus. Hipp. auctoritate, & hiſtorijs particularib. id confirmari poteſt. Meminit in epi. decimiſeptimi non octavi, plures vigeſimo, quadrageſimo, ſexageſimo, octogeſimo, centeſimo, judicatos ſcribit, nullos autem quadrageſimo ſecundo, ſexageſimo tertio, octogeſimoquarto. Judicabantur, inquit, multi circa vigeſimum diem, alij circa quadrageſimum, nonnulli circa octogeſimum. Facient ad hujus rei illuſtrationem, quæ capite duodecimo hujus libri annotavimus. Cæterum obſervatione dignum eſt ſeptimumdecimum, minus quidem perfectè judicare, quam undecimum, & quartum, ſed potentius multo decernere, ut ea ratione à Gal. & Medicis omnibus inter validiores criſimos numeretur. Heropitus decimoſeptimo die judicatur. Duo fratres qui ad Epigenis theatrum decumbebant decimoſeptimo die ſunt judicati. Hippocr. 1. epid. poſtquam de decimo ſeptimo multa prodidit, tandem in hæc verba erumpit. Neque unquam eorum qui hoc modo ægrotaſſent, morbi recidivam factam animaverti.

DE TERTIO ORDINE DIERUM QUOS INTERcidentes, & intercalares vocant.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

Tertius criticorum dierum ordo eorum, eſt, quos dicunt intercidentes, intercalares, interrepentes, quoniam inter principes decretorios, & indices intercidunt, intercalantur. Vocantur à quibuſdam Provocatorij, quod naturam proritent, & ante tempus excernere cogant. Sunt autem in qualibet ſeptimana intercidentes quidam. In prima, tertius, & quintus. In ſecunda, nonus, & tertius decimus. In tertia decimusnonus. Hi ea prærogativa decernunt, quia impares ſunt. At accuti morbi cum imparibus judicari ſolent. Quæ porro diebus intercalaribus contingunt criſes, ferè omnes imperfectæ ſunt, quia quicquid illis diebus aggreditur natura, id præter inſtitutum molitur, eruptione prius facta quam oporteat: Irritatur quippè maligna humoris morbifici qualitate, unde fit ut cruda, & cocta ſimul excernat, & cum noxijs laudabiles etiam humores pellat, hinc relapſus periculum. Nam licet vacuato humore noxio, videatur aliqua ex parte levari natura, non habet tamen laudabilem ſuccum quo recreari poſſit. Hoc eleganter expreſsit Hipp. libello ubi relapſus tres cauſas agnoſcit ſi præcumpat, aut prius excernatur, aut

intus

intus relinquatur. Quod relinquitur, aut humor est morbificus, aut qualitas morbosa, dicunt. Est autem ante tempus erumpere, dum natura ab aliqua causa lacessita, aut irritata, in immaturam judicationem erumpit. Causa illa, aut externa est, aut interna. Externa multiplex, Medicus, æger, adstantes. Interna, morbus peracutus, & malignus, paroxysmus, & humores ita concitati, ut velut ebullientes erumpant antè coctionem: talis esse solet illis temperamento calidissima, & furens. Hæc dum naturam stimulant, eam ad excretionem quasi ultro impellunt, unde cum cocto crudum simul excernitur, hinc recidiva, nulla enim in cruditate perfecta crysis spectari potest. Vt autem hæc junioribus illustriora evadant, observandum est. Crises tribus modis contingere posse. Aut enim fiunt à natura sola vincente, quæ humorem morbificum sensim coquit, secernit, excernit. Tales in septenarios tres, 7. 14. 20. cadunt. Hos enim dies sibi elegit natura prærogativa quadam occulta. Aut fiunt natura ita lacessita, ut ante diem, quemsibi ipsa præfixerat, humorem non omnino coctum excernat: sic solent abortus contingere: sic ventriculus copia aut qualitatis mordentis acrimonia vellitus chylum nondum plane coctum excernere cogitur. In hac imperfecta, & velut abortiva crisi, naturæ, id est, facultati expultrici multum conceditur. Aut postremo fiunt crises à morbi solius ferocia, & vehementia. Tales singulis diebus, etiam paribus contingere possunt, quia quolibet die moriuntur ægri.

DE TERTIO, QUINTO, NONO, TERTIODECIMO, nono, & decimo, diebus intercidentibus.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

Tertius dies, primus est non modo intercidentium, sed etiam omnium imparium: Eo enim morbi extreme peracuti judicantur. Hoc, & in epidemijs, & in prognostico docuit Hipp. Nam quod in vulgari codice legitur, primum. Diem criticum esse, emendandum putavimus cap. 3. hujus libri. Diem porro tertium, ea tantum prærogativa decernere volunt quidam, quia impar est, & eo die accessiones fiunt: At accessio ex internarum causarum est numero, quæ naturam stimulant. Alij, quia ad quartum accedit proxime, adeo ut quod natura quarto dimoliri conatur, id præripit tertius. Quod si tardior sit naturæ motus quinto die exspectanda crisis. Lib. 3. epid. Thasia mulier copioso sudore, & mensium fluxu, tertio die à febre, & gravissimis symptomatis liberatur.

Quin-

Quintus dies intercalaris eſt, & provocatiorius. De eo multa Hipp. in epid. Plures (inquit) quinto die judicabantur, ſed repetebat morbus. Æger ſeptimus ſect. 3. lib. 1. epidem. Meton. quinto die judicatus eſt, effluxit quippe è ſiniſtra nare ſanguis, & ſudavit, ſed imperfecta fuit criſis. Nam ut notat Hipp. poſt criſin vigil remanſit, deliravit, urinæ tenues apparuerunt. Lib. 2. epid. mulier Anginoſa, quæ apud Bitonem habitabat, & in Thaſo Philiſtes die quinto interierunt.

Nonus dies intercidentium omnium eſt fortiſsimus. In medio enim ſeptimi, & undecimi eſt collocatus, unde fit ut vel criſin undecimo die futuram præripiat, aut eam quæ ſeptimo fieri debuit perficiat. Gal. inter decretorios ſecundi ordinis, nonum recenſet. Itaque diſsimilis videtur ratio intercedentium, & vere decernentium, ac indicum. Eorum qui perfecte indicant, ſeptenariorum ſcilicet, vires ſenſim minuuntur. Nam ſeptimus dies præſtantius decernit, quam decimusquartus, & hic quam vigeſimus: indicum quoque eadem eſt ratio: Quartus enim perfectius ſeptimum indicat, quam undecimus decimumquartum. De intercidentibus non ita ſtatui poteſt, quia ex veterum omnium medicorum decretis, nonus dies, cum inter ſeptimum, & undecimum ſit ſitus potentius decernit quam aut tertius, aut quintus. Lib. 1. epid. Herophon 9. die judicatus eſt. Dies decimus tertius ut & decimus intercidentes ſunt, ſed omnium debiliſsimi, & raro illis diebus contingunt criſes. Eſt tamen validior decimus tertius, & Gal. 1. de diebus decre. eum inter bene decernentes, & non bene ſolventes medium agnoſcit.

DE DIEBUS VACUIS, ET MEDICINALIBUS QUI ſunt à primo ad vigeſimum, ac primum de ſexto.

CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

HActenus dierum perfectè decernentium, judicantium, & intercedentium hiſtoriam ſatis accurate deſcripiſſe videor. Nunc eorum qui interjecti ſunt, ut ſexti, octavi, decimi, duodecimi, decimioctavi, vires eadem methodo aperiendæ ſunt. Dies hos vacuos, & medicinales appellavimus. Vacuos quidem, quod nec judicent, nec indicent, nec provocent: Medicinales, quod illis cathartica exhibere poſsit Medicus. Decretorij etiam dici poſſunt, non quidem ſimpliciter, & abſolute, ſed cum addito mali, numquam enim perfectè, & ſalutariter judicant, ſed peſsime, infi-

de, periculose, quoniam quæ illis diebus contingunt crises à morbi malignitate fiunt, non à natura, aut vincente, aut irritata. Hi suos habent dignitatis, vel potius malitiæ gradus. Alij namque frequentet decernunt, ut sextus. Alij rarius, ut octavus, & decimus. Alij rarissime ut duodecimus, & sextus decimus. Sextus dies omnium est pessimus, crudelis, infidus, septimo omnino contrarius, quem propterea Tyrannum vocat Gal. Nam ægros fere omnes ad exitium præcipitat, aut saltem in magnum vitæ discrimen adducit. In Coacis prænotionibus. Quibus sexta die rigores fiunt, ijs ægre morbus judicatur. Sudores sexto die manantes pessimi. Icterus sexto die lethalis. In epid. Dromeade uxor sexto die riguit & interijt. Æger secundus sect. 1. lib. 3. epid. Hermocrates sexto die ictericus factus, vigesimoseptimo moritur. Philiscus sexto die interijt. Gal. cap. 4. lib. 1. de diebus decretorijs, sexti diei Tyrannidem his verbis expressit: Multos hic in Syncopem derepente conjecit, aut immodico sanguinis profluvio exstinxit, aut immoderatis vacuationibus, vel etiam catoche aut mania mulctavit. Alios vero in manifestam perniciem conjecit icterum inuehens parotidas suspectas, rubras quippe, & vertiginosas excitans, & adhæc marasmis insanabilibus irretiens. Et quod demum mali genus ille dies non infert: Mihi quidem frequenter in mentem venit septimi diei naturam Regi assimilare. Sexti vero Tyranno. Ille siquidem boni instar alicujus principis, prospicit ijs, quia à se judicantur, vel supplicij magnitudinem minuendo, vel victoriam conferendo: At sextum diem, vel pernicie illius, quem judicandum cœpit, gaudere, vel ejusdem salute dolere comperies. Hæc Galen. Periculosæ ergo lethales, & infidæ sunt sexti diei crises. Duos tantum reperias in epid. sexto die salutariter, & perfectè judicatos Larisseam, virginem; & Heraclidem sect. 3. lib. 3. epid. Larissea virgo viro matura, febre occupata cum sævis symptomatis, die sexto perfectè ad salutem judicata est. Sed tanquam mirum id prædicat Gal. & causam salutaris criseos, ad validum naturæ conatum refert, quæ triplicem in virgine vacuationem molita est, alterum per menstruam purgationem, alterum per liberalem hæmorrhagiam è naribus. Tertiam per sudorem toto fluentem corpore multum, & calidum. Fuisse autem id rarum, satis indicant hæc Hipp. verba. Huic non reversa est febris, sed judicata est: At rara non sunt artis. Quid si dicamus morbum fuisse sanguineum? Erant enim dolores diebus paribus? Observarunt recentiores Medici sextum diem in morbis sanguineis magis esse judicatorium quam septimum, quia morbi jisdem judicantur diebus, quibus moventur, movetur autem sanguis diebus paribus, ut docet Galen. lib. 3. de crisibus. Heraclides autem sexto die ictericus ab interitu vindicatur triplicis vacuationis beneficio hæmorrhagiæ, diarrhœæ, perirrhœæ. Cæterum dum Gal.

ſextum diem inſidioſum vocat, de bilioſis tantum qui imparibus exacerbantur diebus, non de ſanguineis morbis loquitur.

DE DIEBUS OCTAVO, DECIMO, DUODECIMO, decimoſexto, decimooctavo.

CAPUT DECIMUMNONUM.

OCtavus dies ſexti naturam imitatur, eſt tamen minus periculoſus. Habet interdum quartum ſui indicem. Nam ſi quarto die prava appareant ſigna, & ſexto morbus non terminetur, in diem octavum cadet criſis. Decimus dies, ejuſdem fere eſt conſiderationis. Sect. 3. lib. 6. epid. mulieri cuidam decimo die copioſus erupit ſudor. Libro 5. epidemion. In Thaſo Pithion decimo die interijt. Duodecimus numerum tantum addit diebus, neminem unquam eo die judicatum vidit Gal. Decimusquintus, & ſextusdecimus nullius ſunt conſiderationis. Decimusoctavus apud Dioclem, & Archigenem, index eſt 21. In Hippoc. & Galen. doctrina, nunquam inter decretorios numeratur.

DE DIEBUS CRITICIS QUI SUNT A VICESIMO ad centeſimum, & viceſimum.

CAPUT VIGESIMUM.

VIceſimus dies, acutorum morborum terminus eſt longiſsimus, acutorum intelligo, qui abſolutè, & ſimpliciter tales ſunt: Nam acuti ex decidentia ad quadrageſimum diem prorogantur, de quibus intelligendus ille Hippoc. locus, qui aphor. 24. ſect. 1. prog. ſcriptus legitur. Bona, & facilis ſpiratio magnam vim habet ad ſalutem in omnibus morbis acutis qui cum febribus ſunt, & in quadraginta diebus judicantur. Sunt autem à vigeſimo ad quadrageſimum vere critici ſeptenarij tres, vigeſimusſeptimus, trigeſimus quartus, quadrageſimus, perit enim poſt vigeſimum quaternionum vis. Anaxion Abderites, conſtitutione 3. lib. 3. epid. 34. die ſudavit, perfectè judicatus eſt. Quin in dealcis horto jacebat quadrageſimo die perfectam, & ſalutarem habuit criſin. Idem contingit Clazomenio, cui cum humores pone aures vigeſimoſeptimo die apparuiſſent, quadrageſimo tandem, morbi periculo defunctus eſt. Poſt quadrageſimum, ceſſat ſeptenariorum vis, tunc ſoli vicenarij ſunt critici,

ſexageſimus, octogeſimus, centeſimus, centeſimus, & vigeſimus. Empyicos quoſdam ſexageſimo judicatos vidit. Hipp. ſect. 3. lib. 1. epid. Cleonactides octogeſimo perfecte judicatus eſt: Epicratis autem uxor eodem die interijt, ut & mulier quædam in Thaſo. ſect. 3. lib. 3. epid. Heropythus centeſimo viceſimo perfectè, & ſalutariter judicatur, Parius in Thaſo, centeſimo vigeſimo moritur. Poſt centeſimum, & vigeſimum perit dierum vis, menſibus tunc, & annis fieri criſes dicuntur, aphor. 28. ſect. 3. Plurimi affectus puerulis judicantur, non nulli quidem in quadraginta diebus, alij in ſeptem menſibus. Quidam in annis ſeptem aphor. 7. ſect. 5. Comitiales morbi quibus fiunt ante pubertatem, mutationem recipiunt: Quibus autem poſt vigeſimumquintum annum fere commoriuntur. Apertius libello de ſemeſtri partu, Mulieribus (inquit) & fœtuum conceptus eſt abortus, & partus eo judicantur modo, quo & morbus, & ſanitas, & mors, omnibus hominibus. Hæc vero univerſa, partim diebus, menſibus, partim dierum quadragenariis, partim vero anno judicantur. Hæc vera eſt criticorum dierum hiſtoria.



LIBER TERTIVS.

IN QUO CRITICORUM DIERUM CAUSÆ omnes explicantur.

Criticorum dierum causæ necessariò statuendæ sunt.

CAPVT PRIMVM.

ACVTOS morbos, statis circuitibus, & definitis temporibus nunc paribus, nunc imparibus moveri, longo usu, & certa experientia jam à multis seculis est exploratum. Dierum non eandem esse vim, sed alios alijs potentius decernere, nemo nisi audax, & demens negabit. Septenarios perfectissime judicare, tum indices, postremò intercidentes luce meridiana est clarius. Naturæ certas esse leges nobis incognitas, quas ipsa inviolatas, & immutabiles servat, nisi aut impedita, au lacessita, omnium recte Philosophantium consensu est approbatum. Sed horum effectuum causas assignare humani ingenij vires obscuris vallatas cancellis superat. Ita n. abditæ sunt, ita occultæ ut magnitudine sua obstupescentem animum suspendant. Multa (inquit Lucretius) tegit sacro involucro natura. Est hoc imbecillitatis humanæ asylum. Hic hærent Philosophi, cæcutiunt Medici, stupet prophanum vulgus: non minus quam in Euripi angusti in Eubea freti septies interdiu noctuque reflui motu, Occeani refluxu, Herculei lapidis ferrum ad sese trahentis viribus, Echenei pisciculi (Remoram vocant) navem medio in mari, impetu ventorum actam sistentis miraculo, Rhei bilem trahentis, aut fugantis proprietatibus. Est tamen horum omnium physica, & naturalis quædam causa. Causa, si quis nullas esse profiteri audeat, is cum Heraclito innumeros incurrens absurdorum Labyrinthos, demonstrationem, & scietiam omnem è rerum medio tollet. Qui certos, & ordinarios effectus suis causis destituet, is fortunæ, & casui omnia relinquet, quod vera, ac solida

da

da nunquam patietur philoſophia (inquit admirandus Hippoc. lib. de aeribus locis, & aquis) nihil in natura, ſine natura, id eſt, cauſa naturali fit. At certum eſt ſolos ſeptenarios ſeptimum, decimumquartum, vigeſimum perfectè decernere, ſolos quaternarios, quartum, undecimum, ſeptimum decimum ſecure judicare. Erit igitur eorum certa quædam, & conſtans ratio. Eam veterum, & neoteriorum quam plurimi conati ſunt explicare, ſed tam variæ ſunt, multiplices, & inter ſe diſsidentes eorum ſententiæ, ut ſi quis eas omnes velut apud Cenſorem aliquem profiteri aut ordine recenſere vellet, magnum, & (ut poeaæ loquuntur) improbum ſubiret laborem. Ego licet hæc plus voluptatis quam utilitatis Medico ſint allatura, quæcunque graviores antrum Philoſophi Pythagorici, Arithmetici Aſtrologi, Medici, de criticorum dierum cauſis prodiderunt primum aperiam. Mox quid ſentiam paucis, & brevius quam fieri poterit explicabo.

PRIMA OPINIO PYTHAGORÆORUM, QUI AD numerorum vim omnia referunt.

CAPVT SECVNDVM.

PYthagoram ſummum ætatis ſuæ Philoſophum tanquam divinum, & venrandum admiratur Plato, unde olim Pythagorici dicti. Eum apud ſuos tantum exiſtimationis adeptum fuiſſe ſcribit Tullius, ut ſi quid affirmarent in diſputando, quum ex eis quæreretur: Quare ita eſſet, reſpondere non vererentur hoc eſt, ipſe dixit. Tantum ejus opinio præjudicata poterat, ut etiam ſine ratione valeret auctoritas. Præclara quidem ſunt Pythagoræorum myſteria, ſed in his ſuperſtitioſa quã plurima, maxime vero quæ de numeris, & eorundem viribus prodiderũt. Triplicem hi in rebus ordinem ſtatuunt, ſpecierum, figurarum, & numerorum, ſed numeros principatum obtinere volunt. Ab his n. omnia pendere in his omnia conſiſtere. Horum omnium principia, & elementa agnoſcunt. Quin & numeros non ſolum inter efficientes cauſas, ſed etiam inter ſubſtantias reponunt. Ens & unitatem omnino confundunt. Sic autem ratiocinantur. Quemadmodum in numerorum materialium ſerie unitas unitati addita binarium conſtituit, eadem binario addita ternarium, & ſic de ceteris: Ita una ſubſtantia alteri addita binam efficit, adeo ut ſicut unitas numerum cui additur immutat, ita ipſa eadem Ens cui adjungitur variat. Ex numeris porro alios pares alios impares eſſe volunt. Pares fœminas, impares mares appellant. Illos imperfectos, dividuos, infœcundos: Hos perfectos,

in-

individuos, fœcundos, propptereaque principij rationem obtinere putant, imparem numerum vocant, parem. Hac numerorum superstitione delusi quidam, existimarunt herbam dictam quinarij virtute venenis resistere, demonas fugare, & ejus folium unicum bis in die ex vino sumtum quotidianam febrem curare, folia tria tertianam, quatuor quartanam. Plato numerorum vim, & dignitatem adeo extollit, ut neminem sine illis recte philosophari posse pronunciet. Quærit divinus ille philosophus, cur homo animal sit sapientissimum: Respondet, quia numerare novit. Animam definit numerum seipsum moventem. Sunt qui Aristotelem hujus sectæ fautorem agnoscant. Is enim primo de cœlo. Ternarium numerum naturæ legem appellat, secundum quem naturalia omnia disponantur, atque propterea corporum tres dimensiones, non plures esse putat: quod ternarius sit omnia, deducta demonstratione ex Pythagorica doctrina: Nullus in numeris ordo sine ternario, Arithmeticus namque Geometricus, & Harmonicus ordo tribus absolvitur, principio scilicet, medio, & fine. Neque vero numerorum vim repudiavit admirandus Hippoc. nam epistola quadam ad Thessalum filium hæc scribit. Ad numerorum scientiam multum studij adhibeto: Numerorum enim ratio, & ad circuitus, & ad transmutationes febrium præter rationem fientes ad judicia ægrotantium, ac securitates in morbis sufficiens erit. Concludunt itaque Pythagorici, numeros judicationibus præfici, & numerorum imperio omnia dispensari, moveri, gubernari. Septenarios vere decretorios esse, quaternarios vero eorundem indices, ideo tantum putant, quod septenarij maxima sit divinitas, & quaternarij dignitas pene incredibilis. De septenarij divinitate multa alias annotavimus quæ hic transcribere non lubet, ejus tanta est majestas, ut sacrum, & venerandum veteres appellarint, alij majoris, & minoris mundi numerum. Quaternarium vero numerum perfectionis vocant Pythagorici, per quaternarium jurabant, quaternione constare animam existimabant. Quatuor sunt in universo elementa, quatuor in sanguineis animalibus humores, quatuor nutrici famulantes facultates, quatuor tantum causarum genera, quatuor anni tempestates, &c. quæ curiosus quis perscrutari poterit. Ob septenarij ergo, & quaternarij dignitatem, septenarios, & quaternarios criticos esse volunt. Sic septimestres partus vitales esse ob solius numeri vim contendunt. Impares vero dies potius criticos esse quam pares, ex eo colligunt, quod impar sit velut musculus, & ad agendum promptior: itaque humoribus calidis, & agentibus magis convenit quam patientibus: Agere autem magis biliosum humorem substantia tenuissimum, temperamento calidissimum, qualitate acerrimum ex ipsius elementi natura manifestum evadit: at acuti fere omnes à bile fiunt. In diuturnis morbis quorum materia contumax est, frigida, &

crassa ad patiendum magis nata, crises diebus paribus contingunt, quia pares fœmineis sunt, & ad patiendum nati. Hanc fuisse summi Hipp. sententiã contendunt Docti quidam. Quid enim (inquiunt) aliud sonant hæc toties ab Hippo. decantata verba libello vita hominis dispensatur septenario. aphor. quinquagesimonono, sect. 4. Tertiana exacta septem circuitibus quod longissimum est judicatur. Aphor. 36. ejusdem sect. sudores septimo die manantes boni. Aph. 127. Coacarum progn. Icterus ante septimum diem insidiosus, Apho. 23. sectione secunda acuti morbi intra quatuordecim dies judicantur. Aph. 61. sectione quarta, febricitantem nisi diebus imparibus febris relinquerit, relapsus periculum subest. Vnicam ergo criticorum dierum causam cognoscunt Pythagorici numerorum scilicet dignitatem, & vim.

CONVELLITUR OPINIO PYTHAGORÆORUM, & demonstratur numeris agendi vim nullam inesse.

CAPVT TERTIVM.

PRæclara sunt (fateor) Pythagoræorum hæc de numerorum miraculis, & viribus placita, sed si Philosophica trutina, & Medica statera ponderentur, erroris plena omninoque superstitiosa æquus veritatis æstimator judicabit. Vt enim singula sigillatim excutiam. Numeris nullam agendi vim concedimus. Nullum hi in naturam habent imperium. Non sunt substantiæ, sed ad quantitatis ejusque discretæ categoriam referuntur. At quantitas apud Philosophos nullam agendi vim habet. Tribuitur omnis actio qualitati. Aristoteles duodecimo metaphysices capitibus penultimo, & ultimo arguit Pythagoræos, qui numeros substantias separatas, & entium causas esse volebant. Gal. cap. 8. lib. 3. de diebus decretorijs. Omnia (inquit) quæ de numerorum viribus Arithmetici nugantur, tam facile absurda esse deprehenduntur, ut mirari mihi sæpe subeat, aut sic Pythagor. ille simul, & prudens fuerit, & simul numeros tanta posse existimaverit. Non posse autem ad numeros criticorum dierum causam referi, ita philosophatur Gal. eod. capite: si numerus per se vim haberet decernendi, acuti morbi semper diebus imparibus judicarentur nunquam paribus: At sæpe paribus judicantur. Non ergo quia omnis par numerus fœmina est, impar vero masculus acutorum crises in imparibus fieri pronuntiandum. Est & alia Gal. demonstratio. Crisis motus est (definitur

nitur enim mutatio ſubita ad ſalutem aut ad mortem.) At mutationes non à numeris fiunt, accidit quidem certis numeris, aut innumeratis dierum intervalis mutatio, quia motus omnis tempore perficitur, definitur autem tempus numerus motus ſecundum prius, & poſterius, Ariſtoteli quarto Phyſicor. Sed numerus quatenus numerus, nec agit in naturalia corpora, nec ea immutat Plinius lib. ſeptimo naturalis hiſtoriæ cap. 40. contra numerorum vanitatem ita exclamat: Heu vana, & imprudens diligentia, numerus dierum computatur, ubi quæritur pondus, alius de alio judicat dies, & tamen ſupremus de omnibus ideoque nullis credendum eſt. Quid quod bona malis paria non ſunt etiam pari numero? Mitto ſapientis cujuſdam dictum. Numerorum per ſe nullam eſſe dignitatem. Quiſque enim numerum quem amat, celebrare ſolet. Sic de ſenario mira prædicant quidam eum vocant, nuptijs eum accommodant, & omnis generationis principium agnoſcunt, quem tamen medici Tyrannum inſidioſum, & infidum vocāt. Quod ſi ſerio philoſophandum ſit nobis, quomodo in hominis naturam imperium aliquod habebit numerus, cū numerus per ſe nihil ſit, & ſi metaphyſicis credendum, non ſit ens reale, ſed intellectus tantum. Non eſſe ens per ſe ita demonſtrari poteſt. Quod eſt multa ſimpliciter, non eſt unum ſimpliciter, & proinde, nec unum ens per ſe. At numerus eſt multa ſimpliciter, ut docet Ariſtoteles cap. 7. lib. 3. Phyſic. ubi ait. Numerum eſſe una plura, & decimo Metaphyſic. numerum vult eſſe multa una. Quin etiam, ex duobus nunquam fit unum per ſe, niſi illa inter ſe uniantur unitate continuitatis, vel intentionis, aut alterum ſit forma alterius: At unitates ex quibus conſtat numerus, neque uniuntur inter ſeſe in aliquod unum continuum, neque una unitas forma eſt aliarum: Non erit igitur ens per ſe. Adde, quod ſi ex ſubſtantiarum unitatibus non fit unū per ſe, quomodo ex unitatibus quantitatum fiet? Neque vero ens reale dici debet numerus: Numerus enim quatenus numerus, conſtat ex unitatibus omnis unitas quædam eſt indiviſio, omnis indiviſio negatio eſt ſeu privatio: Conſtat ergo numerus negationibus. At negationes ſunt non entia: Quod ſi objiciat quis numerum à ſenſibus percipi, & ab Ariſtotele ſecundo de anima inter objecta communis reponi, propterea ens eſſe reale (liceat vocabulis uti ſcholaſticis, quia rem exprimunt. Reſpondebimus ex odem Philoſopho numerum ex continui ſolius negatione percipi: Sic tenebræ, cæcitas, & privationes ferè omnes à ſenſibus percipiuntur, non ſunt tamen vera entia. Quod autem numerus non ſit ens reale docet multis in locis Ariſtoteles. In prædicamentis ſcribit in partibus numeri eſſe ordinem, id autem fieri non poteſt, niſi quatenus ab intellectu percipitur. Octavo Metaphyſices: Numerus, inquit, unum non eſt, ſed velut cumulus, aut ſi ſit, dicendum quid-

nam illud sit quod ipsum efficit unum ex multis, ac si diceret: Nisi detur in numero ultima unitas, quæ sit velut forma præcedentium, non fiet numerus unum quid, id autem non fit nisi intellectu, & satis imperfectè, hoc est, non ratione compositionis, sed solius ordinis qui mente colligitur. Tertio Physic. numerus est una plura quantum quædam. Est ergo numerus ens intellectus non ens reale, non causa efficiens, non substantia, ut volunt Pythagorici, propterea que nulla inest numeris agendis vis. Plato numeris multum ttibuit, sed verisimile est (ut plerique sentiun) eum non de materiali, & vocali numero, sed de rationali, & formali loquutum, & per numeros ipsas rerum naturalium formas substantiales intellexisse. Aristoteles dum libris de Cœlo ternarium naturæ legem dicit, non agnoscit eum numerum tanquam agentem causam, sed (ut docti omnes interpretantur) legem ex causa manantem, aut causæ junctam, cujus exemplo naturalia disponantur. Sunt enim moventes omnes causæ, certo præditæ numero, cujus ratione tanquam exemplari aliquo dispensantur, moventur, gubernantur. Numerus ergo nihil agit, sed ratio numeri nobis incognita mira præstat. Septenarius quatenus numerus est, nullam efficiendi vim habet: sed cum sibi elegit numerum pro delicijs natura, eo mirum in modum oblectatur, & gaudet: unde fit ut septimo quoque die, mense, & anno maximæ contingant mutationes. Cur autem eum numerum elegerit natura pollicetur Hippoc. se aliquando demonstraturum. Nam ad finem libelli hæc scribit. Quamobrem autem, & qua naturæ necessitate per septenariorum rationem singula hæc dispensentur alio loco aperiam, sed nunquam id præstat. Dicamus nos cum Theologis, Deum diei septimo benedixisse, eum filijs Israël tanquam celebratissimum commendasse, die septimo quievisse ab operibus suis: undevulgatum illud: *Numero Deus impari gaudet.* Et antiquissimus ille vates Orpheus de septenario hæc cecinit.

Ecce sagittifero pergrata est septima Phœbo.

Natura itaque (quam ordinariam Dei potestatem etiam mirus prædicat Hippoc. de aeribus, locis, & aquis) numerum eum tanquam perfectissimum elegit, adeo ut conceptus, conformatio, motus, partus, vita, crises septenarijs dispensentur, natura agente non numero.

AL-

ALTERA OPINIO EORUM QUI CRITICORUM dierum caufam ad Arithmeticam rationem referunt, ejufdemque confutatio.

CAPVT QVARTVM.

SVnt ex Medicis docti quidam; qui criticorum dierum caufam ad Arithmeticam compolitionem referre conati funt. Eorum hæc funt præcipua fundamenta, hypothefes. Morbi acuti ad impares tendunt dierum numeros, & eos maximè qui totius naturam induunt. Impares autem numeri qui totius naturam induunt, funt feptenarius, & novenarius. Nam cum numeri omnes denario claudantur, fit ut impares omnes qui denario continentur, vel ternarium, vel quinarium, vel feptenarium, vel novenarium componant: At ternarius, & quinarius novenarij partes funt: Superfunt ergo duo tantum, feptenarius, & novenarius, ipfi nullos alios componentes. Acuti itaque morbi feptenarijs, & novenarijs judicabuntur. Partes porro numerorum de proximis fuis totius indicant, fic Architectus ex fundamentis parietes, ex parietibus tecta colligit: Fit itaque ut tertius de quinto indicet, & quintus de nono. Quartus autem de octavo non indicabit in acutis, quia acuti imparibus exacerbantur diebus, fed de feptimo tantum, quia feptenarij partes, in quas proximè refolvitur funt quatuor, & tria, fed quaternarius propinquior eft. Finita prima decade alteram rurfum incipe, vel alterum quaternarium, fenarium, octogenarium: Ita undecimus criticus erit, quia quartus eft à feptimo decimusquartus omnium decernentium validifsimus, & perfectifsimus, quia ab utroque numero vim accepit. Eft enim feptenatius à feptimo, & à novenario quintus, decimusoctavus criticus erit potius quam decimusfeptimus, quia nonus eft à novenario, vigefimus primus etiam potius quam vigefimus de morbis decernit, quia feptimus eft à quartodecimo. Hæc crifeon in morbis acutis eft ratio. Morbi longi diebus moventur paribus, ijs præfertim qui totius naturam induunt: Sunt autem pares denario conclufi, quartus, fextus octavus, decimus, de quibus indicabunt fuæ partes, de octavo quartus, de decimo quintus, de fexto tertius, de quarto fecundus. Ita philofophatur Augerius Ferrerius Medicus, & Philofophus eximius. Sed quoniam nova hæc crifimorum dierum ratio, Hippocraticæ, & veræ doctrinæ fplendorem obfcurat, omnemque decernentium dierum invertit, eam in Lycæo Medico non admittimus. Nam nec tertius, nec quintus apud Hipp. verè funt indices, fed intercalares tantum,

nec quartus decimus omnium decernentium est validissimus. Septimum enim inter decretorios primum appellat Gal. viribus, & dignitate. Nec octavum decimũ septimodecimo præferendũ putamus, nec vigesimumprimum vigesimo, ut iste contendit, ita enim vigesimusseptimus, & trigesimusquartus quadragesimus, sexagesimus, octogesimus, centesimus non essent critici, quos tamen frequenter, & perfectè decernere lib. 2. demonstravimus, & historijs quam plurimis illustravimus. Valeat ergo Arithmetica hæc criticorum dierum demonstratio, maximè verò cum aliquam vim efficiendi tribuat numeris, qui cum sint quantitates, & entia imperfecta, nihil quicquam agere apti natique sunt.

OPINIO ASTROLOGORUM QUI CAUSAM SALUtaris, & lethalis criseos referunt ad beneficos, & maleficos Planetas.

CAPVT QVINTVM.

Astrologi (qui vulgo judiciarij dicuntur) & Genethliaici ferè omnes, non criseon modo, sed etiam eventuum omnium, & humanarum actionum causam, ad varios syderum aspectus, influxus, conjunctiones referunt. Primi omnium Ægyptij, & Chaldæi planetarum duo statuebant genera. Alios temperatos, & salutares appellabant: Alios intemperatos, maleficos, horribiles. Illos vulgus Astrologorum bonas fortunas vocat, quales sunt Jupiter, Sol, Venus, Mercurius: hos malas fortunas, quales sunt Saturnus, & Mars: si cum illis conjugatur Luna fausti erunt, & felices dies, si cum his infausti, & lethales. Abrahamus Avenesie septem vult esse mundi gubernatores, qui per cœlos tanquam instrumenta oberrantes, coacervatis stellarum omnium influentijs, eas in hæc inferiora distribuunt: Eos revera Medicos dici debere putat, quoniam ex ijs sanitas aut mors. Mercurius ille ter maximus, libello de decubitu infirmorum, vim quandam in esse astris maleficam quæ imperfectæ, & lethalis criseos causa sit apertissimis verbis declarat. Medicus, inquit, ægri decubitum explorare debet. Quod si horam qua ægrotare cœpit exquisitè deprehendere nequeat, spectare debet quomodo cœlum affectum sit, & ad quam stellarum luna rationem habeat oppositam scilicet, vel quadratam: Cum maleficis enim si conformetur, noxium morbum facit, cum beneficis salutarem. Ptolomeus primoquadripartiti: Erraticarum, ait, stellarum atque fixarum circumvolutio calores, ventos, nives in ambiente

aere

aere efficit. Idem centum ſententiarum cap. 6. Super ægrotis criticos dies inſpice, ac lunæ peragrationem in angulis figuræ ſexdecim laterum: Vbi enim eos angulos benè affectos inveneris, benè erit languenti, contra male ſi afflictos inveneris. Sexdecim porro angulorum quidam ſunt pleni, qui reſpondet diebus criticis radicalibus, & ſunt quartus, octavus, duodecimus, ſextusdecimus: Quidam ſemipleni qui reſpondent indicibus, & ſunt ſecundus, ſextus, decimus, quartus decimus: alij ſemidimidiati, qui reſpondent intercidentibus, & ſunt tertius, ſeptimus, undecimus, quintusdecimus: Alij ſunt vacui ut primus, quintus, nonus, tertiusdecimus. Tanta fuit quorundam Aſtrologorum vanitas, & ſuperſtitio, ut ſingulis planetis peculiares morbos deſignarint, Saturno quidem quartanas febres, lepram, ſcirrhum, cancrum, ſtrumas, maligna ulcera, incubum, melancholiam, hepatis, & lienis obſtructiones, hæmorrhoides, varices, herniam, uteri præfocationem: Jovi cephalalgiam ſanguineam, ſynochos, ephemeras febres, anguinas, pleuritides, peripneumonias, apoplexiam. Marti tertianas febres, Hemitriteos phrenitidem, maniam, hæmorrhagiam, choleram morbum, icterum, dyſenteriam, eryſipelata, exanthemata, herpetes, carbunculos. Soli febrem continuam, cordis palpitationem. Veneri œdemata, priapiſmum ſatyriaſin, gonorrhœam, imaginariam venerem, inſaniam ex amore, morbum gallicum. Mercurio, vertiginem tuſſes ſiccas, linguæ vitia. Lunæ epilepſiam, arthritidem, hydropem, Paralyſin, Lethargum, coma, caron, catarrhum: Hoc idem voluit Hermes ille triſmegiſtus. Qui, inquit, ſub Saturno, & Mercurio decumbunt, tardi ſunt, & ad movendos artus imbelles, frigidum ſentiunt, lucem averſantur, crebra ducunt ſuſpiria mœticuloſi ſunt, vox illis acuta, & ex illis, parvus pulſus, reſpiratio minutula. Qui ſub Marte, & Sole dicumbunt iracundi ſunt, ſiticuloſi, facies ſaturato rubore ſuffuſa eſt, inordinati, & inæquales pulſus, lingua aſpera, oculos huc illuc voluunt cum & anxietudine penè incredibili. Neque verò planetis tantum, ſed etiam ſingulis Zodiaci ſignis peculiares morbos aſſignant Aſtrologi. Arietis apud eos morbi ſunt, epileſia, aurium, narium, oculorum, dentium, oris dolores, ſcabies, impetigo, puſtulæ. Tauri omnes colli, & gutturis affectus, angina, ſcrophulæ. Geminorum morbi ex ſanguine fiunt in manibus, brachijs, & humeris. Cancri, pruritus, lepra, depilatio. Leonis, qui in corde, & diaphragmate. Virginis qui in teſtibus, & abdomine, atque ita de cæteris. E cœlo igitur dierum, & horarum felicitatem, ac infelicitatem derivant Aſtrologi, & Genethliaci, cœloque, & Aſtris maleficam vim tribuunt. Superſtitioſam hanc, & vanitatis plenam opinionem Medici quidam judiciarij ſequuti ſunt, criſeos ſalutaris, aut inſidioſæ cauſam ad benignum aut maleficum ſyderum aſpectum referentes. Itaque ſimul

mul atque decumbere cœpit æger, planetarum influxus, & quomodo affecta sin sydera intuentur. Ad hujus falsi dogmatis confirmationem possumus gravissimorum Medicorum, Philosophorum, Hppioc. scilicet, Platonis, Aristotelis, Galen. & aliorum auctoritates proferre; Hippoc. lib. de aeribus, locis, & aquis hæc scriptis mandavit: Medicum astrorum exortus considerare oportet, præcipuè vero arcturi, & Pleiadum occasum: Morbi n. in his maximè diebus perimunt homines: Sed,& periculosissima sunt ambo solstitia, periculosum, & æquinoctium utrumque: Itaque neque illis temporibus cathartica exhibere, neque urere, neque secare oportet priusquam prætereant dies decem aut plures. Secundo lib. de Diæta: Astrorum ortus, eorumdem occasus agnoscere Medicum oportet, ut inde mutationes totius mundi, ex quibus morbi hominibus oriuntur observet, & libello: De rebus sublimibus in cœlo non est institutum dicere, nisi quatenus ex ijs sanitas, & morbus, ex ijs bonum, & malum, ex ijs vita, & mors. Videtur itaque Hipp. cœlo, & astris maleficam vim, & quasi necessitatem tribuere. Nam primo de Diæta, omnia inquit eveniunt per cœlestem, ac divinam necessitatem, & quæ volunt, & quæ nolunt, lib. de natura hominis ab eadem necessitate omnia contingunt. Hinc illud in morbis lib. de aeribus, locis,& aquis, 1. prognost. Hanc admirandi Hipp. sententiam sequutus videtur divinus Plato cum plerisque in locis, tum vel maxime in Timæo: Suadet enim ut diligenter inspiciamus, quid ex vario astrorum occursu, circuitu, aspectu cuique nostrum eventurum sit. Astra namque alia frigus alia calorem inducunt, & cuilibet animanti peculiare subest in cœlo astrum. Aristoteles lib. de Cœlo, de ortu, & interitu, de generatione animal. & meteor. Omnia hæc inferiora à superioribus pendere, esseque superiora inferioribus contigua apertissimis verbis declarat. Quin & primo politicorum Thaletem Milesium ex Astrorum observatione oleæ caritatem prænuntiasse scribit. Plinius Cœlo,& Astris maleficam vim tribuit: & quod commemorabile est, minimum animal formicam, siderum vim sentire. Marsilius Ficinus in qualibet stella dœmonem statuit. Ad siderum ergo infelicitatem criseos lethalis causam referunt Astrologi judiciarij, & prout cœlestia illa corpora feliciter, vel infeliciter affecta sunt, ita, & nos, & actiones nostras, aut damno, aut commodo afficere volunt, ex eorum aspectu triquetro (ut ajunt) quadrato, sextili, opposito, futura omnia prædici posse pertinaciter adstruunt, diem, & horam cum suis minutis, qua æger laborare cœpit observant, erectaque eo momento figura cœli, æquatis quatuor cardinibus, & positis suo loco planetis, locorum apheticorum conditionem speculantur dominique ascendentis, & significatoris morbi situm, & constitutionem, sumptoque inde judicio ægritudinem lethalem, aut salutarem, diuturnam, aut brevem vaticinantur. Quæ an

vera

vera sint ad Lydium (ut ajunt) lapidem, & veritatis libellam nunc revocare placet.

CONVELLITUR HÆC ASTROLOGORUM opinio, & demonstratur cœlo atque Astris nullam inesse vim maleficam, nec divinatrici Astrologiæ credendum.

CAPVT SEXTVM.

QVod olim de Aruspicibus Cato, id ergo de judicarijs, & divinatoribus Medicis dicere possum. Mitatur ille, quod non rideret Aruspex Aruspicem cum vidisset. Quota enim quæque res evenit prædicta ab his: aut si evenit quippiam, quid afferri potest cur non casu id contigerit? Non minor est divinatricis Astrologiæ quam Aruspicinæ vanitas. Quam multa (inquit Tullius 2. de Divinatione) ego Pompeio, quam multa Crasso, quam multa ipsi Cæsari à Chaldæis dicta memini, neminem eorum, nisi senectute, nisi domi, nisi cum claritate esse moriturum, ut mihi per mirum videatur, quemquam exstare, qui etiam nunc credat ijs, quorum prædicta quotidie videat re, & eventis refelli. Divinatricem eam Astrologiam Philosophi omnes, Pythagoras, Democritus, Plato, Panætius Stoicus, Archelaus, Aristoteles, & neglexerunt, & repudiarunt: vana enim sunt ridicula, & debilissima ejus artis fundamenta. Ex astrorum quippe aspectu, humanæ vitæ casus, & crises omnes prævideri posse impudentissimè jactitant, proptereaque natalitia cujusque astra observanda esse medico: Quin, & astra necessariò in nos agere contendunt, eorumque alia benefica, alia malefica esse volunt, quæ singula absurdissima esse: ne dum veritatis pallio velata ratione, & sensu (certissimis rerum omnium) demonstrare aggredior. Atque ut sigillatim singula persequar. Quomodo ex stellarum aspectu morbi eventus, & humanæ vitæ casus prævideri possunt, cum incognitæ sint astrorum omnium vires? stellarum quippe infinitus est numerus, & magnitudo pene incredibilis. An non per stellarum incognitarum influxum, aliarum, quæ cognitæ sunt, effectus, aut impediri, aut variari poterunt: vana igitur, & incerta erit prædictio. Scio quid respondeant Astrologi, se longa annorum observatione rerum statos, & definitos eventus millies comprobasse. Sed an ignorant quod naturæ genius Aristoteles prodidit, motus cœli esse incommensurabiles, eandemque cœli faciem, eundem stellarum positum sæpe evenire non

posse,

posse, ut vix liceat homini semel in vita eandem cœli totius faciem intueri: Jam verò natalitia cujusque astra observare quid prodest, cum in conceptu potius, & conformatione partium beneficam aut maleficam vim si quam habeant, impertiantur planetæ? plus enim in conceptu quam in partu ponderis esse fatetur Ptolomeus: At quis horam conceptus, & conformationis explorare poterit: Solus (ait Galen. libello, an omnes particulæ simul fiant) qui fœtum plasmavit novit creator. Potestne eo momento, quo decumbere incipit æger, siderum omnium aspectus, influxus, conversiones observare medicus (cum & densissima sæpe observentur nubes) & ita rapidus sit stellarum motus, ut constellatio prius transvolet, quam à nobis deprehendi queat: Sed demus stellarum omnium vires illis esse cognitas, & primam decubitus horam, imo, & momentum, poteritne ex eo aspectu crisis totiusque morbi eventus præsentiri? Cœlum apud Philosophos universalis est causa, cujus vis licet infinita sit, per particulares tamen causas, & elementares determinatur. Sol nunquam sine homine hominem generat, requiritur ad effectuum productionem agens particulare, & certa quædam materiæ dispositio, quæ universalis illius agentis vires immutat, evertit, alterat. Non ergo ab criseon præsentionem astra tantum spectare debet Medicus, sed peculiares causas, ægrotantis quippe naturam, temperiem, morbi ideam, magnitudinem, mores, & motus. Sic nauium periti gubernatores, non ex Jove, Saturno aut Marte imminentes tempestates prævident, sed ex aere, ventis, nubibus, sic rustici, & agricolæ non à stellis, sed ab aere aeris dispositiones agnoscunt. Vt ergo aerem illi ex aere: ita Medici ægri salutem, & perniciem ex ægro, id est, ijs, quæ in ægrotantē apparent, non ex cœlo, & astris prævidere debent. Præterea si varius ille stellarum influxus, & aspectus sola statuatur criseon, & criticorum dierum causa: Ergo qui sub eodem aspectu, & eadem hora decumbent, eodem omnes modo judicabuntur: At observarum est eodem momento ægrotasse quam plurimos, eorum tamen alios interijsse, alios supestites evasisse. Quam multi (inquit Phavorinus apud Gell.) omnis ætatis, sexus, sub diversis stellarum motibus nati, eadem navi fluctu, obruti eodem genere mortis eodemque ictu temporis interierunt: Quod sane nunquam eveniret, si momenta nascendi singulis attributa, suas unumquodque leges haberent. Quid? an non gemellorum conceptus, conformatio, partus, eadem hora: & sub eodem aspectu perficiuntur? At dissimiles eorum mores, affectus casus sæpe observamus. Proclus, & Euristhenes Reges Lacedæmoniorum fratres fuerunt gemini, eorum tamen, & exitus vitæ dissimilis, & rerum gestarum gloria dispar fuit. Vana igitur, & incerta ad morborum prognosin ea stellarum contemplatio. Impium verò, & Christiano indignum, quod divinatrix hæc Astrologia conten-

tendit, agere in nos cœleſtia corpora neceſſariò: Sapiens enim (ut ſacræ teſtantur paginæ) dominabitur aſtris, & ut jam demonſtravimus univerſalis cauſa non agit: niſi pro diſpoſitione particularis. Proferam Bardezanes Syri, non inelegans contra iſtos ſtellarum influxus, & neceſsitatem argumentum. Apud Seras (ait) lex eſt prohibens occidere, fornicari, & adorare ſimulacra, unde in illa regione nullum templum conſpicitur, nulla mulier meretrix, nulla adultera, nemo homicida nec voluntatem alicujus illorum ardentiſsima ſtella Martis in medio cœli conſtituta ad cædem hominis coegit, nec Venus Marti conjuncta ut alienam quiſpiam ſollicitaret uxorem potuit efficere? Atqui ſingulis etiam apud eos diebus, in medium cœli, Martem pervenire neceſſe eſt, & in tanta regione ſingulis horis naſci homines non eſt negandum. Itaque nec natalitia ſidera, nolentes Seras ad homicidium compellunt, aut Brachmanas ad eſum carnium: Nec Perſas à ſceleratis nuptijs removent, nec Medos prohibent vita defunctos canibus exponere, nec Parthos multas ducere uxores: Singulæ namque gentes ut volunt, & quando volunt libertate ſua utuntur, legibus moribuſque obedientes. Socrates ſapientia clarus, illud quicquid eſſet non natalitis ſideribus ſed aſsiſtenti numini acceptum referebat. Iſocrates, cum ei filium exhiberet quidam, & quæreret quid ei neceſſarium arbitraretur, penna opus eſſe (reſpondit) & mente. Nullam ergo neceſsitatem habent aſtra, nec agunt in nos, niſi ut cauſæ univerſales. Quod vero Aſtra quædam benefica, quædam malefica eſſe volunt, & commentitium id credimus, & erroris ac vanitatis plenum. Nunquam mors à cœlo, ſed à materia elementari cum vitio proprio, nunquam inferiorum corporum tumultus à cœlo ſunt, ſed à materiæ motibus inordinatis, cœleſtis harmoniæ legibus non obſequentibus. Quæcunque in ſublunari regione contingunt mala, tumultuantis potius, & deficientis materiæ opera ſint, quam benigni cœli. In cœleſti illa harmonia, quæ ex luminum omnium conſpiratione reſultat, omnia perpetuo conſonant, per eam nihil in ſublunari mundo unquam diſſonat: quod ſi aſperum, & diſcors quidpiam audiatur, id ad cœli tactum referri non debet, ſed ad quatuor iſtas ſublunaris cytharæ chordas. Qui cœlo maleficam vim tribuit, qui ſtellis morborum cauſas aſsignat, non minus reprehenſione dignus eſt, quam qui naturam corpus noſtrum diſpenſantem morborum cauſam agnoſcit: At hæc ipſa morborum eſt medicatrix. Hipp. in epid. Furor eſt benignam cœli virtutem maleficij accuſare. Non fiunt (ait Philoſophus) monſtra, facultatis informantis errore, ſed materiæ ſolius, quæ qualitate aut quantitate peccat vitio, cur ergo cœli virtutem ſeminis, facultate nobiliorem, & diviniorem damnabimus? Cæterum quas illi planetis elementares qualitates aſsignant, ut hic frigidus ſit, ille calidus, hic ſiccus, ille humidus, ſi non

actu, saltem effectu, eas non agnoscimus. Vt enim astra omnia lucida sunt, ita omnia calefacere necesse est? lux quippe omnis apud Philosophos calefacit: At siderum omnium una est eademque lucis ordo. Sic in plenilunio noctes sunt calidiores, quia lumen amplissimum. Hoc cum viderent Astrologi, ad influentias recurrere, & in stellis præter lumen, influentiam agnoscere coacti fuerunt, sic Saturnum per lucem calefacere quidem, sed per influentiam refrigerare volunt: ita duplicem in qualibet stella facultatem inesse putant: Alteram communem, quæ est vis illnminandi, & calefaciendi. Alteram propriam quæ est ab influentia, ut in Saturno refrigerandi. Quæ quam sint absona quis non videt: Non sunt in uno eodemque subjecto duæ facultates contrariæ. In heterogeneis corporibus diversæ nonnunquam facultates comperiuntur, sed in homogeneis nunquam: At astra unius sunt naturæ, & simplicissima corpora benigna, & prospera omnia, nunquam per se maleficia. Si enim (ut notat Gellius ex Phavorino) mottis hominum rerumque humanarum omnium tempus, ratio, & causa in cœlo, & apud stellas forent, quid de muscis, aut vermiculis, aut eschinis multisque alijs minutissimis terræ marisque animantibus dicerent Astrologi: an ista quoque ijsdem quibus homines legibus nascerentur, ijsdemque itidem exstinguerentur, ut aut ranunculis quoque, & culicibus nascendi fata sint de celestium siderum motibus attributa: aut si id non putarent, nulla ratio videretur cur ea siderum vis in hominibus valeret si deceret in cæteris. Quæ autem in adversam partem allatæ sunt Hippoc. auctoritates, cœlum in hæc inferiora agere, & mutationem omnium causam esse universalem; conficiunt tantum: Quod etiam voluit Arist. dum cœlum inferioribus his esse contiguum non mathematico sed physico contactu scribit. Agere autem cœlestia omnia in hæc inferiora motu tantum, & lumine existimavit idem Philosophus, unde fit ut in æquinoxijs, & solstitijs ob aeris alterationem, cathartica exhibere, secare aut vrere vetet Hipp. & aphoris. 5. sect. 4. Sub cane, & ante canem difficiles velit esse purgationes. Illud autem Hippocr. referant omnes non ad cœli sed aeris constitutionem. Explodatur ergo vetus illud Astrologorum dogma, & astris benigna tantum non malefica vis concedatur. Exsibiletur e Christianorum cœtu divinatrix illa Astrologia, quam D. Basilius vanitatem appellat occupatissimam, Ambrosius inutilem, & impossibilem, Cyprianus vanam, falsam, ridiculam. Aut n. adversa eventura dicunt hic, aut prospera: si prospera, & fallunt, miser fies frustra exspectando: si adversa dicunt, & mentiuntur, miser fies frustra timendo. Si vera respondent, eaque sunt non prospera, jam inde ex animo miser fies, antequam è fato fias. Si felicia promittunt eaque eventura sunt, tum plane duo erunt incommoda. Nam, & expectatio te suspensum

sum fatigabit, & futuri gaudij fructum spes tibi jam defloraverit. Nullo igitur pacto utendum est istiusmodi hominibus res futuras præsagientibus. Neque judiciarijs his medicis fides adhibenda, qui ex syderum solo aspectu crises totumque morbi eventum tutò præsentiri posse impudentissime jactitant.

ALTERA ASTROLOGORUM, ET MEDICORUM quorundam opinio, qui criticorum dierum causam ad solam Lunam referunt.

CAPVT SEPTIMVM.

Maximæ sunt siderum omnium, & cœlestium corporum in hæc inferiora vires, sed Soli, ac Lunæ principatus omnino deferendus est. Sunt duo hæc universi lumina, & fulgentia sidera. Alterum majus, alterum minus. Sol annos, Luna menses regit. Solem itaque diuturnis, Lunam acutis morbis præesse volunt quidam. Sol ut quatuor anni temporum, veris, æstatis, atumni, hyemis auctor est: Ita humores quatuor singulis tempestatibus immutat: proptera scripsit Hippoc. lib. de Natura hominis, morbos qui non diebus, sed mensibus moventur, æstivos quidem hyeme, hybernos vero æstate finiri. Solis mirabiles sunt, & penę divini effectus, unde Deus olim, & creditus, & habitus. Heraclito fons dicitur cœlestis lucis, Tullio dux, & moderator reliquorum Luminum. Quibusdam cor mundi, Aristoteles stellam appellat salutarem: prosperam, & quod rerum omnium sit procreatrix, & parens: Ejus enim calore vivifico universa exhilarantur ac vigent, arbusta gemmas, trudunt, terra florib, redimitur, animalia cuncta amoris stimulis incitantur in amplexus venereos ruunt, ac uberrimo fœtu sylvas, terram, mariaque frequentant, nihil denique; in sublunari hoc mundo est ferax nisi vis illa præpotens. Solis fæcunditatem largiatur. Lunæ autem sunt (inquit Galen. cap. 2. lib. 3. de diebus Decretorijs) magnæ sunt in hæc inferiora vires, & effectus varij, sed qui tamen Solis affectibus cedant, & secundas teneant. Hæc humorum est concitatrix, & motrix. Hæc in humida omnia corpora habet imperium. Luna, inquit Lucilius, alit ostrea, implet, & echinos muribus, fibras, & pecu addit. Sola omnium capitatarum cœpa, Luna senescente augetur, juvenescente flaccescit, quasi sideris cursum perosa. Hæc terras saturat (ait Plinius) accedensque corpora implet, abscedens inanit. Luna plena cancri pinguescunt, patet etiam sanguinem homi-

num cum ejus lumine augeri ac minui, frondes quoque ac pabula sentire ea omnia eadem penetrante vi. Hæc mensibus præest, unde illud Ovidij.

Luna regit menses, hujus quoque tempora
Mensis finit, &c.

Qua ratione lunam antiquitus dictam notat Diodorus Siculus, & ab eo nomine, mensem derivari. Eam Philo; Solis ministram, & successorem vocat. Maximæ sunt igitur Lunæ in hæc inferiora vires. Ipsa ut scribit Galen. cap. 2. lib. 3. de diebus decretorijs, ijs quæ oriuntur è terra dat incrementum, animantia saginat, menstrua stato tempore mulieribus sollicitat, morbo comitiali laborantium circuitibus auxiliatur. Hæc autem omnia præstat, & motu suo, & lumine. Lumen à superioribus omnibus sed præsertim à sole mutuatur, hinc variæ apparent nobis Lunæ ad Solem accedentis, vel recedentis formæ, configurationes, schematismi, dicunt Græci. Prima Lunæ mutatio nihil ferè luminis ejaculatur: fit autem cum gradibus quindecim à Sole abest, vocatur hic Lunæ affectus, tempus coitus, & conjunctionis Lunæ cum Sole, ab alijs interluninm, novilunium, intermenstruum, Luna silens. Durat fere trium dierum spatio. Quarto die è coitu Solis egressa; liberam faciem quasi pudore suffusa non audet ostentare, sed falcatam tantum, distat à Sole quadragintaquinque gradibus. A quarto ad septimum sensim incrementum capit, tuncque dimidiatam faciem ostendit, in duas æquales partes dissecta, aut quia medium jam iter à novilunio ad plenilunium exegit, nonaginta gradibus abest à Sole. Vndecimodie tota propemodum est illustrata, portione tantum exili remanente, unde utrinque gibba, & curva dicitur: Distat tunc temporis centum triginta quinque gradibus à Sole. Tandemdecimoquarto die perfecte, & undiquaque illustrata, liberam plenamque faciem ostentat. Ita ergo se habent Lunæ à coitu Solis ad plenilunium vicissitudines. Rursum ubi post plenilunium, & rutilantem illum splendorem ad Solis congressum properat totidem nobis ostendit schematismos. Nam quarta sequenti die fit ut erat undecimo, deinde tertio septenario. Tandem donec cum Sole rursum congrediatur sensim decrescit, & velut abdita lumen suum non impertitur. Quemadmodum porro Luna crescente augentur omnia, ut in animalium cerebellis, ossium medulis, ostreis cernere est: ita ejus abeunte lumine exarescunt inferiorum corporum humores. Cum igitur per quaternarios, & septenarios Luna moveatur, crises quaternarijs, & septenarijs contingere volunt Astrologi. Hæc n. à prima accessione ad opposita quadrangula, aut quadrangularum media loca defertur, insignes parit alterationes, in quadrangulis septimo die magna fit agitatio, in quadrangulorum medijs ut quarto die,

die, non ita vehemens. At in oppositionibus maxima commotio excitari solet, quia Luna, & signa, tum radijs, tum qualitatibus sese mutuo oppugnant. Ex quibus colligunt Astrologi, quadrangulorum media quæ quarto die contingunt exiguam habere vim decernendi, sed indicandi maximam, quadrangulis majorem vim inesse oppositionibus vero multo majorem. Si (ajunt) exempli gratia ægrotare ceperit quis. Luna arietem occupante, septimo sequenti die maximas alterationes patietur, quia eo die Luna cancrum signum frigidum, & humidum arieti calido, & sicco contrarium tenet. Sunt ex Astrologis quidam, qui Lunam non solum pro varijs ad Solem, & duodecim signa Zodiaci schematismis mutationes insignes in his inferioribus excitare volunt, sed etiam pro diverso ejus motu, & positu ad alios planetas, tum ad stellas fixas res mirabiles facere contendunt. Itaque Lunam in principio ægritudinis cum malefico aliquo planeta coeuntem, aut in ejus quadrato, vel opposito exsistentem maximas alterationes producere cum ad hostiles alios aspectus pervenerit, sive decretorio sive non decretorio die id contingat. Hæc de Lunæ viribus, & imperio prædicant Astrologi. Quibus aliqua ex parte videtur assentiri Galenus ut proprio capite demonstrabitur.

CONVELLITUR EA ASTROLOGORUM OPINIO, & demonstratur, Lunam solam per se criticorum dierum causam non esse.

CAPVT OCTAVVM.

Crises in humorales tantum morbos cadere omnibus ut opinor, est exploratum: Lunam verò in humida omnia corpora imperium aliquod habere experientia ipsa fidem facit. Non tamen propterea criticorum dierum hanc unicam, & solam causam (ut sentiunt Asttologi) esse volumus, his persuasi rationibus. Crisis motus est humorum, fitque ut jam ex Galeno annotavimus, natura secernente humores noxios à bonis, eosque ad excretionem præparante. Si Luna motum hunc facit, aut à se vim eam movendi habet, aut ab alio, ut aspectu, reflectione, lumine, quadratura, oppositione: Si à se, non magis septima die movebit quam octava, quæ enim primo, & per se insunt (ait Philosophus) semper insunt: si ab alio ut oppositione, & quadratura, tunc solum movebit Luna, cum in eo erit aspectu aut loco: At decumbat hodie Socrates, cras Plato, uterque septimo judicabitur, cum tamen in eodem aspectu Luna non

fit.

ſit. Obſervavit Galen. cap. 7. lib. 2. de diebus Decretorijs, ſe plures quam quadringentos homines acuto morbo laborantes æſtate unica ſeptimo die perfectè judicatos vidiſſe, non tamen omnes eadem die, & ſub eodem aſpectu ægrotare cœperunt. Præterea ſi Luna criticorum dierum cauſa ſtatuatur, vim eam aut à Sole accipiet, aut à ſignis Zodiaci: Galen. enim 3. de diebus decretorijs duplicem tantum Lunæ influxum agnovit, alterum à Sole, alterum à ſignis obliqui orbis, quæ motu proprio ſingulis menſibus permeat. Si à Sole vim eam decernendi accipit Luna: Ergo ij tantum morbi ſeptimo die judicabuntur qui nos in novilunio aggredientur. Nam alioqui, nec diei ſeptimæ Lunæ dimidia, nec quartæ decimæ plena reſpondebit, in quibus quadrangularis, & adverſa Solis configuratio ciet humores. Si à ſignis Zodiaci, ergo & ſextus dies, & decimus tertius erunt perfectè critici: Nam cum inferiora permeans epicycli velocius fertur Luna, ſexta die ad quadrata ſigna perringit, & interdum tertiadecima ad oppoſita, cum vero ſuperiora permeans tardius circumfertur ſæpe, octava vel nona in quadrangulari apparet loco: Cùm ergo Luna omnes quartas motiones, & circuitus æquales non ſortiatur; non poteſt quartanæ aut ſeptimanæ criſeos cauſa ad unicam, & ſolam Lunam referri. Jam vero quomodo ſola Luna criticorum dierum cauſa ſtatui poterit, cum poſt vigeſimum diem ſeptenarij omnes ad quadrageſimum ſint critici, ut vigeſimusſeptimus, trigeſimusquartus, quadrageſimus, pereatque quaternionum vis, poſt quadrageſimum vero ulcenarij ſoli ad centeſimum uſque decernant, ut ſexageſimus, octogeſimus, centeſimus pereatque ſeptenariorum. Sed, & ſi Luna ideo tantum criſes per quaternarios, & ſeptenarios molitur, quia Lunæ motus per quadras, & ſeptimanas perficitur cur non ſimiles in animalium generatione, conceptu, vita, nutritione, actione producit effectus? At quis unquam obſervavit ſeptimo quoque die ventriculum perfectius coquere, ſemen in uterum injectum validius eſſe, cæteraque naturæ opera die ſeptima felicius aut infelicius edi? Si in ſolis morbis ſeptenatios hos Lunæ motus vim ſuam exerere putas, mirum profecto erit cœli quartas tam anguſtis arctare cancellis. Proferam hic elegans Fracaſtorij argumentum. Certiſsimum eſt, actionem omnem non niſi contactu fieri. Cœli contactus mathematicus non eſt ſed Phyſicus: Emittitur ergo à cœlo quidpiam, non corporeum, minueretur enim ſenſim, ſed ſpirituale, qualitas quippe contrario carens, quæ ideo momento diffunditur, ut lumen: Qualitas hæc ſpiritualis aut primas producit qualitates, ut lux calorem, aut vim aliquam fugandi, trahendi non ab hac vi criſes fiunt, cum in individuis hæc omnia inſint magis proprie: Ergo à cœleſti lumine. At lumen non alia die magis calorem ſuggerit quam alia, niſi quo plus ad terram reflec-

tit,

tit, quod in Sole quidem accidit, quanto aut propinquior aut directior est: In Luna vero quando plus luminis à Sole accipit: accipit autem plus, quo magis ab eo removetur, Quare cum octava die magis recedat, quam septima, plusque luminis, & caloris impertiatur, octava erit potius critica quam septima. Postremo si luna ideo criticorum dierum statuatur causa, quia per quadras, & septimanas movetur, necesse erit semper quadras, & septimanas Lunæ cum morbi quaternionibus, & septenarijs concurrere. At rarissimè contingit ut septenarij morborum dies cum septenarijs Lunæ concidant, estque perpetuæ veritatis septenarios omnes perfectè decernere. Non potest igitur sola Luna proxima, & immediata criticorum dierum causa statui. Ejus maximas in hæc inferiora vires non negamus, sed quicquid præstat, id Lumini tantum, & motui referendum putamus. Quod enim crescentis Lunæ tempus plantationi sit opportunum, id ideo contingit, quia largiore semina humore cibata velocius adolescunt, decrescentis verò Lunæ tempus cedendis arboribus ideo est commodum quia tunc luna siccior. Laudat Hesiodus nonam Lunæ diem arboribus conserendis, & decimam tertiam, quia insita vis radicibus pleniore jam lumine spargitur: decimam sextam, negat idoneam plantationi, quia deficiens lumen germina satis non evocet. Sunt ergo omnes Lunæ effectus à lumine. At lumen criticorum dierum proxima,& immediata causa esse non potest.

NOVA OPINIO FRACASTORII, QUI DIERUM criticorum causam refert ad motum humoris melancholici.

CAPUT NONUM.

Doctissimus Fracastorius libello de causis criticorum dierum, novam, & inauditam crisimorum dierum rationem commentus est. Refert omnia ad motum humoris melancholici, cujus cum hæc sit proprietas, ut quarto quoque die moveatur, quaternarios omnes ideo criticos esse putat. Sunt autem ejus opinionis hæc præcipua fundamenta. Raro contingit ut transeunte in humores vitio aliquo, unus tantum humor corripiatur: Nam ut plurimum, vel duo, vel plures vitium idem concipiunt, aut simul, aut post. Quippè in ea sanguinis massa, quæ intra venas continetur confusi commixtique sunt, & reliqui vocati humores, bilis, pituita, & melancholia, ita ut partim actu, partim potentia

in ea massa sint, potentia quidem quia ad minimas, & indivisibiles particulas redacti sunt, actu vero quia proprij generis rationem habent. Ob eam igitur confusionem raro fit ut labes unius alteri non comunicetur. Dum vero putrescere incipit humor, fit statim ejus secretio, naturæ solius vi, deinde excretio: Humor qui secernitur si simplex sit, neque alio adulteratus, crisin nullam efficiet, sed paroxysmum tantum, quotidianum quidem si pituitosus sit, tertianum, si biliosus, quartanum, si melancholicus. Quod si permixti sint & confusi humores, nunc omnes simul movebuntur, nunc unicus tantum, nunc duo, unde dierum alij placidissimi, alij acerbiores, alij acerbissimi erunt. Placidissimi illi sunt, in quibus nulli humores moventur, acerbiores, in quibus unus, acerbissimi in quibus omnes, & hi ad crises sunt aptissimi, quia magis irritatur natura, à quo stimulo fiunt crises.

Porro quoniam, nec crisis fit nisi digesto præparatoque humore, perfecta autem absolutaque digestio non est, donec quod crassius est, ac segnius digestum ipsum sit, crassior vero, & segnior omnibus est melancholia: Inde fit ut potissimum circa melancholiæ, & motus, & digestiones attendantur crises. Fit autem melancholiæ motus per quaternarium: Fient igitur crises per quaternarium melancholiæ circuitum. Demus exempli gratia bilem in aliquo ægrotante peccare, eamque cum pauca pituita, & melancholico humore permistam esse, simulatque putrescere incipiet bilis, reliquos etiam inquinabit humores, itaque gravis erit primus ille paroxysmus. Secunda dies quietissima redibit, in qua nullus humorum fiet motus, ac tertia paroxysmum quidem bilis sentiet, crisin tamen non faciet, tum quia stimulus nondum maximus, tum quia totum nondum digestum est: Quarta autem dies motum habebit melancholiæ, sed latentiorem, quia non multum est quod tunc movetur de melancholia, partim quidem quia sub peccabat solum, partim quia putrefactio ejus quodammodo pendet à bile, qua cessante in die quarta, aliquem quidem motum dat melancholia, ob concepta putrefactionis semina; sed parvum, & latentem, quia origo, & fomes putrefactionis quiescit. Quinta, bilis motum videbit: sexta nullius: at vero septima acerbissimum omnium paroxysmum apportabit, concurrentibus simul humoribus omnibus qui peccabant, ac largius melancholia, quoniam ex alterius contagione, & impulsu non parum motionis recipit: Qua die quoniam, & digesta fuit melancholia (fuerat enim subtilis, & pauca, nata cito terminum recipere) continget crisis: stimulus enim acerbissimus in ea fit, & totum digestum est, in alijs autem diebus aut stimulus abfuit, aut digestio.

Cæterum cum melancholiæ modi, & conditiones multiplices sint (sæpè enim pauca est; sæpe multa; interdum crassior, interdum tenuior, modo tenacior, modo soluta magis,

modo calidior, modo frigidior) ex hac diversitate fit ut putrescente cholera, quandoque simul, & eadem die computrescat melancholia: modo in initio paroxysmi, modo in medio, modo in fine: interdum non simul, & eadem die, sed secunda tantum: interdum, & tertia solum fortasse, & quarta tantum. In acutis morbis à tenujori, & pauca, & calidiori materia fiunt: In tardis autem, & diuturnis, quorum materia frigida est, crassa, & tenax, moveri melancholiam accidit non nisi die tertia: quod si materia crassissima sit, fortasse non nisi quarta. In mediocribus autem morbis, quorum materia media est quantitate, qualitate, & crassitie, die secunda moveri incipiet, & computrescere melancholicus humor. Ex diverso itaque melancholici humoris motu diversæ contingunt crises, & tres eorum ordines statui possunt. Nam si prima die cum cholera simul, & melancholia commoveatur (utar verbis Fracastorij) quod in acutis fit morbis, quartanariæ periodi erunt 4. 7. 10. 13. raro enim ultra os protenditur status in acutis. Si extreme peracutus sit morbus, crisis in quartum die cadit, quia materia paucissima est, subtilissima, & fervens: si acutus segnior ad decimumtertium diem prorogabitur, si medius inter extreme peracutos, & acutos mitiores, septimo die judicabitur, atque hic primus erit criticorum dierum ordo. Secundus ita numerari debet. Si non prima die, sed secunda solum motum dederit melancholia, quod in mediocribus morbi accidit, tum quaternariæ periodi erunt 2. 5. 7. 11. 14. 17. 20. ultra autem rarissimè in mediocribus producitur status, sed maximè 11. 14. 17. 20. erunt critici. At si tertia solum die motum recipiat melancholia, quod in chronicis morbis fit, in quibus crassa valde, & tenax, & multa materia est, periodi quidem erunt 3. 6. 9. 12. 15. 18. 21. 24. 27. 30. raro autem ultra contingunt crises. Maxime autem criticus horum etit vigesimus primus, mox vigesimus septimus, mox quintusdecimus. Si enim materia crassa quidem, ac tenax sit, pauca autem in eo genere ad quartumdecimum status erit, si vero crassa ac valde multa ad 27. si vero in eo genere mediocris ad vigesimum primum. Hæc nova est Fracastorij de diebus decretorijs opinio, satis meo judicio implicata, quam acutis, & necessarijs argumentis convulsit eleganter Ferrerius libello quem edidit de diebus Decretorijs.

CONVELLITUR OPINIO FRACASTORII.

CAPUT DECIMUM.

Mirum est eximium hunc Philosophum in stabiliendis novæ suæ opinionis fundamentis ita misere hallucinatum fuisse, ut infinitos laqueos non præviderit, quibus se irretiri mox sentiet. Nam cum ad venationem, causarum duo sint tantum canes, ratio, & experientia. Quæcunque à Fracastorio de diebus criticis proponuntur, rationi, & experientiæ omnino adversari æquus veritatis judex æstimabit. Observatum est longa experientia, dierum alios esse verè criticos, & principes, tales sunt septimus, quartusdecimus, vigesimus: Alios indices, ejusmodi sunt quartus, undecimus, septimusdecimus. Alios intercidentes, quales sunt tertius, quintus, nonus, tertiusdecimus, nonusdecimus. Hoc primus omnium admirandus Hipp. prodidit. Hoc voluerunt Heraclides, Archigenes, Philotimus. Hoc millies mille in locis scriptum testatumque reliquit Galen. At nova hæc opinio, omnem veteris doctrinæ auctoritatem erroris insimulat, dum novum criticorum dierum ordinem comminiscitur. Tres enim eorum statuit ordines. Primi ordinis sunt 4. 7. 10. 13. 16. 19. 22. 25. 28. Secundi 5. 8. 11. 14. 17. 20. Tertij 6. 9. 12. 15. 18. 21. 24. 27. 30. Quis quæso decimum diem, decimumsextum, & decimumnonum inter verè decretorios, & primi ordinis unquam observavit? Quis octavum, & decimum quartum ejusdem esse ordinis unquam expertus est? Quis veterum vigesimumsecundum, vigesimum octavum decernere unquam voluit? Experientiæ ergo, & veterum omnium auctoritati adversatur nova hæc criticorum dierum confusio. Sed, & rationi quoque pugnantia profert Fracastorius. Primum enim pro raro id adstruit, crises in eos tantum morbos cadere, quorum materia intra venas continetur: Quod quam sit absurdum quis non videt? Partium omnium phlegmone, aut alia inflammatione obsessarum materia putrescens extra venas est: At in illis inflammationibus criticos dies, & peculiares crises observavit Hippocr. & nos medicinam facientes experimur quotidie. Sic Hepatis propriam habet crisin per urinas si convexa per alvi proluviem, si cava phlegmone infestentur. Sic ventriculi erisypelas, quod febre indicatur lypria, propriam habet crysin choleram, id est, bilis sursum deorsumque vacuationem, quod ita in Coacis indicavit Hippoc. lipyriæ febres non nisi cholera superveniente exsolvuntur. Quis in earum inflammationum crisibus, causam ad humoris melancholici motum referet, cum erisypelas à pura, & impermista

mista bile, phlegmone autem ex solius sanguinis affluxu fiat? Quod autem ille contendit nunquam humorem purum, & impermistum in corpore reperiri, falsum est. Nam in vesicula fellea, bilem sinceram neque alio quovis humore adulteratam contineri docet, & ipsa etiam suadet ratio; secernitur enim à massa sanguinea, & à vesicula trahitur, occulta quadam nobisque incognita proprietate. Præterea dum purat Fracastorius humorem unum putrescere non posse, quin & alij omnes eandem statim contrahant labem, omnem intermittentium febrium, & paroxysmorum naturam evertit funditus. Nam in tertiana febre sola bilis putrescit, in quotidiana sola pituita, in quartana solus melancholicus humor; accenduntur quidem omnes si eorum unus flammam conceperit, sed solus qui paroxysmum creat putrescit humor, alioqui spuriæ essent omnes intermittentes, nulla unquam exquisita tertiana. Iam vero quid opus est coctione humoris melancholici in omnibus morbis ut somniat Fracastorius? Solus qui peccat humor coquendus est, secernendus, excernendus, solus enim ille naturam ad excretionem stimulat. At acuti ferè omnes à bile fiunt, & diebus moventur imparibus, sola igitur bilis mitificanda, nec ut perfecta fiat crysis melancholici humoris coctio expectari debet. Adde quod si humoris melancholici coctio semper exspectanda esset, nunquam die tertio crisis contingeret, quia melancholicus humor quarto tantum die movetur: At sæpe rertio die judicantur morbi extreme peracuti, & tertium diem primum intercidentium numerant omnes Medici: Explodatur ergo novum hoc dogma, experientiæ, & rationi omnino repugnans.

QVID HIPPOCRATES DE CRITICORUM dierum causis sentiat.

CAPVT VNDECIMVM.

Hippocratem criticornm dierum causam ad numeros retulisse existimarunt docti quidam. Nam libello de septenarij viribus multa eaque præclara scriptis mandavit, vitam hominis septenarijs dispensari voluit, & epistola quadam ad Thessalum filium numerorum rationem ad ægrotantium judicia conferre pronuntiavit. Nec elsitatem autem naturæ, & cur per septenarios singula hæc contigant, pollicetur quidem se aliquando explicaturum, sed rei (ut opinor difficultate perterritus, id non præstat. Ego divinum Senem numeris tantum tribuisse, ut eos criticorum dierum causas esse voluerit nunquam mihi persuasi, sed septenarium naturæ quandam legem, cujus ratione tanquam exemplari

omnia dispensentur agnovisse credidi. Sic Aristot. libris de cœlo, ternarium naturæ legem appellat, secundum quem naturalia omnia disponantur. Neque etiam ad Lunæ vim, & siderum aspectus, criticorum dierum causam unquam retulisse Hipp. legimus. Sola igitur experientia in explicandis crisimorum dierum viribus contentum fuisse, cum Arabum principe Avicenna existimamus. Observavit admirandus ille vir, naturam dum regulariter, & definito motu humores regit, imparibus diebus movere, idque ex tribus potissimum: ex ijs quæ diebus tum paribus, tum imparibus contigunt; vidit parium crises imperfectas, imparium perfectissiimas. Secundo ex his quæ diebus indicibus apparent: vidit septenarios quoslibet suos habere jndices, quibus si coctionis signa appareant, salutaris septimo quoque die crisis sperari debet. Tertio ex paroxysmorum observatione, vidit acutos morbos imparibus exacerbari diebus, propterea ijsdem diebus crisin exspectandam esse. Solent enim ijsdem diebus judicari morbi, quibus exacerbantur. Hujus experientiæ rationem aliquam afferre conatus est lib. 4. de Morbis. Judicantur (inquit) morbi diebus imparibus, quia trahit corpus de ventriculo diebus paribus, expellit autem diebus imparibus si sanus sit homo. Itaque in ægris primum colligitur humor, deinde collectus secernitur, tandemque excernitur. Dum colligitur nulla fit pugna, dum collectus est, jam naturæ facessit negotium, tunc exacerbationes fiunt, irritatur natura ad excretionem, fitque crisis, propterea eodem libro diebus imparibus cathartica exhibere vetat Hippocr. Qui enim diebus imparibus medicamento forti usi sunt, nimium sunt purgati, & multi perierunt, at qui cathartico diebus paribus usi sunt, hi nimium purgati sunt nunquam. Hæc Hippoc. de diebus decretorijs.

OPINIO GALENI DE CAUSIS CRITICORUM dierum.

CAPUT DUODECIMUM.

GAlenus, Hippocratis observatione, & experientia non contentus, causam criticorum dierum per astrologica principia demonstrare conatus est, idque ut amicorum precibus obtemperaret. Itaque præcipuam crisimorum dierum causam ad Lunæ motum, & lumen referendam putat. De eo motu, & lumine multa ex veterum Ægyptiorum doctrina repetit lib. 3. de diebus Decretorijs, vultque varios esse Lunæ aspectus, tetragonos, trigonos, diametros, & quoniam Lunæ motus per quadras,

& ſeptimanas perficitur, ideo ſeptenarios, & quaternarios in acutis morbis potenter decernere contendit. Vt autem demonſtret vigeſimum diem potius eſſe criticum quam vigeſimum primum, menſem fingit, quem criticum, & medicinalem vocat: Cujus natura ut innoteſcat, illud imprimis annotandum, tres menſes lunares pro vario Lunæ motu ab Aſtrologis conſtitutos fuiſſe. Primus dicitur: conjunctionis ſeu conſecutionis, eum ſimpliciter vocat Gal. Eſt autem totum illud tempus quod inter unam conjunctionem, & aliam interiacet: menſem hunc viginti novem dierum, duodecim horarum minutorumque quadraginta eſſe tradunt recentiores. Secundus menſis dicitur, peragrationis, quo Luna, ab uno Zodiaci puncto recedens, ad idem punctum integro circuitu emenſo redit, ſeptem eſt atque viginti dierum, & horarum octo. Tertius menſis dicitur, apparitionis, illuminationis, illuſtrationis. Eſt autem intervallum à primo naſcentis Lunæ conſpectu, ad ultimum uſque diem evaneſcentis. Hic menſis inæqualis eſſe ſolet nunc longior, nunc brevior, longior quo minori tempore occultatur luna, brevior quo diutius deliteſcit, lumenque ſuum non impertitur, conſtat tamen ut plurimum viginti ſex diebus, & horis duodecim. Gal. cum his menſibus dies ſuos accommodare non poſſet, quod vel ſuum excederent numerum vel eum non complerent, cumque videret ex tribus his menſibus demonſtrari non poſſe vigeſimum diem potius eſſe criticum quam vigeſimum primum, quartum menſem commentus eſt, quem medicinalem vocat. Menſis peragrationis id non docet, quia ejus menſis tres ſeptimanæ viginti dies, & duodecim horas conſtituunt, qui numerus medius eſt inter vigeſimum, & vigeſimum primum, adeo ut ſi tunc contingat criſis, nec hujus ſit, nec illius dici. Ex menſe conjunctionis id demonſtrari non poteſt: Sunt enim hujus menſis ſeptimanæ longiores: tres quippe ſeptimanæ duos, & viginti dies cum horis tribus continent. Neque etiam id docet menſis illuſtrationis, quia indeterminatus eſt, modo brevior, modo longior. Quartus ergo ſtatuendus eſt menſis peragrationis, & illuſtrationis, ex ſimul junctis menſibus conflatus: ſi namque utrumque jungas naſcentur quinquaginta tres dies cum viginti horis: ſi dies tres in æqquales ſecentur partes, naſcetur menſis medius viginti ſex dierum, & 22. horarum, cujus menſis quælibet ſeptimana ſex erit dierum cum horis ſeptem, duæ vero ſeptimanæ dies 13. & horas undecim, tres ſeptimanæ dies viginti, & horas quatuor continebunt. Itaque tertiæ ſeptimanæ finis in vigeſimum diem cadet. unde hic potius criticus quam vigeſimus primus ſtatuendus. Hæc Galen. eſt de criſimorum dierum cauſis ſententia, quam & Aſtrologi, & Medici omnes damnant. Fictitium enim, & portentoſum eum menſes vocant. Legite

quæ

quæ de eo mense contra Gal. scripserunt, Picus Mirandulanus, Petrus Aponensis, Hyeronymus Cardanus, Manardus Fracastorius.

NOS QVID SENTIAMUS DE CAUSIS dierum criticorum.

CAPUT DECIMUMTERTIVM.

POsteaquam ex his dissentientium opinionum paulo spinosioribus senticetis evasimus, jam tempus est, ut in tutum, & tranquillum portum nos recipiamus, & quid de criticorum dierum causis sit sentiendum, brevi dilucidaque oratione aperiamus. Dierum criticorum causam duplicem agnoscimus: alteram materialem, efficientem alteram Materialis, humor est noxius, qualitate aut quantitate peccans, non melancholicus tantum ut voluit Fracastorius, sed etiam biliosus, pituitosus, sanguineus; sive ille simplex sit, & syncerus, sive adulteratus. In solos enim humorales morbos crisin cadere cum Gal. & Avic. existimamus. Efficiens causa duplex est. Altera universalis, & remotissima, altera particularis, interna proxima. Vniversalis non criseon modo, sed & omnium motionum, quæ in sublunari hac regione contingunt causa, statuatur cœlum, cujus vires fere omnes Luna inferior, & citima terris excipiat, easque nobis communicet. Eam Averrhoes Tertia Colliget, nullius fere in medicina considerationis esse vult. Particularis, & proxima criseon causa natura est, quam sive facultatem corpus dispensantem cum Gal. sive calorem insitum cum Hippocr. sive temperiem, sive spiritum voces, nihil interest. Hæc licet consilij, & rationis sit expers, motus tamen edit certos, & constanti ordine definitos, ut ratione, & consilio quasi niti videatur. Hæc apud Hippocrat. primo de Diæta habet, fatalem vitæ, & mortis necessitatem. Hæc ut scribit Gal. secundo de diebus decretorijs (ordinata quædam res est, quæ motiones suas statis circuitibus perficit. Hæc sibi ipsi leges imponit, quas nunquam evertit; sed tamen quasi facere sic ipsa didicerit, & consueverit eas sine inconstantia, & ordinis mutabilitate exsequitur. Hæc unica est morborum medicatrix. Hæc sola crises molitur, dum humores coquit, secernit, excernit. Natura secernente humores noxios à bonis, eosque ad excretionem præparante. Hæc vias etiam occultas invenit, quibus morbos expellit, unde Synesius, & Plotinus eam velut magnam agnoscunt, Zeno artificiosum ignem vocat, quod habeat quasi viam quandam, & sectam quam sequatur, Anaxagoras mentem appellat. Quod si errare eam contingat aliquando, id à materiæ con-

contumacia, & ejuſdem fit. Quæcuncunque in corporibus noſtris contingunt mala, tumultuantis potius, & deficientis materiæ opera ſunt, quam ſapientis naturæ. Statuatur ergo Natura, criticorum dierum particularis, & proxima cauſa efficiens. Materialis vero ſit humor omnis. Videamus nunc quomodo utraque cauſa ad criſes, & ſolutiones morborum concurrat. Quod tardior ſit, & celerior criſis, id partim materiali, prrtim efficienti cauſæ acceptum referimus. Quod nunc pari, nunc impari die contingat criſis, id ad materialem tantum cauſam humoris ſcilicet peculiarem motum referimus. Quod ſeptenarijs tantum perfectæ, & ſalutares criſes perficiantur, id totum efficienti non materiali concedimus. Quæ quoniam multis obſcuriora videri poterunt, illuſtranda ſunt nobis. Celeritas, & tarditas criſeos, materiæ diſpoſitionem, & efficientis vim ſequitur. Humor ſi temperamento ſit calidus, ſubſtantia tenuis, & qualitate benignus, facilius à natura domabitur, celerius coquetur, & excernetur: ſi craſſus, frigidus, & contumax, difficilius coquetur: ſi item validior ſit natura celerius coquet ſi debilior, tardius. Paritatis vero & imparitatis cauſa, ad ſolum humoris motum referri debet: Nam bilis tertio quoque die movetur, pituita quotidie, melancholicus humor quarto die: Ergo bilioſi omnes morbi imparibus judicabuntur diebus, ut ſanguinei, & pituitoſi paribus; quia ijſdem diebus judicantur morbi quibus moventur, ſoletque in idem tempus incidere criſis cum acceſsione. Cur autem bilis tertio quoque die melancholia quarto, pituita quotidie moveatur: explicare difficillimum eſt. Alexander Aphrodiſeus rationem aliquam reddere conatur. Quominus (ait) materiæ ſubeſt, eo lentius redit acceſsio: ita autem natura comparatum eſt ut ſanguis qui noſtra aleret corpora eſſet largior, continuam quæ putreſcens ſuccenderet febrem. Secundum locum pituita obtinet, nam, & hæc corpus alere poteſt. Bilis flava tertium occupat, quoniam ob ſuam acrimoniam nihil alimenti præſtat: At atra bilis ſortis eſt poſtremæ, naturæ infeſta, quæ membra exedit, & interimit. Sed hæc vera periodi cauſa non eſt. Nam humoris copia longiorem tantum, aut breviorem paroxyſmum facit, non paritatem, & imparitatem. Bilis flava etiam ſi copioſior ſit, non frequentius quam tertio die, nec melancholia frequentius quam quarto efferatur. Sic acuti omnes morbi, quia ut plurimum à bile fiunt, eaque copioſiſsima, licet continuo affligant, imparbus tamen diebus ob biliis motum exacerbantur. Cauſa igitur tertiani, quotidiani, & quartani motus ad humoris proprietatem referenda eſt: hæc autem proprietas occulta eſt, nec minus admiratione digna quam magnetis aut catharticorum qualitas. Fit itaque ob ſolius materialis cauſæ conditionem, & motum, ut criſis nunc paribus, nunc imparibus

con-

contingat diebus. Quod vero soli septenarij perfecte sint critici, id totum efficienti causæ tribuimus. Natura definitum sibi elegit tempus, quo motus suos, & crises perficit. Tempus illud sola experientia manifestum evadit: At docet experientia septimo die, decimo qnarto, vigesimo perfectas, & salutares crises sæpe contingere. Sunt igitur præfixi illi dies, & à natura ordinati. Cur autem septenarium potius, quam alium numerum sibi pro delicijs elegerit natura, licet altioris sit conremplationis, hoc tamen ideo factum volumus, quia rerum omnium Parens & Creator Deus eam naturæ legem imposuit. Nam & diei septimo benedixit Deus, & cum filijs Israel tanquam celebratissimum commendavit, & septimo die post absolutam universi istius, quod oculis cernimus creationem, quievit ab operibus suis. Natura ergo cujusque particularis crises septimo quoque die perfectas molitur, nec eas alio unquam aggreditur die, nisi aut impedita, aut lacessita, unde fit ut intercidentibus diebus interdum contingant crises, ut postea demonstrabitur. Iuvari porro naturam hanc particularem ab universali illa, & cœlesti non inficiamur, ut si quando accidat lunæ septimanas cum septenarijs morbi diebus concurrere, Crisis inde speretur facilior, feliciorque.

CUR VIGESIMUS DIES SIT POTIUS CRITICUS quam vigesimusprimus.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

VNicus hic superest nobis eximendus scrupulus, qui multorum ingenia quam diutissime torsit. Cur cum septenarij omnes perfecte sint critici, vigesimus dies sit potius criticus, quam vigesimus primus. Vulgare responsum est vigesimum diem finem esse tertiæ septimanæ, quia ex tribus septimanis, sola prima integra numeranda est, secunda cum tertia copulatur, adeo ut quartus-decimus dies finis sit secundæ, & principium tertiæ. Alij dicunt ex summi Hippocratis doctrina in Progn. septimanas integras numerandas non esse, ut neque dies, neque annos, proptereaque tertiæ septimanæ finem in vigesimum diem cadere: Sed non satisfacit nobis, nec philosophantium animos explet utraque interpretatio: Non enim explicat cur priores duæ septimanæ integræ sint, & tertia imperfecta, nec cur crisis quæ vigesimo primo die (qui tertium complet septenarium) contingere deberet, vigesimo die vere semper anticipet. Gal. ut id demonstraret, mensem commentus est criticum, & medicinalem, ex mense peragrationis, & illustrationis simul junctis conflatum. Sed quoniam fictitium illum mensem Astrologi, & Medici omnes improbarunt, cogimus etiam

nos

nos à Gal. decretis recedere, & alias fortasse probabiliores hujus rei causas ex efficienti, & materiali petitas proferre. Ita igitur Philosophari libet. Certissimum est, crisin omnem naturali motu perfici, coctio quippe, secretio, excretio naturalis facultatis munia sunt: At naturalis motus ab animali in eo distinguitur quod animalis id est, voluntarius in principio sit velocior, in fine tardior, fatigatur enim sensim: Contra naturalis in principio tardior est, in fine celerior: Natura itaque dum primos septenarios complevit, tertium non omnino perficit, sed ad finem suum celerius properat, & crisin vigesimoprimo futuram prævertit, adeo ut in vigesimum cadat. Quod autem naturalis motus in fine velocior sit, docet Aristoteles quinto, & octavo Physicorum, necnon primo, & secundo lib. de Cœlo. Strato autem discipulus Theophrasti id duobus illustrat exemplis. Alterum est aquæ defluentis ex tegulis, quam si quis ex alto cadentem intueatur, videbit eam in principio fluere continuam, mox divulsam, dum ad terram accedit proximè: Divellitur autem ob majorem impetum, & celeritatem, quia fertur circa finem motus. Alterum, si lapis è sublimi loco projiciatur, graviorem ictum faciet in fine illius spatij per quod movetur, quam in medio. Ex parte igitur efficientis causæ, naturæ scilicet, probabilis hæc ratio afferri potest. Altera est ex parte materiæ. Materia morbifica septimo die, aut quarto decimo jam attenuata, mitificata, & quasi omninò à natura devicta vigesimumprimum diem non expectat, sed vigesimo quasi sponte, & nulla vi à natura extruditur, ut si quis arborem ter manibus excusserit, aut parietem ter ariete percusserit; quarto ictu quasi sponte corruet. Cæterum non est perpetuæ veritatis, crises omnes in vigesimum diem cadere. Nam, & plerique vigesimo primo perfecte, sunt judicati, ut propterea Archigenes, & Diocles vigesimumprimum potius criticum quam vigesimum esse voluerint, sed contra eos lib. 2. disputavimus.

QUÆ CAUSA SIT DIERUM INDICANTIUM, & intercidentium.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

CVm quilibet septenarius suum habeat indicem quartum scilicet, ejus rei causam scrutari placet. Axioma est Physicum, & Arithmeticum, partes de proximis suis totius indicare. Hoc exemplo rerum externarum satis patet, quarum perfectionem integritatemque; mox adfuturam judicamus, visis propinquis partibus, ut cum architectus ex fundamentis parietes, ex parietibus tecta perfectamque ipsam domum mox apparituram colligit. At constat septenarij partes, in quas proxime resol-

vitur, duas esse, quatuor scilicet, & tria, sed quaternarium propinquiorem esse indicabit, ergo quartusseptimum, undecimus qui secundæ septimanæ quartus est decimumquartum, & decimusseptimus qui tertiæ septimanæ quartus est vigesimum. Quinetiam quartus dies septimanæ: medius est, paremque cum extremis habet societatem unde fit ut si primus dies morbum discutere aggrediatur, ei finem 4. imponat, si 1. nihil tenet, sed 4. morbum judicare aggrediatur 7. finem imponat.

De intercidentium dierum causis pauca quædam lib. 2. annotavimus. Quæcumque diebus his contingunt crises præter naturæ institutum fiunt, eruptione prius facta quam oporteat, quod appellat Hipp. lib. ante tempus erumpere, dum natura ab aliqua causa lacessita, aut irritata, in immaturam judicationem erumpit. Fuerat primum hoc naturæ institutum hanc ea sibi legem præfixerat, nunquam nisi septenarijs crises moliri, sed ob materiæ inordinatos motus cogitur eam legem evertere, & reliquis diebus quos intercalares vocant, ut tertio, quinto, nono, decimotertio, humorem nondum plane coctum, aut cum noxijs salutares quoque excernere, unde imperfecta crisis, hinc relapsus. Sunt enim apud Hipp. tres tantum relapsus causæ, si prærumpant, au prius excernantur, aut intus relinquantur. Causæ porro naturam cogentes ante tempus, id est, ante septenarios crisim moliri, aliæ sunt externæ, aliæ internæ. Externæ sunt Medicus, æger, astantes, & exteriora. Medicus peccat sæpè ignorantia audacia, timiditate. Æger, vel medici non obsequitur mandatis, vel sibi indulget nimium variæ sunt, quæ naturæ ordinarios motus interturbant, ut animi pathemata, intempestiva victus ratio. Sic apud Hippoc. in epidemijs, Philonis filia quia septimo die lautius cœnavit, interijt. Internæ causæ naturam stimulantes tres sunt, Morbus, causa morbi, & paroxysmus. Morbus si peracutus sit, & malignus, naturam ante septimum diem humorem excernere coget. Causa morbi humor est, qui furens, & concitatus (humoris vocat Hippoc.) ante coctionem foras erumpit. Accessio ut scribit Gal. capite octavo libri tertij de diebus decretorijs, ex eorum etiam est numero, quæ irritant, & provocant, propterea in acutis morbis crises diebus contingunt imparibus, quia in his accessiones fiunt. Sunt hæ dierum intercidentium, & criseon, quæ in illis accidere solent, omnes causæ. Hoc unicum superest annotandum, intercidentes dies in acutis tantum morbis reperiri, nec ultra vigesimum diem excurrere, quia post vigesimum, humoris impetus sensim languet, nec ita concitatus est, ut naturam irritare possit. Atque hæ sunt criticorum dierum, & principum, & indicantium, & intermittentium causæ, in quarum enarratione, si quid est, quod doctiorum offendat animos, rogo obtestorque eos, ne id tàm exilitati ingenij quàm rei magnitudini tribuendum putent.

DE

DE INDICATIONIBVS, SIVE ARTIFITIOSA METHODI MEDENDI CLAVI.

AUTHORE
THOMA LONGAS, DOCTORE MEDICO
Sanctæ Ecclesiæ Cathedralis, & Civitatis Turiasonensis.

METHODVS medendi est pars Medicinæ, qua per indicationes auxilia inveniuntur, ut deperdita hominis sanitas instaureur; differt ab alijs sectis, quia methodici ad laxum, & densum reducentes omnes morbos, per communitates solum auxilia inquirebant: Empirici verò argumenta conficiunt ex analogismo, & experientia: At Medici rationales per indicationes remedia quærunt; indicatio autem est argumentatio, quæ procedit à cognitione indicantis penès genericum, & specificum sui esse, ad illationem indicati; & quanto præstantiùs est in curatione procedere ratione, & logicis demonstrationibus, quam solo analogismo, & solis communitatibus, tanto etiam alijs sectis est præstantior methodus medendi dogmatica: ideòque nunc de ea agemus tractaturi; postea de ejusdem exemplificatione in febre maligna, penès Hippoc. observationes ex libris epidemicis, vel ex libro naturæ depromptas.

SECTIO PRIMA.

DE NATURA INDICATIONIS.

INdicatio eſt cognitio rei juvantis, ſimul cum cognitione nocentis citra experientiam, & analogiſmum. Hoc eſt: Indicatio eſt intellectus operatio, per quam, cognita re nocente, illicò intellectus cognoſcit rem juvantem, idquè abſque experientia, & analogiſmo, quia cum juvans, & nocens ſint correlata, ſunt ſimul cognitione. Sed ſtatim occurrit dubium, quæ mentis operatio ſit indicatio. Aliqui judicant eſſe ſimplicem apprehenſionem, quia cognita re nocente abſque diſcurſu ſolo inſtintu naturali cognoſcitur juvans. Sicut bruta, dùm æſtu cruciantur, umbras quærunt: Ideòque dicunt, quod indicatio eſt comprehenſio, &c. citra experientiam, & ratiocinium. Sed hæc ratio probat, non eſſe intellectus operationem cum ſolo inſtintu naturali, ut evenit in brutis, cognoſcatur juvans, cognito nocente, & ſic, nec erit ſimplex apprehenſio.

Judico tamen indicationem pertinere ad tertiam mentis operationem, eſſequè ſaltim entymema ; quia indicatum, ſeu juvans colligitur ex indicante, ſeu nocente : Cum autem ea illatio ſoliùs ſit diſcurſus, certum eſt pertinere ad tertiam mentis operationem , neque enim cognoſcuntur ſimul, ut unum de alio affirmetur, ſed ut unum ex alio inferatur, & licet eodem inſtanti, aut citiſsimè, quo quis, cognoſcit indicans, cognoſcat indicatum, indè non infertur, non cognoſci diſcurſu ; nam intellectus cognitis principijs , ſtatim cognoſcit concluſionem , & illi aſſentitur ex vi principiorum , quæ preceſſerunt in intellectu, quæ infra dicentur.

Dices: Experientia eſt cognitio earum rerum , que longo tempore viſa ſunt cum ratione fieri: Ergo eſſentialitèr requirit rationem ; ſed indicatio eſt abſque experientia: ergo abſque ratione : ergo non eſt tertia mentis operatio. Reſpondeo, verùm eſſe experientiam ſupponere rationem, at non eſt ipſa ratio faciendi;eſt enim experientia actus memoriæ, indicatio verò eſt actus intellectus, per hunc enim unum infertur ex alio, ſcilicet ex nocente juvans: At experientia ſupponit intellectus operationem, hanc, vel aliam , non præcisè indicationem. Vnde experientia ſupponit ; non verò conſiſtit in actu intellectus ; indicatio verò eſt actus intellectus per quem procedit intellectus à cognitione nocentis ad cognitionem rei juvantis , unde etſi non includat experientiam , includit rationem ; imò eſt ipſa ratio. Quòd ſi aſſeras Gal. lib. de optima ſecta ad Traſibtil. dicere , quòd indicatio eſt comprehenſio, &c. ſine experien-

tia,

tia, & ratiocinio. Respondeo cum Gallego la Serna: ibi non intelligere per indicationem eam in qua methodus consistit; sed eam cognitionem, per quam lumine naturæ cognito nocente, statim cognoscitur juvans, sicut cognito calore lædente, statim occurrit frigus juvans.

Secundò dubitatur, quid intelligatur nomine rei nocentis. Amatus tenet per rem nocentem non intelligi indicans; quia indicatio definitione notionali est, insinuatio rei agendæ; sed morbus, & quodlibet indicans non est res agenda: ergo per rem nocentem non intelligitur morbus, nec aliud indicans. Vnde judidat per rem nocentem intelligi materiam nocentem, quæ cognoscitur statim, ac cognoscitur res juvans. Sed contra, quia indicatio est insinuatio rei agendæ; sed materia nocens non est res agenda: ergo per rem nocentem, nequit intelligi materia nocens.

Iudico ergo per rem nocentem intelligi indicans. Probatur, quia per rem juvantem omnes intelligunt auxilium indicatum, saltem in parte Medicinæ curatrice: ergo per rem nocentem debet intelligi indicans. Probatur consequentia, quia auxilium indicatum contrariatur rei nocenti; sed indicans contrariatur auxilio indicato: ergo indicans est res nocens. Secundò, quia indicans, & indicatum sunt contraria, sicut res juvans, & nocens: ergo indicans, & indicatum sunt ipsum juvans, & nocens. Tertiò, quia indicatio est insinuatio rei agendæ: ergo per rem juvantem, & nocentem debemus intelligere aliquid agendum; sed indicans, & indicatum sunt quid agendum, quia unum est ad movendum, & aliud pellendum: ergo sunt res juvans, & nocens.

Sed dices: Hæc definitio non convenit indicationi salubri, & præcautrici, eo quòd ibi non datur quid nocens: ergo sic explicata, non convenit omni definito. Antecedens probatur, quia in indicatione salubri indicans sunt vires, quæ sui custodiam indicant; in parte præcautrice non est nocens actuale, sed imminens: At una ex conditionibus indicantis est, quòd sit præsens: ergo in præcautrice, non est nocens actuale; sed tàm in hac, quam in salubri est indicans: ergo per rem nocentem non intelligitur indicans. Secundò, quia sicut in parte curativa morbus indicat sui ablationem, ita in salubri vires indicant sui conservationem; sed quod indicat sui ablationem est nocens: ergo quòd indicat sui conservationem, non est nocens. Tertiò, in parte salubri conservatio fit per similia; sed similia sunt res juvans: ergo indicans non est nocens, sed juvans: ergo nomine rei nocentis, non potest intelligi indicans.

Pro contraria verò parte est Gal. qui supradicta definitione proponit exemplum indicationis salubris, & præcautricis: ergo quia in omnibus est res nocens. Tùm quia in indicatione salubri, indicatur res juvans: ergo quia adest nocens. Sed quòd

sit,

ſit, audi. Nomine rei juvantis in parte ſalubri intelligitur victus ratio, & in curatrice remedium. Vnde in parte ſalubri per rem nocentem intelligetur, quòd indicat victum, & in curatrice, quòd indicat remedium. Videamus modo indicans victum; nam indicans remedium facile innoteſcit. Vires indicant victum, non ex ſe quia identificantur cum anima, aut ſunt illius proprietates; ſed quia ut conſerventur vires requirunt bonam diſpoſitionem ortam ex temperie, formatione, & unione. Hæc autem diſpoſitio à calore naturali, & alijs cauſis in evitabilibus in dies mutatur per continuum effluvium ſubſtantiæ ſolidæ, humidæ, & ſpirituoſæ, quibus reſolutis, minuuntur vires; ſicut conſtant, illis ametriam ſervantibus.

Hæc igitur inanitio triplicis ſubſtantiæ repoſitionem indicat, quæ victu completur: ergo vires ex ſe non indicant ſui conſervationem per victum, ſed quatenùs, ut conſerventur, rectam partium compoſitionem requirunt. Confirmatur ex Galeno, qui primo de cauſis ſymptomatum conſtituit inanitionem primam cauſam famis, & Hippoc. 1. aphor. ait: Qui creſcunt plurimum habent calidi innati, quapropter plurimo indigent alimento, alioqui corpus abſumitur. Si enim triplex ſubſtantia non efflueret, non eſſet opus alimento: ergo quia ffluit, & inaniuntur partes indicatur victus, alioqui corpus abſumitur; ſed hæc inanitio eſt nocens: ergo adhuc in parte ſalubri indicatur victus à re nocente. Secundò, quia Medicina eſt adjectio, & detractio, adjectio deficientium, & detractio redundantium: ergo in parte ſalubri, ſi aliquid adjicitur, ob aliquam rationem additur; ſed non niſi quia inanitur: ergo victus per ſe non indicatur à viribus; ſed quia inaniuntur partes, & corpus abſumitur. Tertiò, quia repletio, & inanitio ſunt contraria: ergo inanitio ortæ ex effluvio triplicis ſubſtantiæ contrariatur repletio, ſive repoſitio; ſed repoſitio alimenti eſt res juvans: ergo inanitio eſt res nocens: ergo indicans in parte ſalubri eſt res nocens.

Ad rationes oppoſitas. Dico ad primam, quòd vires non indicant ſui conſervationem ex ſe; ſed quatenùs ut conſerventur egent repoſitione per victum ad corrigendam inanitionem ortam ex dicto effluvio: Quomodò verò talis inanitio, etſi ſint naturalis, & à cauſis inevitabilibus, ſit nocens, ſicut, & quomodo calor, qui nos vivificat, occidat nos, pete ex cauſis mortis naturalis. Ad dubium de parte præcautrice, dico exerceri remedium, ob diſpoſitiones præſentes, ob quas timetur major morbus; & conſtat in habitu athletarum, qui etſi ad ſummum bonitatis attingat, conſulit Hippoc. ut ſtatim ſolvatur, ne incidat in deteriùs: ergo ſupponit aliquod malum præſens, & hæc ſunt diſpoſitiones præſentes. Ad ſecundum, patet ex dictis vires petere ſervari, & ut poſsint egent dicta repoſitione, & ut ſimul reſpondeamus tertio: Inanitio petit ſui ablationem, cui opponitur

tur

tur repositio. Concedo similitudinem inter alendum, & alimentum, sed eam nego inter inanitionem, & repositionem.

Sed dices; diversa indicata requirunt diversa indicantia, sed alimentum copiosum sunt diversa indicata: ergo requirunt diversa indicantia, sed alimentum copiosum indicatur in pueris ab inanitione, & ab sumptione partium: ergo alimentum ab alio indicabitur. Respondeo ambo indicari à resolutione, quæ, quia est major in pueris, indicatur ideò in illis copiosius alimentum, & sicut resolutio major, & minor differunt penès magis, & minùs, ita & alimentum, & alimentum copiosius. Quòdnam verò sit indicans alimentum copiosum usque ad juventutem non pro inanitione tollenda, sed pro incremento corporis adquirendo, dico deberi, tunc copiosiùs alimentum pro adquirendo corporis incremento, quòd naturaliter experitur in illis ætatibus, ut insinuat Doctor Joannes Gallego de la Serna.

SECTIO II.

DE DIFFERENTIIS INDICATIONIS.

PRimo dividitur indicatio in salubrem, curatricem, & præcautricem. Salubris est, quæ summitur à rebus sui custodiam indicantibus modo dicto. Præcautrix est, quæ summitur à dispositionibus, quæ non producunt, aptæ tamen sunt producere morbum. Curativa verò, quæ summitur à rebus lædentibus, quæ sui ablationem postulant.

Secundò dividitur in artificiosam, & non artificiosam. Hæc cuique est nota, & caret omni artificio, ut quæ summitur à morbo calido, qui indicat remedium frigidum. Artificiosa est verò proprior Medicorum, veluti est in dolore nimio à causa frigida, qui cogit uti narcoticis, etsi causam doloris augeant.

Tertiò dividitur in utilem, & inutilem; utilis est, quæ summitur à morbo, quæ adest contrarium, & materia contrarijs; ut intemperies calida indicat remedium frigidum, quòd remedium frigidum potest adhiberi in diversis materijs, ut sunt aquæ hordei, cichoriæ, æcetoræ, &c. Hæ aquæ sunt materia medica, media qua refrigeramus, & satisfacimus indicationi à morbo calido, & hæc est indicatio utilis: At inutilis est, quando non datur materia pro indicato. V. g. obstructio indicat deobstructionem, & non datur materia medica, quæ sit deobstructio, nam quæ deobstruit opponitur causæ obstruenti; non verò ipsi obstructioni, & hæc est indicatio inutilis.

Quartò dividitur indicatio in genericam, subalternam, & specificam.

cam. Generica est, quam suggerit indicans genericum; ut est, quæ summitur à morbo, & hæc indicatio neminem doctum facit, nisi in particularibus exerceatur, quia non curat Medicus morbum in communi, sed hunc, vel alium morbum. Indicatio subalterna summitur ab indicante subalterno, sicut specifica ab specifico. V. g. intemperies frigida jecoris, ut est morbus, indicat sui ablationem, & est indicatio generica. Vt est morbus intemperiei, præbet indicationem subalternam, ut auferatur per alterantia, & ut est intemperis frigida petit, ut auferatur per alterantia calida. Et si velis fingere alios gradus inferiores, ut quòd sit in primo, vel secundo gradu, in hepate, vel in corde, indicabit alterans calidum in primo vel secundo gradu, hepaticum, vel cardiacum, quæ sunt indicationes speciei infimæ, nam omnia hæc cadunt sub hac methodo.

Sed videtur omissa indicatio numerica, nam non curat Medicus hominem in communi, nec morbum in communi, sed hunc, vel illum morbum numero, à quibus videtur summenda indicatio numerica. Respondeo indicationem in quolibet morbo non summi ab illo secundum esse numericum talis morbi, sed ab illo secundum esse specificum contentum in illo morbo numero. Explico sic in Petro potest considerari esse hominis, & esse talis hominis. Sic in albo, & nigro, esse albi, & nigri, & esse talis numero albi, & nigri, quæ differentiæ faciunt speciem hominis, speciem albi, & speciem nigri, & individuum hominis, albi, & nigri: Idem dico de intemperie calida hepatis, & de quolibet morbo. Vnde indicatio, quæ sumitur ab intemperie, ut est talis numero, nam aliæ infinitæ intemperies sunt possibiles in alijs individuis eodem modo curabiles; sed solùm abesse specifico, secundum quod similis intemperies læderet in Petro, Paulo, & alijs. Similitèr dico, quòd cichoria, quæ sit indicata, v. g. non est indicata, nec curat illam intemperiem, quia talis cichoria innumero, nam aliæ infinitæ cichoriæ idem possunt efficere, sed proptèr esse specificum, quod convenit alijs cichoreis.

Explicatur ampliùs: Album contrariatur nigro. Percontor, huic albedini in numero hujus papiri, quæ nigredo in numero contrariatur? Mihi non est assignabilis, quia una, & alia nigredo, & omnes contrariantur huic albedini. Hoc supposito: percontor iterum omnes nigredines contrariantur huic albedini; quia est talis albedo in numero, aut quia est albedo? Non sanè, quia est talis numero; siquidèm omnis nigredo contrariatur omni albedini: Ergo solùm contrariantur secundum esse specificum albedinis, & nigredinis. Similitèr dico, quòd indicans, & indicatum sunt contraria, non quia tale indicans, & indicatum in numero, sed secundum rationem specificam, quam in se continent, & ob quam ab eodem subjecto mutuo sepellunt.

Ratio autem, cur ab individuationibus non summatur indicatio curati-

rativa, eſt, quia indicatio eſt ſyllogyſmus; ſyllogiſmus autem debet eſſe fundatus in dicto de omni, vel de nullo, quòd longè abeſt ab individuationibus. Deinde, quia ſi darentur indicantia numerica, ut talia non haberent contrarium ratione, ſed experientia; at argumenta ab ea ſunt fallacia: ergo non datur indicatio numerica.

Vltimo, quia ſi in conſequentia aliquid tribuitur indicanti numerico, deberet eſſe ex eo quod in aliqua præmiſſa, illud idem attributum fuit indicanti ſpecifico; veluti ſi diceres: omnis intemperies indicat remedium frigidum; ſed hæc numero intemperies in Petro eſt calida: ergo indicat remedium frigidum. En quomodò indicanti numerico tribuitur aliquid, ſed non qua numericum eſt; ſed quia contentum in ſpecifico: Et conſequentèr indicatio omnium infima ſummentur in omni morbo ab eſſe ſpecifico, & erit ſpecifica.

Dividitur quintò indicatio in ſimplicem, & compoſitam. Dicuntque aliqui, quòd ſimplex eſt, quæ ſumitur ab indicante ſimplici, & compoſita, quæ ſumitur ab indicante compoſito. Hæc rurſus dividitur in concordem, & diſcordem; concors ſumitur ab indicantibus uniformitèr, ut eſt quæ ſumitur à cauſa, & à morbo in febre biliosa, cum ambo petant refrigerationem. Diſcors verò econtra, ut quæ reperitur in febre pituitoſa, in qua febris petit refrigerationem; cauſa verò calefactionem. Verùm hæc licet in rigore ita appareant, non tamen ita ſunt intelligenda, prout attinent ad Medicinæ praxim. Apparent ita in rigore, quia unumquodque indicat ſuum contrarium. Et ita abindicante ſimplici ſimplex, & à compoſito compoſita videtur conſurgere indicatio.

At tamen, prout ad Medicinam attinet praxim ab indicato ſumit ſuum eſſe ſpecificum indicatio, ita ut, dùm indicatum eſt ſimplex, ſit ſimplex indicatio, dùm verò eſt compoſitum, ſit compoſita; & dùm indicata ſunt contraria, ſit etiam contraria indicatio, & idem dico de concordibus, & diſcordibus indicationibus. Ratio eſt, quia objectum indicationis eſt indicatum, ſicut objectum ſyllogiſmi eſt concluſio: Cùm verò actus ſpecificentur per objecta; hinc eſt, quod ſumat indicatio hanc ſpecificam differentiam ab indicato, quod eſt ſuum objectum. Præterquam, quod ex rebus contrarijs ſumitur una indicatio, quia unum eſt indicatum, & è contra ex ſimilibus contraria indicatio; quia indicata ſunt contraria. Patet hoc in natura frigida, ſi laboret morbo calido. Vide indicantia contraria, ſcilicèt, morbum calidum, & naturam frigidam, ſimile ex utriſque elicies indicatum dicendo: Morbus indicat ſuum contrarium: ergo morbus calidus indicat frigidum. Similiter natura indicat ſimilia: ergo natura frigida, indicat frigidum; nam frigida ſunt ſimilia naturæ, & contraria morbo: ergo ab indicantibus contrarijs emergit indicatio ſimplex, quia indi-

catum, est simile; è contra, si natura frigida laboret morbo frigido, sunt indicantia similia, & indicata contraria; quia natura frigida petit servari similibus, & morbus frigidus petit tolli contrarijs. Vide, quomodò ab indicantibus similibus emergit indinatio contraria, & discors: ergo hæc differentiæ indicationum sumunt suum esse ab indicatis potiùs, quam ab indicantibus.

Præstat modo, ut aliqua nomina, quæ passim occurrunt, explicemus, nempe coindicatio, contraindicatio, correpugnans, impediens, & prohibens. Coindicatio est simul cum alio indicatio. V. g. adsit, qui egeat venæ sectione, hic sit adleta, adolescens, tempus vernum assuetus optimis alimentis, & cui sit suppressa hæmorragia. In hoc casu indicatur venæ sectio à plenitudine coindicatur ab ætate, anni tempore, à suppressa vacuatione, quia hæc juvant incrementum plenitudinis.

Contraindicatio est contraria indicatio, ita ut, quòd unum indicat, alterum contraindicat, & quòd uni prodest, alteri nocet: Hinc patet etiam, quòd nuper dixi, nempe quòd ex eo, quòd sint contraria indicata, est contraria indicatio, neque requiritur, quòd sint contraria indicantia; sic phlegmon, & ulcus non sunt contraria, & indicata sunt contraria, quia quòd uni prodest, alteri nocet; & hæc est contraindicatio: Reperitur verò passim in effectibus complicatis, ut in febre lipyria, & epiala; & in affectibus compositis, ut in ulcere cum phlegmone. Hic nota distinctionem inter affectus compositos, & complicatos.

Correpugnans est illud, quòd se habet ex parte contraindicantis, & favet contrariæ indicationi, vel retardando, vel limitando auxilium indicatum. Impediens enumeratur inter correpugnantia. Prohibens autem, solum intelligitur de viribus, quæ si robustæ, consentiunt; si vero debiles prohibent, non autem retardant, vel limitant.

Dices: viribus robustis exercetur remedium in magna quantitate, (si sit indicatum) ipsis debilibus valde, non exercetur: si autem sint non extremò debiles, exercetur in minori quantitati: ergo vires limitant remedium. Negatur consequentia; quia quòd limitat est ex impedientibus, & impedientia ex contraindicantibus: Cum ergo vires, nec indicent, nec contradicent remedium, hinc est, quòd non sunt impediens. Vires verò solùm indicant sui conservationem; exercetur autem remedium in majore, vel minori quantitate penès virium statum; quia si robustæ, consentiunt, si valde debiles, prohibent; minùs, & consequenter consentiunt magis.

SEC-

SECTIO III.

DE ATTRIBUTIS INDICATIONIS.

ATtributa indicationis pendent ab analiticis principijs, ex quibus sua etiam præstantia elucescit. Est primum, quòd indicantium divisio fiat à genere, ad species subalternas, & ab his ad differentias specificas infimas, non ttanscendendo de genere in genus. Ratio est, quia indicans, & indicatum sunt contraria; at contraria sub eodem genere existunt: Vndè, si in divisione fieret transitus ad aliud genus, ibi non posset inveniri indicans, & consequenter, nec indicatum. Hinc Methodici inquirentes differentiam febris, dùm transcendunt ad morbos in via, scilicet, ad laxum, & densum, nequeunt speciem febris invenire, quia morbi in intemperie, non sunt in eodem genere proximo, cum morbis in via.

Secundum emergit à primo, quòd nempe indicans non sit genericum, sed specificum. Quia indicatum est specificum: ergo, & indicans debet esse specificum. Tùm quia nullum indicans lædit, ut genericum; sed ut specificum: ergo ab specifico sumetur indicatio.

Tertium est, quòd indicatio non sumatur à singularibus; quia de singularibus, nec methodus, nec scientia haberi potest, prout singularia sunt. Tum quia methodus est via universalis: ergo procedit ab universalibus. Tùm quia si ex particularibus nihil infertur, multò minùs inferretur ex singularibus.

Quartum est, quòd indicans sit notius indicato; quia indicans ducit nos in cognitionem indicati: ergo debet esse notiùs indicato. Tum quia indicans est medium verbum, & causa, ut in conclusione, vel consequentia inveniamus indicatum. Tùm quia, si non esset notiùs, vel esset ignotiùs, vel æque ignotum; sed ab æquè ignoto, nihil notum potest deduci: ergo debet indicans esse notiùs indicato.

Quintum est, quòd indicans sit præsens. Ratio est, quia indicatum est præsens: ergo colligitur ab indicante præsente. Tùm quia ab illo, ut præterito, vel futuro nihil potest colligi præsens, sicut nec potest colligi eclipsis Lunæ ex interpositione præterita, vel futura terræ inter Solem, & Lunam. In parte verò præcautrice remedia indicantur ob dispositiones præsentes, ut in habitu athletarum patet, qui vacuantur ob apparatum corporis, ne incidant in deteriùs. Ideó Gal. in Epidemijs, dixit: Vtique silenus non ægrotasset, nisi corpus antea esset dispositum, ut semper sit verum, quod ab eo, quod non est, non sumitur indicatio. Sextum est, quod indicans sit illud, quod caratur, non quid externum. Ratio

est,

eſt, quia indicans debet eſſe in aliqua differentia ſpecifica contenta ſub genere rerum præternaturam; ſed res externæ non ſunt ſub illo genere: ergo non ſunt indicans.

Septimum eſt, quòd unum, ut unum tantum indicat unum. Dixi, ut unum, quia ut multiplex plura indicare poteſt, ſic bilis, ut calida indicat refrigerationem, ut ſicca, humectationem; ut fluens revulſionem; & ut multa, evacuationem. At verò ut unum ſolùm indicat unum. Ratio, quia quodlibet indicat ſuum contrarium; ſed uni, unum eſt contrarium: ergo ſolum indicat unum. Secundò, quia contraria ſub eodem genere maximè diſtant ſolum ſunt duo: ergo contraria ſolùm ſunt duo. Quod intellige de contrarietate extrema, nam de medio ad extrema plura ſunt contraria, ſed minùs propriè.

Demùm addere, licèt alia principia generalia per ſe nota, ut quòd contraria contrarijs curentur; quòd quidquid eſt ſecundum naturam, ſui cuſtodiam indicat; & quòd eſt præternaturam, ſui ablationem indicat, quæ ſunt per ſe nota.

SECTIO IV.

DE NATURA, ET DIFFERENTIIS indicantis.

INdicans eſt agens in corpore humano permanens, quòd ex ſua natura utile poſtulat, ut habita ſanitas conſervetur, & amiſſa recuperetur. In qua deſcriptione conditiones indicantis ſuprapoſitæ proponuntur: Debet enim eſſe agens in corpore; quia illud, quod non eſt, non indicat; debet etiam eſſe permanens; quòd enim momentanee exiſtit, nullo eget auxilio, finis clare inoteſcit.

Indicantis differentiæ, ſunt colligendæ ex fine. Cum verò finis ſit ſanitatem habitam conſervare, & amiſſam recuperare, duplex erit indicans, ſalubre ſcilicèt, & curatorium, quibus ſi velis adde præcautorium. Curatorium eſt triplex, quia tres ſunt res præternaturam, nempe morbus, cauſa, & ſymptoma. Rurſus indicans aliud eſt utile; aliud inutile, artificioſum, vel non artificioſum; ſimplex, vel compoſitum; concors, vel diſcors, quorum naturæ ex ſupradictis patent.

Sed dices: Indicans eſt agens in corpore humano permanens, quòd ex ſua natura utile poſtulat, &c. Ergo nullum indicans eſt inutile: aliàs eſſet verùm, quòd indicans inutile indicat utile. Reſpondeo, quòd etſi omne indicans ſit inutile, quia eſt nocens, & quia, ſi indicatum eſt utile, omne indicans debet eſſe inu-

tile, quia noxium: In quo ſenſu omne indicans eſt inutile reſpectu viventis; & ſi reſpectu indicati, id attendas, omne indicans erit inutile, quia indicat utile. Tamèn in hoc loco non dicitur utile, aut inutile reſpectu viventis, aut indicati, ſed reſpectu Medici, ita ut ſi Medicus habeat materiam, qua ſatisfaciat illi indicationi, dicetur indicans utile, ſi verò non detur utilis materia dicetur, illud indicans inutile.

Addunt aliqui alia indicantia, ut ſunt aer, temperies, ſexus, conſuetudo, pars affecta, tempus, & alia hujuſmodi, quæ potiùs ad coindicantia, vel correpuguantia, vel prohibentia debent reduci, quia aut ſunt res externæ, quæ vere non indicant, vel ſunt ex parte morbi, quo in caſu coindicant; vel contra morbum, qno in caſu correpugnantia; vel ex parte naturæ, & hoc modo, aut permittunt, aut prohibent.

SECTIO V.

DE NATURA INDICATI.

CVm indicatio ſit operatio intellectus, qua ex nocente infertur juvans, ſeu ex indicante indicatum, opus eſt, ut cognita natura indicantis, dicamus aliquid de indicato; ſed nullo modo meliùs cognoſcetur, quam ex cognitione indicantis. Tùm quia indicans, & indicatum ſunt contraria, contrariorum verò eſt eadem ratio; ſunt ſub eodem genere, ſub quo maximè diſtant; ejuſdem lineæ extremas margines obtinent; ab eodem ſubjecto mutuò ſe pellunt; ſolùm ſunt duo, quia uni unum eſt contrarium: ergo qui rectè noverit ideam indicantis, & ejus conditiones; rectè etiam cognoſcet conditiones, & naturam indicati.

Communitèr definiunt indicatum, dicendo: Quòd eſt agens, quòd à natura indicantis ex ſequendum demonſtratur, ut illius efficacia diſpoſitio nocens humano corpori auferatur; undè habita ſanitas conſervetur, & amiſſa recuperetur. Cujus definitionis partes, ex dictis antea ſufficientèr patefiunt.

Hic expedit præmittere ad intelligentiam dicendorum, quæ ſit differentia inter indicatum, & materiam indicati; ne confundantur hæ voces. Indicatum enim eſt contrarium indicanti: hinc eſt, quòd indicanti, & indicato convenit intenſio, & remiſſio, quòd habent ſuos gradus; quòd in gradu remiſſo ſunt compatibilia, & ſic in gradu remiſſo non ſunt contraria, (altim ſecundum quod dicunt pro materiali) & in ſumma indicanti, & indicato conveniunt omnes proprietates contrariorum, quia in ſe ſunt cantraria. Quæ proprietates nupèr dictæ ſunt, & ab Ariſtotele proponuntur capite de poſt prædicamen-

mentis. Materia verò indicati est subjectum illud, cui inhæret contrarium indicanti: Hæc subjecta contrariorum sunt inexcusabilia, quia alibi ex Philosopho dixi, quòd contrarium non agit in contrarium, sed in subjectum contrarij, in illo introducendo suas dispositiones, v. g. intemperies calida in hepate est indicans remedium frigidum. Vnde remedium frigidum est indicatum; jecur, in quo inhæret calor præternaturam, est subjectum indicantis; sicut aqua cichoriæ, in qua inhæret remedium frigidum, est materia indicati. Constat etiam, quòd frigiditas cichoriæ non operatur quomodocumque in calorem jecoris, sed jecur disponendo, ut introducatur frigiditas, cujus introductio est caloris expulsio.

Patet etiam hæc distinctio indicati à materia, seu subjecto indicanti; contrarietas autem est passio accidentium, non verò subjectorum. Confirmatur, quia indicatum, cum solum possit esse unum in specie, potest existere in subjectis specie diversis, & ab illis æquè participari. Patet, nam à calore hepatis indicatur frigiditas, quæ æqualiter est in cichoria, acetosa, hordeo, & alijs epaticis. Ecce materias specie diversas, in quibus inest eadem specifice frigiditas indicata. Similiter cacochymia biliosa indicat purgationem per colagoga, quæ fieri potest rabarbaro, diagridio, tamarindis, & casia specie distinctis. Ratio hujus est, quia diversitas specifica subjectorum pendet ex forma cuique propria: Indicati verò unitas, ex accidente aliquo omnibus communi. Similiter in eodem subjecto, seu materia possunt esse indicata diversa, ut in tamarindis vis purgandi, & refrigerandi; & in rabarbaro vis purgandi, & astringendi. Vnitas subjecti pendet ex unitate formæ. Diversitas verò indicatorum evenit, ob diversa accidentia, quæ à forma ob diversitatem partium dimanat. Ecce quomodò in diversis specie subjectis potest esse unum indicatum, & in uno subjecto plura indicata: Vt hinc pateat diversitas indicati à materia indicati.

SECTIO VI.

DE DIFFERENTIIS, ET SCOPIS INDICATI.

NEque in differentijs indicatorum immorabimur, cum correspondeant differentijs indicantium. Et ita sicut indicantium, unum est salubre, & aliud curativum, & hoc indicat sui ablationem per contraria, & illud sui conservationem per similia modo supradicto: ita, & indicatorum unum est salubre, quod servat vires, & aliud curativum, quod tollit res præternaturam. Aliæ differentiæ indicatorum ex dictis facile innotescunt.

In

In quolibet autem indicato quatuor ſcopi conſiderari poſſunt, ad quos tota curantis ars dirigitur. Hi ſunt qualitas, quantitas, occaſio, & modus utendi. Correſpondent verò hi ſcopi indicantium conſiderationibus; nam in indicante poteſt conſiderari, idea, qualitas, ſeu eſſentia indicantis, cui correſpondet ſpecies, ſeu idea auxilij indicati. Secundò poteſt conſiderari quantitas, ſeu receſus à ſtatu naturali, cui correſpondet quantitas auxilij indicati. Tertiò poteſt conſiderari tempus, cui correſpondet occaſio ad auxilium exercendum. Quartò poteſt conſiderari ubi, ſeu locus affectus, cui inhæret morbus, vel indicans, cujus immutationis modum ſequitur modus utendi.

Qualitas indicati eſt ejuſdem idea, ſpecies, ſeu genus. Sumitur autem ab idea indicantis: Vndè, qui rectè naturam indicantis calluerit, facilè auxilij indicati naturam inveniet, quia ſunt ambo extremè contraria; ſic morbi à repletione curantur inanitione; frigidi calidis, & calidi frigidis. Similiter, ob eandem rationem intemperies calida in ſecundo gradu indicat frigida in ſecundo gradu; & ſi ſit in hepate, petit, ut fiat per hepatica; quia ſicut in indicante debet fieri diviſio à genere ad differentias ſubalternas, & ab his ad ſpecificas infimas, ut verum indicans inveniatur; ſic, & in indicato, ut procedat remedij inventio per præcepta Logica; nam ſunt contraria, & ſic in eodem genere, & in eadem linea. Alias, ſi eſſent in diverſa linea, permiſcerentur cum alijs prædicamentis. Iàm verò conſtat ex Analiticis differentias, & proprietates entis eſſe impermiſcibiles.

Quantitas auxilij ſumitur à quantitate receſſus indicantis, ita ut à majore receſſu, indicetur major receſſus in auxilio; & à minima actione indicantis, indicatur actio minima indicati. Nam qua ratione auxilium opponitur morbo; ita certa auxilij doſis opponitur doſi, receſſui, aut quantitati indicantis. Et ſic extremis morbis debentur remedia extrema, & parvis parvæ. Et ſi hoc deſpicias, aut addes ſuperfluum, aut tollis neceſſarium. Nota tamen, per quantitatem me intelligere continuam, & diſcretam: nam ſicut vehementiæ morbi opponitur vehementia auxilij, ſic repetitioni morbi opponitur repetitio auxilij. Vt indè pateat non operari dogmaticè, qui in vehementi dolore utuntur levi anodino ſæpiùs repetito, credentes repetitione auxilij ſævilsimum dolorem ſuperandum eſſe. Conſtat verò anodinum leve eſſe remedium diminutum reſpectu doloris vehementiſsimi, (niſi ubi natura eſt adminiculans) nec ſufficere repetitionem; nam repetitio auxilij eſt quantitas diſcreta, ſcilicet numerus; repetitio verò contrariatur doloris repetitioni, non verò ipſius vehementiæ, nam vis, & numerus ſunt ſub diverſo genere.

Occaſio auxilij exequendi eſt opportunum tempus ad operandum. Sumitur autem ex præſentia poſtulan-

lantis, & abſentia impedimentis. Etſi enim toto tempore, quo morbus adeſt, indicet auxilium ad ſui ablationem; quia omnia dimanant à præſentia indicantis; tamen auxilia non poſſunt æque adhiberi ob præſentiam impedientium. Sic in principio febris putridæ, & ſi adſit indicatio mittendi ſanguinem, multoties prorrogatur ob ventris cruditates, aut aliud impediens. Occaſio una eſt univerſalis, & alia particularis. Vniverſalis ſumitur ab eo, quod morbus in univerſali tempore indicat; ut dùm ſecundo aphor. ait Hippoc. incipientibus morbis, ſi quid tibi videtur movendum, move. In qua loquitur Hippoc. de principio univerſali. Particularis verò ſumitur ab eo, quod indicat in tempore particulari, ut dùm primo aphor. ait in acceſsionibus abſtinere opotet.

Modus utendi eſt recta adminiſtrandi ratio; nam poſtquam cognoverimus, quale ſit remedium applicandum, qua quantitate, & qua occaſione, reſtat adhùc ſciendum, quomodò ſit adminiſtrandum, ad quod pertinet ſcire, ubi ſit applicandum, qua figura, quo ordine, quo ſubſtantiæ modo, & alijs. Sumitur autem recta adminiſtrandi ratio ab inhærentia morbi in parte, vel indicantis, ut latiùs loquar: cui opponitur inhærentia auxilij. Cognoſcimus verò talem inhærentiam ex conditionibus partis affectæ, ex qua reſultat cognitio ad rectè adminiſtrandum auxilium. Pro quo.

Suppono primò, quòd ultimæ, & ſpecificæ morborum differentiæ; nequeunt cognoſci, niſi cognitis differentijs ſuperioribus, quarum cognitio eſt facilior, & prior. Quare ad univerſalioribus eſt incipiendum. Sic priùs cognoſcitur, quòd ſit febris, quam quòd ſit diaria, aut putrida, & priùs cognoſcitur dolor, quam quòd ſit gravativus, vel pungitivus.

Secundò ſuppono, quod illas morborum ideas genericas debemus applicare ſingulis partibus affectis, ut differentias ultimas cognoſcamus videndo, in partibus quid immutent; nam in quibus ſecundum naturam habentibus conſiſtit ſanitas, in eiſdem à juſto modo recentibus, conſiſtit morbus, & hinc reſultat triplex morborum diffetentia ſatis nota.

Tertiò ſuppono, quòd in partibus noſtri corporis debemus conſiderare decem conditiones, nempe meatum, figuram, ſitum, compoſitionem, exordium, ſubſtantiam, temperaturam, numerum, progreſſum, & officium, aquarum immutatione omnes ſpecifici emergunt affectus. Nec facilè inveniet quis aliam viam ſecuriorem, quam ſi emendicaverit ideam morborum ſpecificam à parte, cui morbus inhæret: Videndo, quam conditionem in illa immutet, (cum nec aliam viam invenerit tutiorem Sanctorius) ſed quia exemplorum luce, id ampliùs inoteſcit, aliquot afferamus. Vlcus in pulmone eſt Phtiſis; in crure verò eſt cauterium ſalubre; dolor in arteria eſt pulſativus, ob partis officium: In viſcere gravativus ob numerum diminutum nervorum:

rum:

tum: In perioftio frangitivus ob duritiem, quæ attinet admodum fubstantiæ: In nervis convulfivus ob exordium nervorum: In membrana pungitibus ob fubftantiam partis, quæ denfa cum fit, imitatur humor acuum eufpides, dùm per anguftiam pororum tranfit. Ecce quomodò doloris fpecies emergunt ab illis conditionibus, quas immutant in parte affecta. Et idem contingit in morbis. Sic bilis in cerebro facit phrenitidem, in pleura pleuritidem, in parte exrerna erifipelas, & in toto morbum regium. Attrabilis in toto facit elephantiafim, in parte verò cancrum. Catharrus fluens ad nares facit reúma, in pectus verò tufim, aut afthma; flatus in corde facit palpitationem; in ventre verò facit ructum, aut rugitum; & fic de alijs. Vndè conftat, quòd omnis affectus fumit fuum effe fpecificum ab aliqua ex decem conditionibus, quas immutat in parte affecta, cui morbus inhæret.

Ab ifta cognitione deducitur cognitio recta adminiftrandi remedij; nam ficut morbo opponitur auxilium, fic inhærentiæ morbi in parte opponitur inhærentia auxilij; & ficut inhærentiam morbi cognofcimus ex illis decem conditionibus, à quarum immutatione fumit morbus fuum effe fpecificum, ita & ab illis decem conditionibus debemus deducere, quomodò fit applicandum auxilium, ut rectè pellat morbum. Patet id exemplis, nam affecto hepate admoventur auxilia hipocondrio dextro obfitum, ficut affecto liene finiftro; ex figura, & ideò hepati uniformia lieni ad modum linguæ bovis, ventriculo fcratiformia, utero rotunda, & renibus quadrata. Ex fubftantia partis; nam ideò ficciora medicamenta, & durioра applicantur ofibus, quam carni. Ex compofitione, nam diverfimodè reducuntur partes luxatæ in diartrofi, ac in fimphifi. Ex officio, nam ideò ventriculo, & partibus officialibus roboris caufa aliquid admifcetur. A temperie, nam fi æquè calida adhiberentut auxilia omnibus partibus laborantibus frigido morbo, unam curarent, & aliam perderent. Vt merito modus adminiftrandi remedij fumatur ex eifdem conditionibus, ex quibus colligimus inhærentiam morbi in parte.

Sed dices: Vnum, ut unum folum indicat unum: ergo modus utendi non poteft indicari ab illis decem conditionibus. Refpondeo modum utendi folum indicari ab inhærentia morbi in parte, fed cognofcimus illam inhærentiam indicantis ab illis decem conditionibus fupradictis, à quibus etiam aliæ conditiones in utendi modo confurgunt. Nota demùm, quòd licet pofuerim exempla in morbis, idem militat in caufa, & in indicato falubri.

SECTIO VII.

DE INDICATIONE A MORBO, ET ejus cognitione.

IN quolibet morbo considerari potest idea, magnitudo, motus, & mos morbi. Nunc agemus de idea morbi, quia ejus indicatio est carcer methodi medendi; & cum indicatio procedat à cognitione morbi; quia, & indicans debet esse notiùs indicato. Ideò priùs de cognitione morbi debemus agere. Pro quo suppono primò, quòd morbus est affectus præternaturam, primo, & per se lædans actiones. Est triplex, in formatione, in temperie, & solutione continui; quæ differentiæ in alias subdividuntur, quod ex pathologia suppono.

Secundò, quòd licèt per hanc viam divisivam posimus percurrere omnes morborum differentias, tamen differentiæ specificæ nequeunt cognosci, nisi addita demonstratione à posteriori, licèt non negem aliquas differentias esse adeò obvias sensibus, ut statim per se innotescat, ad quam differentiam debeant reduci, ut est sextus digitus. Quòd verò latentes morbornm differentiæ nequeant cognosci, nisi additis signis à posteriori, patet sequentibus exemplis. Sint ob morbum in via suppressi menses; talis verò morbus in via potest esse obstructio, compresio, subsistentia, coalescentia, occlusio, & constipatio. Nemo sane hinc cognoscet, ob quam angustiæ differentiam sint suppresi menses, nam in consequentia nequit inferri, nisi quod est in præmisis: ergo cum in præmisis delitescat, ob quam angustiæ differentiam sumt supresi, nequit id colligi in conseqneutia. Rursus: Dubitet quis, an hæc febris sit benigna, vel maligna, & arguat dicendo: Omnis febris continua, vel est maligna, vel benigna; sed hæc est febris continua: sanè ex hoc arguendi modo nihil colliget, quia in præmisis adhùc delitescit, quod inquiritur. Vel arguat sic: Omnis febris continua est maligna; sed hæc est continua: ergo maligna. Qui syllogismus nihil concludit, quia constat majore falsa. Vel arguat sic: Omnis febris maligna est continua; sed hæc febris est continua: ergo maligna; qui syllogismus nihil concludit, quia est in secunda figura, & constat ex puris affirmativis. Vel arguat sic: Aliqua febris continua est maligna; sed hæc febris est continua: ergo est maligna. Qui nihil concludit, quic ex puris particularibus nihil sequitur; & deindè est in prima figura cum majori particulari. Cum ergo hac divisio-

sionis methodo non inveniatur specifica morbi differentia, opus est, ut id examinetur per signa à posteriori demonstrantia ideam indicantis.

Nota tertiò, quòd cum morbus lædat actiones, præcipua signa sumuntur à symptomatibus, quæ illum sequuntur. Inter symptomata autem, quædam sunt primi ordinis, quædam secundi, & hæc procedunt à morbo media actione læsa: nam actio læsa pendet à morbo, & ab actione læsa pendent symptomata in excretis, & retentis, & quod est in qualitate mutata. Vt valeat consequentia est diarrea: ergo vel retentio est abolita, vel expulsio est depravata. Similiter retinetur aliquid immodicè: ergo quia expulsio est abolita, vel retentio depravata. Pariter qualitas mutata non venit in conspectum sine subjecto, quod exeat, sed quod exit, supponit actionem læsam: ergo qualitas mutata supponit actionem læsam. Ecce quomodò symptomata secundi ordinis sequuntur symptomata primi ordinis.

Inter symptomata autem primi ordinis, quædam pendent ab alijs. Sic in lienteria alimenti incocti, expulsio sequitur retentionem abolitam, in quo casu concoctrix, & expultrix patiuntur symphaticè ob consensum facultatis retentricis per idiophatiam lapsæ. In diarrea verò sæpè expultrix per se est læsa, & sæpe irritatur ab objecto molesto genito ob vitium coctionis, in quo casu depravata excretio pendet à prava coctione, ut hinc pateat quoddam symptoma primi ordinis pendere ab alio primi ordinis. Semper tamen omnia symptomata cum sint entia in fieri, pendent à morbo, vel errore externo, quæ sunt entia in facto esse; quia ex Philosophis constat, quòd omne ens in fieri dependet ab ente in facto esse, & quod est per accidens, pendet ab eo, quod est per se.

Nota quartò, quòd sicut inter symptomata quædam pendent ab alijs, quædam verò non, sed immediate à morbo, ita inter morbos quidam pendent ab alijs, quidam verò non; unde morbi alij sunt idiophatici, sive per propriam essentiam, alij verò symphatici, sive per consensum. Quod summè est advertendum, quia si morbus non rectè cognoscitur, aut qui est symphaticus vellet ab aliquo curari ante idiophaticum, nunquam id consequeretur. Pro morbo verò cognoscendo sæpè unicum, sæpè plura signa requiruntur. Nunc autem plura proponemus, ut in latentioribus morbis ex pluribus signis simul sumptis, certam comparemus notitiam.

Signa ergo pro morbo cognoscendo, quædam sunt communia, quædam verò propria, quibus addere licet substantialiter inhærentia, sed hæc ommittimus, quia non habent locum in omnibus morbis. Propria igitur signa sunt quinque, nempè actio læsa, excreta, & retenta, qualitas mutata, motus morbi, & juvantia, & lædentia. Actio læsa sola aliquando ideam morbi patefacit. Sic delirium cum furore ostendit ca-

lidam celebri intemperiem; cum timore verò frigidam. Somnus ostendit frigidam, & humidam, (ut aliquibus placet) vigilia verò calidam, & siccam. Abolitio sensus, & motus in toto corpore ostendit obstructionem ventriculorum cerebri; in parte verò illius nervi obstructionem. Pulsus magnus celer, & frequens calidam cordis intemperiem. Parvus verò, tardus, & rarus frigidam ejusdem denotat. Inappetentia, & sitis calidam intemperiem ventriculi. Appetentia verò sine siti frigidam ostendit: Ecce quomodò ex læsa actione multoties morbus patefit.

Excreta similitèr morbos ostendunt, sic sanguis magna quantitate excretus ruptionem venæ denotat, sicut excretus paulatim resudationem. Puris excretio ulcus, ramenta per dejectionem excreta ulcus intestinorum. Alimenta dejecta eo modo, quo sunt assumpta lienteriam, sicut potus non mutatus diabetem. Cartilago tussi ejecta ulcus asperæ arteriæ denotat. Meritò ergo ex excretis inditia sumuntur. Qualitates mutatæ paritèr morbum patefaciunt. Sic icterus flavus obstructionem vesicæ fellis ostendit; niger verò icterus lienis obstructionem. Rubor maxillarum phlogosim pulmonis; color verò mutatus in quacumque parte ejusdem phlegmonem, vel erisipelas, prout fuerit color ostendit.

Motus morbi celer calidos, tardus verò frigidos affectus ostendit. Qui vespere, aut noctu frigidos magis, qui mane, aut meridie potiùs calidos, nam humores calidi ferotiùs moventur die, sicut frigidi nocte. Sicut enim quatuor humores correspondent quatuor partibus anni, ita, & quatuor partibus diei, sed non æqua ratione. Nam bilis, v. g. correspondet Æstati, quia hoc tempore uberius generatur, sicut Hyeme pituita. Tamèn bilis correspondens meridiei, non ob id correspondet, quia meridie uberius generetur, neque nocti correspondet pituita, quia in nocte generetur copiosius. Nam in noctibus Æstivis generatur magis bilis, & in meridie Hyemali generatur uberius pituita, siquidem tota Æstas est magis biliosa, sicut Hyems pituitosa; neque est credibile, quòd in tam brevi tempore, sicut est meridies Hyemalis introducatur dispositio conducens ad generandam bilem magis: ergo non æquè, & eadem ratione correspondent quatuor partibus diei, sicut correspondent quatuor partibus anni. Fundatur autem talis correspondentia in hoc, quòd humores omnes moventur eo tempore, quo sunt acriores, & magis stimulant, bilis autem acrior est meridie ad sextam horam vespertinam; quia eo tempore ab ambiente minùs temperatur, & aere attracto per respirationem, (quia tunc est calidius, & si in Hyeme) minùs temperatur bilis. Pituita verò est molestior nocte, quia frigidior media nocte usque ad sextam horam matutinam; eò quòd ab ambiente inspirato minùs calefit Æstate, aut Hyeme magis refrigeratur. Vespere molestior est humor melan-

lancholicus, quia per totam diem ob vigiliam magis resolvitur de substantia; & sic sunt corpora sictiora. E contra horis matutinis sunt humidiora cum calore, quòd sanguini symbolizat, quia per noctem minùs resolvitur de substantia humida, imò magis augetur. Si ergo motus humorum in morbis pendet ab eorum acrimonia, qua naturam stimulant, clarè constat quomodò biliosi morbi exacerbantur magis die, quam nocte; pituitosi è contra; melancholia vespere, & sanguis mane. Non negamus, quòd omnes morbi omnibus in temporibus fiunt, major tamen exacerbatio, sicut pendet ex dictis, ita nos ducit in cognitionem ideæ morbi, & causæ.

Quintus fons est ob juvantia, & lædentia. Nam si aliquando in immensa caligine versaretur affectus, tunc patefit hoc quinto signorum fonte, nam si juvat calida, morbus est frigidus. Prodest evacuatio: ergo à repletione. Prodest in convulsione febris: ergo convulsio est passio frigida. Prodest jejunium: ergo à pituita pendet affectus ventriculi, vel lassitudo Nocet jejunium: ergo à bile. Ecce quòd hoc signorum fonte innotescit affectus, (velut lydio lapide) licèt ob tenebratus.

SECTIO VIII.

DE ALIIS SIGNIS DIGNOSTICIS.

SÆpè tamen affectus ita sunt obscuri, (quod ex compositione, aut complicatione dependet.) Vt cogamur signis communibus morborum naturam indagare. Hæc autem signa sunt sex. Primum signum, sumitur à causis procatarticis. Secundum, à dispositione patientis. Tertium, ab humorum prædominio. Quartum, à symptomatibus. Quintum, à juvantibus, & nocentibus. Et sextum, à parte affecta.

Primus fons est à causis procatarticis, hæ sunt cibus, & potus, aer, somnus, & vigilia, motus, & quies, excreta, & retenta, & animi pathemata. Aer varie alterat corpora prout calidus est, frigidus, siccus, aut humidus. Similiter cibus, & potus. Somnus ad frigidos, vigilia verò ad calidos disponit; & idem tene de alijs causis externis, distinguendo tamen, quod operatur per se, ab eo quod operatur per accidens. Vt meritò occasiones, undè quis ægrotare cœperit, considerandas esse dixerit Hip. 2. epidem.

Secundus fons est à dispositione patientis, sine qua, nec ignis comburet. Ideò dixit Galen. in epidem. Vtique Silenus non incidisset in morbum gravissimum, nisi corpus ejus antea esset dispositum. Hæc autem dispositio, aut est antecedens, aut con-

consequens. Atecedens disposítio est esse oriundum à Parentibus similem luem patientibus. Ex ætate, nam juvenum corpora ad calidos, se num ad frigidos affectus sunt paratiora. Ex propria temperie, ut biliosi ad biliosas sunt pronti. Similitèr gravidi ad calidos, obesi verò ad frigidos inclinantur morbos. Ex suppressa aliqua consueta vacuatione sanguinis, bilis, aut alteriùs humoris, ad similes morbos disponi corpus cognoscimus. Consequens dispositio est ex actionibus vitalibus, naturalibus, & animalibus, quæ propriam temperiem ostendunt, & consequentèr majorem dispositionem ad quosdam morbos, cum facilior sit transitus ad symbolum, quam ad dissymbolum. Si ergo conjungamus causas procatarticas cum dispositione patientis, magnum fructum capiemus pro morbis cognoscendis.

Tertius fons est ab humorum prædominio, quorum cognitio coincidit cum conditione temperamentorum. Sed de humorum cognitione latior erit sermo, dùm agamus de indicatione à causa.

Quartus fons est à symptomatibus. Et si enim, ut supradiximus, unum, vel alterum symptomata interdum morbi naturam detegat, alia tamèn symptomata, alio artificio idem patefacient. Si nimirùm omnia symptomata, cum sint entia in fieri, reducantur ad principium in facto esse nempè ad morbum, v. g. adsit fluxus sanguinis. Tunc sic arguemus: Talis fluxus est symptoma in excretis: ergo sequitur, vel expultricem depravatam, vel retentricem imbecillam. Rursus actio expultricis, aut læditur per se, vel per accidens; si per se, erit, vel ob morbos partium organicarum, vel similarium, vel communium; si est ob morbos partium organicarum, erit ob vasorum nimiam apertionem; si ob morbos partium similarium, erit ob intemperiem calidam, & siccam. Si verò est ob morbos communes, erit ob vasorum ruptionem. Verùm quando læsio à morbo organico, aut communi pendet, sicut, & quando fibræ retentioni inservientes sunt flaccidæ, potiùs pertinet hoc vitium per se retentioni, & per accidens expulsioni. Læditur pariter per accidens expulsio, quando coctio depravatur, ita ut humores acres generet. Rursus coctio lædi potest, per se, aut per accidens. Per se læditur ob morbos similares; per accidens verò ob vitium externum, Similiter est discurrendum de retentione; nam lædi potest per se à morbis similaribus, aut organicis; aut per accidens, quatenùs coctio subministrat materiam aquosam, & tunc adhuc coctio læditur, aut per se, aut per accidens, ut nuper dixit.

Cognoscemus autem, quod expulsio est depravata, quando substantia acris excernitur, & fit excretio cum molestia, & natura non est admodum imbecilla, nec carnes molles. Tuncquè valet: est expulsio depravata: ergo ab intemperie calida, & sicca. Tunc autem talis intemperies, aut est mala constitutio similarium,

aut

aut ab errore externo. Si est ab errore externo, subitò invadit affectio, & sine procedentibus longis dispositionibus talis actio depravata observatur. Si verò decursu temporis corpus ad illas dispositiones deveniat, tunc erit morbus in constitutione similarium.

Similitèr retentio est diminuta, aut abolita: ergo à morbo frigido, humido, vel utroque. Talis autem morbus potest pendere à mala constitutione similarium, aut vitio externo. Si enim corpus subito incidit in talem affectum erit ob vitium externum. Si autem paulatim, & per diuturnas dispositiones: exit morbus in constitutione partium similarium, quia intemperies quæ sunt malæ constitutiones partium similarium, neque citò fiunt, neque citò desinunt.

In animalibus actionibus similitèr, dùm depravantur, ferè semper est ab intemperie calida, sicut dùm abolentur, aut diminuuntur est ab intemperie frigida. Hoc idem evenit ferè in vitalibus in magnitudine, celeritate, & frequentia pulsus, aut in contrarijs. Nam depravatio à calore, diminutio verò à frigore ortum ducit. Ecce quomodò ex læsis actionibus, & excretis possumus ad morbi ideam devenire reducendo, quod est in fieri, ad principium in facto esse.

Hac autem methodo neglecta facilè incidemus in labyrinthos inexplicabil es; & ut aliqua exempla afferamus, dejectiones variegatæ damnantur ab Hippoc. quarto aphorism. inter omnes alias: At secundo epid. in historia Dexipi: Ea quæ sunt unius coloris. Diarrea in morbis toracis damnatur ab Hippocr. & ideò non juvanda, ut in uxore Polemarchi quinto epidem. at Cauponem peripneumonicum liberavit diarrea septimo epidem. Vrina subjugalis dolorem capitis ostendere asservit Hipp. 4. aphorism. & 7. epidem. in historia famulæ Evalcidæ convulsionem, & mortem, ut in hac, in Alicarnaseus, & Poliphanto innotuit eodem 7. epi. At sæpe præservat ab abscessu, ut ait Hippocr. 4. aphoris. 74. contentum farinaceum in Sileno fuit à colliquatione; at in eo, qui habitabat in Dealcis horto, speciem causæ denotavit. Hæc, & ejus modo facilè innumera deludent nos, nisi prædicta methodo reducantur ad principium in facto esse, scilicèt ad morbum, quo pacto illorum natura innotescit. Sed de hac reductione, & signis in actionibus læsis, excretis, & retentis, & qualitatibus mutatis, si fusiorem sermonem exoptas, fortasse postea ad manus habebis.

Quintus fons est de juvantibus, & nocentibus, de quibus non est opus, ut hic multa agamus, cum ex supradictis constet morbi ideam patefacere, sive intelligatur de rebus externis, aut internis, ab arte, natura, vel casu factis, distinguendo semper quod operatur per se ab eo, quod operatur per accidens.

SEC-

SECTIO IX.

DE COGNITIONE PARTIS AFFECTÆ.

VLtimus fons pro morbo cognoſcendo eſt à parte affecta. Cujus cognitione eſt opus non ſolum ad morbi ideam cognoſcendam; ſed ad alia plura in curatione. Ipſa enim non indicat curativè, ut multis placet. Tùm quia ſolùm indicat, quod curatur, & quod curatur eſt res præternaturam. Pars ſolum exigit ſui conſervationem; quia eſt ſecundum naturam. Tùm ſecundò, quia morbi ſunt accidentia locorum affectorum: ergo quod opponitur morbo, non opponitur parti affectæ: ergo remedium morbi non eſt remedium partis. Tùm tertiò, quia unum ſemper indicat unum; ſed ſi pars affecta indicaret plura, cum pluribus, contrarijs morbis poſſet affici. Tùm quartò, quia auxilium ſumitur ab eſſentia indicantis, vel à conſequentibus eſſentiam: At locus affectus, neque intrat eſſentiam, neque conſequitur eſſentiam: ergo pars affecta non indicat curativè.

Conducit tamen cognitio loci affecti ad curationem multiplicitèr. Tùm quia à natura partis affectæ metimur receſſum, ut inde æquemus auxilium morbo. Tùm quia materia alia eſt hepatica, alia cordialis, & alia cæphalica: ergo pro invenienda materia medica eſt opus cognitione partis affectæ. Tùm quia, ſi partes nobiles ægrotent, quæ aliàs debent eſſe robuſtæ, colligimus indè earum magnam imbecillitatem: Vnde auxilijs miſcemus ſemper aliquid corroborans partem affectam: At ſi partes ignobiles ſunt morboſæ, vehementioribus tractantur auxilijs, quia ex ſe ſunt debiles. Tùm quia diverſo modo applicantur remedia pro diverſis partibus, ſic affecto torace, lambendo, affecta gula, ſenſim deglutiendo, affecto ventriculo ſemel deglutiendo ſumuntur ſirupi. Túm quia in parte prædicta ſenſu accuto vitantur acria, quæ conceduntur in parte ſenſus hebetis. Tùm quia pars mollis, cum ex ſe ſit apta ad recipiendum, non admittit auxilia valdè aſtringentia, pars verò compacta ea admittit, quia cum ex ſit inepta ad recipiendum, non recipiet, niſi multum recedat à ſtatu naturali. Similitèr vaſa cava ob loci amplitudinem permittenta ſtringentia, quæ ob loci anguſtiam non ferunt vaſa ſtricta.

His de cauſis opus eſt, ut inſudemus in cognoſcenda parte affecta, quæ uſum, & utendi modum variat in remediorum adminiſtratione. Prætarquam quòd pro morbo cognoſcendo multum facit. Sunt verò quinque ſignorum fontes pro adipiſcenda parte affecta. Primus eſt ab excretis: Secundus ab actione læſa: Tertius à

ſitu

situ accidentium: Quartus à proprijs accidentibus: Quintus à doloris proprietate; ex quibus, vel unico, vel pluribus aliquando est opus.

Primus ergo fons sumitur ab excretis. Sic carvuncula per urinam excreta ostendit renes affectos. Cartilaginosa substantia per tusim excreta ulcus asperæ arteriæ. Pus cum urina valdè per mixtum ulcus renum ostendit; nam ob distantiam ulceris pus multùm miscetur cum lotio. Sed neque hoc sufficit, quia potest ulcus esse in jecore. Tunc verò confugiemus ad situm doloris, qui est alius fons; nam si dolor sit in renibus, & adsit pus valdè permixtum, dicemus in illis esse ulcus; si verò sit in jecore dolor, illius ulcus declarabimus. Similitèr si vomitu excernatur pus dicemus esse ulcus, an verò sit in æsophago, vel in ventre, id patefaciet situs doloris, nam si assumpto cibo, sentiatur dolor inter deglutiendum, æsophagus erit ulceratus: si verò post deglutitionem sentiantur puncturæ in ventriculo ibi erit ulcus.

Secundus fons sumitur ab actione læsa. Nam actiones aliæ sunt peculiares, quæ ab una exercentur parte, aliæ communes, quæ à pluribus. Quælibet verò actio peculiaris, si lædatur, morbum denotat in parte, à à qua exercetur. Actiones verò communes læsæ alijs signis ægent, ut partem afectam demonstrent.

Tertium signum sumitur à situ accidentium, ut à situ doloris, caloris, frigoris, humiditatis, siccitatis, duritiei, aut mollitiei. A situ doloris, quia ubi dolor, ibi morbus. Idem tene de situ, ub sentitur calor, frigus, humidus, vel alia qualitas. Sic, si in dextro hypocondrio durities persentiatur, affectum est jecur, si in sinistro lien. Debet autem durities secundum membri affecti mensuram prolongari. Vndè, si durities in dextero hypocondrio esset cum eminentia semilunari, denotaret affectum hepar, si verò esset in longum exporrecta, ostenderet affectos musculos ab domiminis. Similitèr in empiemate locus affectus cognoscitur, si superponatur linteum madefactum, quod si exaruerit citiùs in parte dextra, illa erit affecta, si verò in sinistra, bi erit empiema; quia citiùs exarescit linteum in parte affecta, ob vapores acres ex loco affecto elevatos. Similitèr magnitudo aucta locum affectum ostendit. Meritò ergo à situ accidentium possumus cognoscere locum affectum.

Quartus fons sumitur à proprijs accidentibus. Sic morbus regius obstructionem vesicæ fellis ostendit, sic pruritus pudendorum cum gravitate in vesica, & mictione, nunc depravata, nunc abolita calculum vesicæ ostendit. Sic quia Venus effœmina nervos, ex immodica venere nervorum affectum possumus cognoscere. Sic etiam cantaridibus assumptis affectionem vesicæ, quia à proprietate habent vesicam lædere.

Vltimo cognoscitur pars affecta ex doloris proprietate. Nam dolor pungitivus indicat affectam membranam à substantia tenui, quæ tenues

porositates subintrat, undè flatus si non subingreditur tales porositates, sed membranam dilatat, producit dolorem tensivum. Dolor gravativus indicat affectum esse aliquod viscus. Sic calculus in renibus inducit dolorem gravativum, in vreteribus verò pungitivum. Dolor pulsativus monstrat arteriam affectam, sicut convellens tendones, & nervos affectos, contundens verò, & profundus periostium affectum, sicut lacerativus carnem: ergo ex differentia, vel proprietate doloris potest colligi locus affectus.

Hac methodo utuntur omnes practici, nec aliam invenit Galen. tutiorem pro morbo, & parte affecta cognoscendis. Sic pleuritis cum sit inflammatio membranæ succingentis costas innotescit, quo ad actiones læsas ex difficili respiratione; quo ad excreta ex sputo, quo ad qualitates mutatas, si in loco affecto sit calor, quo ad motum morbi ex acutie, quæ sunt signa capite antecedenti adducta. Quibus si addas communia, ut quod præcesserit tempestas Aquilonia, vel in loco affecto contusio, aut alia dispositio, quod præcesserint causæ generantes bilem, aut alium humorem acrem, magna indè emergit dignotio pleuritidis: Quibus si addas signa partis affectæ, quæ à situ doloris, & ejus proprietate sumuntur, quòd nimirùm sit pungitivus exactam habebis pleuritidis cognitionem; ut scilicèt dolor pungitivus in latere, febris acuta, difficilis respiratio, tusis, & pulsus durus, qui est inter signa, quæ sequuntur proprietatem partis affectæ sint sufficientia signa ad cognoscendam pleuram inflammatione vexatam.

Sic letargus cognoscetur ex eo quod præcesserint causæ externæ generantes pituitam, aut sanguinem pituitam, quòd ætas sit ad idem idonea, quòd cerebrum sit debile, quòd memoria sit imminuta, quòd adsit somnus non ita profundus, sicut est in caro, quod letargici interrogati respondeant, & quòd respiratio sit tarda, pulsus magnus, & undosus.

Hac signorum serie si utamur, omnes morborum ideas cognoscemus; nam nullus morbus generatur nisi præcedant causæ antecedentes ad illius generationem. Hæ autem sunt internæ, aut externæ, & dispositio patientis; & generatus necessario inducit accidentia, quorum alia sequuntur morbum, quæ possunt esse in actione læsa in excretis, & retentis, vel in qualitate mutata, alia verò sequuntur locum affectum, quarum causarum antecedentium, & consequentium alterutra deficiente breves lapsus, & faciles curatu solum oriuntur; sed omnibus concurrentibus fiunt morbi difficilis curationis. Notando demùm, quod nec omnium causarum, nec omnium symptomatum requiritur concursus, sed sufficit aliquorum collectio in plurimis.

SEC-

SECTIO X.

DE PARTE PRIMO AFFECTA.

ESt etiam opus notione partis primò affectæ, & affectæ per consensum pro morbi integra cognitione. Talis verò est in nostro corpore armonia, ut una pars affecta alias quam plurimas in consensum trahat, ut meritò confluxus unus, conspiratio una, & consentientia omnia, ideò de hac re hic disputandum. Suponendo.

Primò, quod pars affecta in nostro corpore, aut est primo affecta, & independenter ab alia, & talis dicitur affecta per essentiam, & talis affectio dicitur Protopathia; aut patitur per consensum, & dicitur sympathia. V. g. si ob intemperiem ventriculi lædatur coctio, & ex substantia in ventriculo corrupta repleatur caput vaporibus, tunc dicitur caput pati per consensum, & ventriculus affectus per essentiam.

Secundo suppono, quod pars patiens per consensum sæpè ob diuturnitatem patiendi, ita afficitur, ut etsi pars primo affecta curetur, tamèn remaneat morbus in parte secundo affecta, & illa affectio dicitur Idiopathia. V. g. si ex destilatione ex cerebro diuturna patiatur ventriculus, & distemperetur habitualitèr; tunc, & si destilatio cessaret maneret ventriculus intemperie tentatus, ita ut, & si non sit primo affectus, tamèn morbus est in illo essentialis, & indè talia damna emergunt, qualia si esset primo loco affectus.

Tertiò suppono, quòd triplicitèr una pars potest pati consensu alteriùs, nempè aût ob consensum generis, aut vicinitatis, aut operis familiaritatis. Dicitur, quod aliqua pars patitur ob consensum, ob operis familiaritarem, cum ambæ sunt eidem operi dicatæ. Sic mammæ, & uterus facillimè sibi mutuo consentiunt, quia eidem operi, scilicèt prolis nutritioni deserviunt. Ob vicinitatem autem dicitur consentire, quando una pars affecta vicinis suam labem communicat, sic cor consentit ventriculo, aut hepati, ob vicinitatem. Consensus verò generis est, dùm unum membrum alteri communicat noxam media aliqua parte utrique membro communi. Sic corpus arterias toti corpori consentit, cerebrum per nervos, & hepar per venas, aut suum damnum communicando, aut à toto recipiendo. In qua re est opus summè cognitione anathomiæ, ut sciamus exortum, & insertionem venarum, arteriarum, & nervorum. Vt indè si adsit dolor in una parte, vel sensus, & motus abolitio, sciamus parti primo affectæ localia admovere, ne in empyricorum errores impingamus, ut accidit Galeno, cui occur-

rit quidam privatus ſenſu digitorum manus, qui ab ipſis empyricis curabatur auxilio admoto digitis, verùm cum nullum levamen ſentiret, idem remedium Galen. conſilio admotum cervici, citò ſanavit illum.

Quartò ſuppono, quòd quilibet conſenſus poteſt eſſe, aut poſitivus ratione cauſæ, & eſt, quando communicatur aliquid, quod non debet communicari, aut privativus, quando deficit quod communicari deberet. Horum quilibet eſt triplex, aut ratione qualitatis, aut ratione ſubſtantiæ, aut ob utrumque, quod patebit exemplis. Conſentiunt ergo partes privativè, vel ob defectum qualitatis, ut quando una pars non movetur ob defectum qualitatis illuſtrativæ ex cerebro. Vel ob defectum ſubſtantiæ, ut dùm oculi non vident ob defectum ſpirituum animalium. Vel ob utrumque, ut dùm obſtructis nervis opticis deficiunt ſpiritus, & irradiatio. Conſentiunt ſimiliter poſitive, vel ob additionem qualitatis, ut in melancholia hypocondriaca, vel ob additionem ſubſtantiæ, ut in appoplexia, vel ob additionem ſubſtantiæ, & qualitatis ut in epylepſia, quæ accidit à vaporibus, quantitate, & qualitate irritantibus ad convulſionem excitandam. Quibus adunt aliqui affectus purè ſympathicos ſine extranei communicatione, aut ſine denegatione neceſſarij.

His modis conſentiendi ſuppoſitis, non eſt extra rationem oſtendere facultates naturales etiam pati per conſenſum, quod à plurimis negatur. Nam in attrophia nutritio non fit ob defectum ſubſtantiæ; quæ deberet communicari. Secundò in plenitudine ad vires naturales, non fit nutritio ob ſubſtantiam additam. Tertiò in vitiligine fit prava nutritio ob pravam qualitatem alimenti. Sicut ſæpè deficit coctio ob defectum caloris, qui deberet communicari: ergo facultates naturales etiam poſſunt pati per conſenſum. His poſitis.

Primum ſignum pro cognoſcenda parte affecta eſt videre, quæ pars primo loco ſit læſa, quod ex antecedenter dictis facile innoteſcit, qua cognita, in illa collocabimus protopathiam, ſicut in reliquis partibus poſtea patientibus collocabimus ſympathiam.

Secundum ſignum eſt à proprietatibus partis affectæ. Sic, ſi diſcurramus de ſalſa pituita in Thorace collecta, dicemus Thoracem pati per conſenſum capitis, quia eſt proprium capitis deſtillationem ſalſam movere in pectus. Rurſus ſupponamus, quòd ex deſtillatione à cerebro excitetur moleſtia tuſsis, à qua jecur accendatur, & accenſum generet bilem, undè excitetur diarrhœa billioſa. Ecce caſus, in quo, etſi jecur non ſit primo affectum, collocatur in ipſa protopathia; quia eſt proprium jecoris generare bilem, & illam per album excernere. Vnde proprietas partis affectæ nos ducit in cognitionem protopathiæ, ut indè ſympathias dignoſcamus.

Tertium ſignum eſt reducere omnes affectus ad aliquod principium

in

in facto esse; quia omnes affectus sympathici sunt in fieri. Et sic debent reduci ad aliquod ens in facto esse, quod si omnium origo, de qua methodo supradiximus. Sic in casu nuper posito de diarrhœa biliosa, facilè hac reductione patet jecur esse per essentiam morbum. Sed quia posset accidere, quòd hepatis affectio penderet à vitio externo, cognoscemus hoc ex eo, quod si subito in talem inciderit affectum pendebit à vitio externo. Si verò per diuturnas dispositiones talis affectio supervenerit, in hepate erit protopathia. Juvat ad has dispositiones calor; nam calidæ partes faciliùs admittunt tales labes, sicut, & habitus corporis, & contextura mollis.

Quartum signum desumitur à juvantibus, & nocentibus; nam si alicui parti remedĳs applicatis, nullum levamen in altera superveniat, non erit protopathia in ea, cui remedia adhibentur. Si verò ambæ levamen sentiant, erit protopathia in ea, cui auxilia adhibentur. Rursus, quod ad augmẽtum, aut diminutionem morbi in parte primo affecta eadem mutatio in consentiente conspicitur, & in illa meritò collocatur idiopathia, in qua priùs accidentia exacerbantur, imò & accidentia deberent esse majora in parte, quæ per se patitur, quam in ea quæ per consensum, si reliqua essent paria.

Quintum sumitur ex duratione; nam in parte primo affecta stabiliora sunt symptomata, & magis continua, sicut in consentiente solent cum intermissione affligere. Sic Phrenitis; quia cerebrum patitur per essentiam, adducit secum delirium continuum: At in Paraphrenitide; quia cerebrum patitur per consensum, delirium est per intervalla: Imò & in inflammatione septi, quæ adducit delirium continuum, ut communitèr creditur, adest distinctio à phrenitide; nam in phrenitide adest delirium ab eo tempore, quo inflammatio adest, ita ut inflammatio non procedat tempore delirium; at inflammatio septi transversi antecedit aliquo tempore delirium; siquidem ob partis distantiam tempus requiritur, ut cerebrum compatiatur. Vbi nota, quòd ob diuturnitatem patiendi omnis sympathia, facile transit in idiopathiam, sicut, & actus per repetitionem transit in habitum; & quod est per modum dispositionis, transit in habitum, saltim secundum modum.

Vltimum signum sumitur à differentĳs consensus: Nam si aliqua pars diutiùs laboret, facilè vicinis suum morbum imprimit; & his, cum quibus operis familiaritate est conformis; sicut & his, cum quibus habet vasorum communitates. Sic cerebri ictu succedit vomitus: & nauseabundo ventriculo dolor capitis: Tùm ob sextum par nervorum: Tùm, quia ob situm cerebrum facilè ascendentes vapores suscipit, in quo casu observatur consensus generis. Similitèr, si à bile porracea os ventriculi infestetur, facilè supervenit animi deliquium ob consensum vicinitatis. Similiter, & consensus operis familiari-

tatis

tatis inter mammas, & uterum. Ex quibus omnibus capere valemus morbi ideam, & essentiam, ut in cognitionem indicati debeuiamus; quia, cum sit contraria, sunt sub eodem genere, & in eadem linea.

Demùm nota aliqua dictorum egere certis limitationibus: nam licet in sympathia privativa semper, & aliquandò in positiva crescat, & imminuatur affectus symphaticus ad pensum, quo crescit, & imminuitur idiophaticus, aut protopathicus, ut exemplificavimus in dolore capitis ob consensum ventriculi. Tamèn sæpè in positiva crescit affectus symphaticus, & imminuitur essentialis; quia tunc prima pars affecta se exonerat in secundam. Sic ait Hipp. 2. epid. *Quòd dolente capite descendit in pectus, deindè in coxam, impossibile verò est, ut omnia simùl doleant.* Ecce quòd per consensum capitis patitur Thorax, & deindè coxa. Tamen hac patiente, levatur Thorax; & hoc patiente, levatur caput primò affectum; quia fit consensus, se exonerante cerebro in dictas partes; & eodem modo artriticus quidam levabatur in epidem. superveniente dissenteria, & hac suppressa, ilicò accedebat artritis. Cui historiæ consonus 2. coacarum dixit: *A dissenteria intempestivè suppressa abscessus fiunt, si biliosa in articulis, &c.* Qui consensus; quia eveniunt, exonerante se parte primò affecta in secundam, levatur prima pars, & secundæ morbus augetur.

Aliquandò etiàm duæ partes simùl patiuntur, & earum affectus exacerbantur, quin una alteri consentiat; ut eveniebat filiæ Agasis, (6. epidem.) cui Ortophnea, & dolor coxæ simùl increscebant. Tùm verò, si una pars non trahit aliam in consensum, ut patet in supradicto casu de dolore capitis ob consensum ventriculi, etsi consensus inter illas deficiat; credendum est ambas partes recipere, vel à toto, vel ab aliquo membro utrisque partibus communi. Et in hoc sensu credit Vallesius Ortophneam, & dolorem coxæ exacerbari in filia Agasis; quia Thorax, & coxa recipiebant, vel à toto, vel à cerebro.

SECTIO XI.

DE INDICATIONE A CAUSA.

Indicatio à causa est posterior in intentione, quam ea, quæ sumitur à morbo, prior verò in executione. Priùs enim unamquamque causam abscindere oportet; de inde verò ad discrasiam accedere. Abscinditur verò suo contrario, quod à causa indicatur. Cum verò hæc indicatio supponat causæ cognitionem, de hac breviter agendum est. Supponendo primò, quod causæ morborum, aut sunt in continentibus, in contentis,

vel

vel in impetum facientibus. Si ſint in continentibus, eorum vitia attinent ad morbos, de quibus jam eſt dictum; ſi eſt in contentis, eſt in humoribus, aut ex illis generantur. Si verò eſt in impetum facientibus, eſt in ſpiritibus.

Secundò ſuppono, quòd humores naturales ſunt quatuor, ſanguis, bilis, pituita, & melancholia. Bilis naturalis eſt triplex, præternaturalis verò quintuplex pituita naturalis, & præternaturalis, ſicut, & melancholia ſuas habent ſubdiviſiones, quas ex tractatu de humoribus notas ſuppono.

Tertiò ſuppono, quòd ſigna peccantis humoris ſumuntur, vel à conſequentibus, vel ab antecedentibus. Conſequentia ſigna, aut ſunt convertibilia, aut communia. Convertibilia faciunt demonſtrationem: Communia verò non, niſi in ſyndromem collecta. Rurſus antecedentia conducunt ad eandem cognitionem, ſi plura ex externis conducant ad internæ cauſæ generationem cum diſpoſitione patientis. Dixi, ſi plura coeant, & cum diſpoſitione patientis, quia res non naturales, (aut ſi latiùs loqui velis, quæ aſſumuntur, quæ fiunt animo, & corpore, quæ excernuntur, & retinentur, & quæ foris adhibentur) non ſunt humorum cauſæ; quia, ſi eſſent cauſæ, vel eſſent proximæ, vel remotæ: non proximæ, quia poſitis rebus non naturalibus, non ponuntur neceſſariò humores: ergo non ſunt cauſæ proximæ. Deindè neque remotæ; quia effectus non ponitur ſine cauſa remota, & humores ſæpè ponuntur ſine his rebus non naturalibus, ſeu externis: ergo neque ſunt cauſæ remotæ. Deindè neque ſigna peccantium humorum; quia ſignum eſt poſteriùs reſignificata; ſed res non naturales ſunt priores humoribus: ergo non poſſunt eſſe ſigna. Dicunturquè ideò à Galen. primò ſolum occaſiones. Tamèn, quia plura in ſyndromem collecta cum paſsi diſpoſitione nos reddunt certiores de humorum cognitione, ideò meritò vocantur ſigna peccantis humoris; de quorum dignotione hic aguimus, quia inter cauſas indicationem præbentes ſunt præſertim attendendæ.

Signa ergo convertibilia humoris peccantis ſumuntur à ſaporibus, & coloribus. Nec obſtat, quòd natura, & quidditas non valet cognoſci ex coloribus, & ſaporibus. Nam reſpondeo, quòd hic non quærimus, quid ſit humor, ſed quis ſit humor. Inſunt ergo cuique humori proprij ſapores. Sic pituita aquoſa ſimilaris, vel diſsimilaris eſt dulcis, inſipida. Sanguis eſt manifeſtæ dulcedinis. Bilis eſt amara. Salſedo convenit ſoli pituitæ ſalſæ. Acetoſus ſapor convenit pituitæ, & melancholiæ. Sicut ponticus melancholiæ aduſtæ, & pituitæ vitreæ. Vndè valent conſequentiæ. Eſt manifeſta dulcedo: ergo à ſanguine. Eſt ſapor inſipidus: ergo à pituita aquoſa ſimilari, vel diſsimilari. Eſt amarus: ergo à bile, & ſic de alijs. Quando verò duobus humoribus, idem ſapor convenit, aut convenit uni per ſe, & alteri per accidens,

dens, ut si dulcedo convenit per se sanguini, conveniet per accidens bili rubræ, quia unica proprietas ab una solum valet oriri natura. Aut in utroque humore adest eadem causa utriusque saporis. Sic ponticus sapor invenitur in pituita vitrea, & melancholia adusta, quæ fit ex fece sanguinis, vel in atra bile, quæ fit adusta bile flava, at in omnibus fit ab intensa siccitate, quæ æquè in tribus reperitur.

Cum veró non semper ex saporibus posit colligi redundans humor; tunc aliud signum ex coloribus addetur. Nam pituita est alba, sanguis ruber, bilis est palida, flava, vitellina, porracea, eruginosa. Melancholia est nigra turbida, sicut atra bilis nigra splendida. Vndè valet illatio, est color niger splendidus: ergo bilis atra ustione bilis flavæ genita. Est color niger turbidus cum sapore pontico: ergo est fex sanguinis non adusta. Similitèr sapor amarus omnibus speciebus bilis convenit, eas tamèn distinguit color cuique proprius. Similiter sapor accidus convenit pituitæ, & melancholiæ, eas autem distinguit albedo, & nigredo. Aliquando tamen color confundit, quod sapor distinguit, ut nuper diximus de fece sanguinis usta, & non usta. Ecce quomodò ex coloribus, & saporibus sumuntur signa pro cognitione humoris peccantis.

Quia tamen hæc signa humores reconditos nequeunt demonstrare, opus est confugere ad signa communia in syndromem collecta. Hæc autem somuntur ex antecedentibus, & subsequentibus. Hoc pactò, si de bile loquamur, cognoscetur ejus copia, si præcesserint cibi, & potus calidi, inedia, dulcia in fine mensæ assumpta, usus medicamentorum calidorum, consuetæ evacuationes bilis suppresio, corpus biliosum, esse ortum à parentibus biliosis, sexus virilis, ætas juvenilis, regio calida, & sicca, æstas, vita laboriosa, nimius coitus, animi pathemata. Similitèr ex conseqnentibus, si ingenium sit acre, & expeditum, promptitudo ad iram, vigilia, insomnia rixarum, & incendiorum, sensus accuti, motus celeres, pulsus magnus, in appetentia, frigidorum bonus amplexus, sitis, ad venerem proclivitas, excrementa omnia sint flava, corpus sit calidum ad tactum, color pallidus, venæ latæ, habitus macilentus, & alia à Galeno secundo de temperies proposita; quæ omnia bilem naturalem ostendunt, & eadem methodo possumus aliorum humorum prædominium inquirere, distinguendo tamen semper id, quod operatur per se ab eo, quod operetur per accidens. Notando insupèr, quòd licet dicta, dùm non multum recedunt, ostendant copiam billis naturalis; tamèn si recessus signorum, & causarum sit major, ostendent bilem præternaturalem, & eo praviorem, quo recessus in causis, & signis fuerit major.

Tandem bilis prædominium cognoscitur ex morbis, quos generat; undè octo emergunt conditiones, & fontes signorum. Primus est ab in-

temperie calida, & ſicca. Secundus à febris prava conditione. Tertius à typis tertianarijs. Quartus ab acucie morbi. Quintus ab horis meridianis, quibus ſolet affligere. Sextus ab ićteritia. Septimus ab herpete. Vltimus à locis affectis. Nam, ſi membrana aliqua tentetur inflammatione, valet: ergo à bile; quia denſitatem membranæ ſola bilis valet penetrare. Ideò dixit Hippoc. qui accidum eructant, pleuritici non fiunt; nam, qui accidum eructant habent copiam pituitæ, & melancholiæ, quæ nequeunt pervadere membranæ denſitatem. Poſito exemplo in bile, eadem methodo ratiocinari poteris de alijs humoribus naturalibus. Pariterque de ſero, & flatibus. Nam ſi præceſſerint alimenta aquoſa, ſuppreſsio urinæ, vel ſudoris, ſi ventriculus ſit frigidus, ſi æger ſit melancholicus, habeatque lienem, & renes obſtructos, ſi vena ſciſſa exeat ſanguis valdè ſeroſus, laboret hidrope, aut multum ſudet, dicemus eſſe copiam ſeri. Si verò præceſſerint cibi flatulenti, æger ſit lienoſus, adſit dolor mobilis, tenſibus ſine gravitate; tinnitus aurium, ructus, & crepitus, rugitus ventris, cordis palpitatio, & ſimilia, tunc dicemus eſſe copiam flatus.

Cognita ſpecie humoris peccantis, venit noſcenda quantitas prometienda auxilij quantitate. Hæc cognoſcetur primò ex dictis cauſis, nam ſicut dictæ cum diſpoſitione patientis nos ducunt in cognitionem humoris peccantis, & eædem oſtendunt etiam ſpecies præternaturalis humoris, dùm activiores, & intenſiores fuerint, ſimiliter, & illæ cauſæ externæ, dùm plures fuerint, oſtendent quantitatem humoris peccantis præſertim ſi morbi ſint graviores, acceſſiones longiores, vigilia, & reliqua ſymptomata conſequentia in idem conſpirent; nam omnia ſunt graviora, cum in majore quanto detur major virtus. Secundò colligitur à gravitate: Dùm enim humor aliquis quantitate peccat, inducit ſenſum gravitatis, ac ſi eſſet pondus externum, dummodò ex eo natura nullum percipiat fructum. Si ergo ex antea dictis quantitatem humoris cognoverimus, dicemus eo eſſe majorem quantitatem, quo majorem gravitatis ſenſum inducat. Valetque conſequentia: eſt gravitas in corpore: ergo ab humore gravante. Eſt magna gravitas: ergo à magna quantitate. Non tamen valet è contra: eſt magna quantitas: ergo magna gravitas. Quia toto tempore, quo natura ex quantitate aliquod ſuſcepit emolumentum, non gravatur; ideò nec fæces, nec urina ſemper gravant.

Tertiò, colligitur quantitas ex tenſione, quia tamen tenſio poteſt pendere à flatu, & ſiccitate, dico; quòd ſi pendet à flatu eſt abſque gravitate. Si eſt abſque gravitate, & flatibus, pendet à ſiccitate. Ea verò, quæ pendet ab humoribus, eſt cum ſenſu gravitatis: ergo tenſio cum gravitate oſtendit humoris quantitatem, & majorem, quo ſit major.

Quartò, colligitur humoris quanti-

titas ex duritie, quæ, quo eſt major, oſtendit majorem quantitatem. Notando, quod durities pendet, aut à ſiccitate, ut in ſchirro, aut à concretione, ut in glacie; aut ab humorum multitudine, quam cauſam ab alijs facilè ſecernes.

Quintò colligitur ex vaſorum ruptione. Nam ſi vaſa abſque cauſa procatartica rumpantur, facilè cognoſcemus id oriri ab humorum multitudine. Demùm humorum frigidorum quantitas, (ut hoc non omittamus) cognoſcitur ex rigore non recaleſcente. Si enim magna quantitate abundent, valet magis eorum frigiditas in refrigerando, quam putredinis caliditas in calefaciendo, ut accidit Epicratis uxori.

Non ſolùm ſpecies humoris, & quantitas, ſed & motus præternaturalis eſt cognoſcendus. Moventur ergo humores, non à ſe, alias ſemper moverentur ad crura; ergo ab alio: Hoc aliud, aut eſt pars mittens, aut recipiens. Hæc verò attrahit, aut calore, aut dolore, aut fuga vacui. Mittens verò ſive mandans pellit humores, (ſuppoſita in omnibus debilitate ſive nativa, ſive adſcititia partis recipientis) irritàta à vitio in quantitate, qualitate, aut utraque; aut quia à frigore exprimuntur humores, aut quia à calore liquantur. Rurſus facultas expultrix, aut eſt læſa per ſe, aut ob conſenſum retentricis; quia, ſi hæc ſit nimis imbecilla, altera ſtatim pellit, quæ enim illa non retinet, ſtatim fiunt objectum facultatis expultricis. Pelluntur verò, ſi ex parte viarum, aut humorum non adſit impedimentum, quia ſcilicèt viæ ſint anguſtæ, aut humor non ſit fluxilis. Has omnes fluxionis cauſas memoria tenere oportet, nam illis ignoratis remedium inveniri nequit. Patet, nam, ſi quis vellit aſtringentibus tractare partem mittentem, nihil faceret, ſi origo fluxionis eſſet in parte recipiente. Rurſus ſi pars mandans mitteret irritata à quantitate humorum, aut his expreſsis à frigore, vel calore liquatis omnia remedia parti mittendi applicata illi nocerent, quia ſana eſt, & non expedit partem ſanam medicinis tractare. Tùm quia, ſi irritata à quantitate pellit, robuſtior ex fluxione redditur, quia exoneratur à præmente Sarcina.

Sicut humores peccare poſſunt in motu, ita, & inquiete, dùm non moventur, aut minùs, quam pro natura. Et, quia contrariorum contrariæ ſunt cauſæ, hinc, ſcitis cauſis depravati motus humorum, veniemus in cognitionem cauſarum quietis, quæ poſſunt eſſe, aut ex parte facultatum naturalium retentricis, aut expultricis, quatenùs hujus actio eſt abolita, aut diminuta, vel illius depravata; aut ex parte humòrum, quatenùs craſsitie, viſciditate, aut lentere reſiſtunt impulſui moventis; aut ex parte viarum, quatenùs hæ ſunt anguſtæ per aliquam ex differentijs morborum in anguſtia, quas proponit Gal. lib. de differentijs morborum. Vel quia deficit robur in parte mandante, ſicut debilitas in recipiente.

His vitijs humorum addere licet,

quæ accidunt in qualitatibus primis in ſecundis, in amiſsione propriæ formæ, in commixtione indebita cum alijs, à quibus deberet ſeparari. Aut in ſeparatione ab his, cum quibus deberet commiſceri. Et in ſumma, in quibus ſecundum naturam habentibus conſiſtit cauſa ſanitatis, in eiſdem à juſto modo recedentibus conſiſtit cauſa morbi, ut meritò dixerit Hippoc. dolet autem, cum horum aliquid minùs, aut ampliùs evaſerit, aut ſeparatum in corpore ſit, nec contemperatum omnibus.

Et hæc ſunt vitia cauſarum morbificarum, ex quorum cognitione deducitur indicatorum auxiliorum inventio per regulas ſuprapoſitas. Omitto vitia ſpirituum, quia eorum alteratio facit ſimilia ſigna cum febre diaria, licèt hæc admittat multiplicitatem penes ſpirituum immutationem.

SECTIO XII.

DE INDICATIONE A SYMPTOMATE.

QVia ſymptoma aufertur per ablationem morbi, à quo pendet tanquam umbra à corpore, ideò vix illi remedia admoventur, niſi urgentiæ caſu. An tamen indicet rigorose, eſt hic diſputandum. Sanctorius negativæ parti adhæret nixus fundamentis primo, quia Gal. ſecundo methodi, cap. 4. ait indicationem præſidij non deſumi à ſymptomatibus, ſed ſolùm ab ipſa ſubſtantia, intelligens per ſubſtantiam morbum, à quo enaſcuntur ſymptomata; & tertio methodi dixit, quod indicans ſit illud, quod curatur, ſymptoma verò, cum non curetur, ſed morbi ablatione auferatur, nullo modo indicari.

Probat deindè, quia omne, quod indicat, ſuum poſitivum contrarium indicat; ſed quod eſt in fieri, eſt quid privativum: ergo nequit indicare quid poſitivum. Cum enim ſymptoma ſit in fieri, eſt influxu, habetquè neceſſariò unam pattem poſt aliam: ergo ammitit unam, & adquirit aliam, & conſequenter conſiſtit in privativo. Quod autem conſiſtit in privativo, nequit indicare quid poſitivum; quia indicans, & indicatum ſunt contraria, & ſub eodem genere continentur, ſub quo non ſunt poſitivum, & privativum.

Probat ſecundò, quia una res non poteſt duo inſinuare, ſed ſymptoma indicat morbum à quo procedit: ergo non poteſt indicare remedium ſibi contrarium. Tertiò, quia ſumere indicationem à ſymptomate, eſt ſumere non cauſam pro cauſa, veluti ſi quis occurreret fluxui alvi billioſo debens occurrere bili, que fluxum excitat.

Quartò, quia, qui curat ſympto-

ma, vel respicit illud, ut finem, ad quod dirigit curationem, vel ut effectum superabilem, sed neutro modo potest respici: ergo non est curabile. Probatur minor, quia in curatione ante morbum solum tria ocurrunt curanda, nempè urgens, causa principalis, & impedimentum; sed nullo modo ex his potest respici symptoma: ergo symptoma non potest habere rationem finis. Deinde neque effectus superabilis, quia si non auferatur morbus, nec symptoma potest tolli: quod infieri dependet à morbo, sicut umbra à corpore, & sicut sub Cœlo nulla est potentia, quæ possit destruere umbram manente corpore, ita nec symptoma manente morbo.

Quintò, quia si aliquod remedium ageret in symptoma, sic symptoma deberet agere in remedium; sed symptoma non potest agere in remedium: ergo neque remedium in symptoma. Major est Aristotelis dicentis, quod contraria operantur ad invicem. Minor probatur, quia agens debet esse in facto esse, symptoma verò est in fieri. Hinc præcipua ratio colligitur pro hac sententia, quæ est: Indicans est agens in corpore permanens: ergo debet esse in facto esse, sed symptoma non est in facto esse, sed in fieri: ergo non potest esse indicans. Hæc Sanctorius.

Contrariam sententiam teneo cum Sennerto, & Vallesio. Primò, quia multa sunt symptomata, quæ timentur magis, quam morbi, à quibus dependent: ergo per se indicant; quis enim timet fluxum sanguinis per nares ob morbum, quem sequitur, nisi ob virium ruinam, quam minatur? Quis veretur uteri astrictionem, nisi ob impotentiam partus? Dolor, vigilia, fastidium cibi, & animi deliquium, potiùs ex se, quam ob morbum formidantur. Nam deliquium animi nisi subveniatur, transit in syncopem, & syncops in mortem: ergo, cum hæc citiùs dejiciant vires, quam ut cum morbo tolli possit, per se petunt curari: est enim horum symptomatum duplex curatio, altera per se, altera cum morbo, veluti, cum ob levitatem intestinorum utimur exasperantibus ut sunt acerva, occurrimus morbo, cum adstringentibus, & glutinantibus symptomati. Si enim vomenti ventriculo cucurbitulam affligimus retinendi gratia, occurrimus symptomati, neglecta causa, nam cucurbitula non curat affectum ventriculi. Aliquandò etiam in suppressione urinæ ob carunculam procuramus quacumque arte urinæ expulsionem per cateterem, aut aliàs, etiam si morbus exasperetur, eo solùm, quia si urinæ suppressio ad septimum prorogetur, minatur vitæ periculum. Aliquandò etiam symptomatis medela est per se necessaria, ut curetur morbus, ut si dolor excitetur, qui in partem dolentem fluxionem moveat, nullo modo sedabitur meliùs fluxio, quam sedato dolore, qui eam excitavit: ergo symptoma per se indicat curativè.

Respondetur his omnibus communiter. Quòd symptoma per se, & ut tale non indicat, nisi quatenùs

habet vicem causæ, aut alium morbum inducendi, aut vires debilitandi, & quòd tale remedium, non est curatorium, sed præservatorium, siquidèm ob morbum, quem minatur, aut ob virium lapsum, qui timetur, solùm applicatur.

Certe neque hæc negavit Vallesius, sed inde infert: ergo symptoma petit remedium diversum ab eo, quod exigit causa, & morbus. Patet, nam cucurbitula vomenti ventriculo affixa, nec morbo, nec causæ morbi, & intemperiei opponitur: ergo quia vomitus petit remedium, quod non est indicatum, nec à morbo, nec à causa morbi ventriculi. Confirmatur in dolore, cui adhibentur anodina. Nam anodinum non opponitur humori solventi continuum, aut intemperanti: ergo solùm adhibetur ratione doloris. Rursus, quia auxilium anodinum solùm temperat dolorem inducendo sensationem voluptuosam: ergo solùm adhibetur ratione doloris. Probatur consequentia, quia sensatio voluptuosa immediatè opponitur sensationi tristi; sed tristis sensatio est dolor: ergo sensatio voluptuosa solùm opponitur immediatè dolori, ut dolor est symptoma: ergo dolori, ut est symptoma, opponitur auxilium anodinum: ergo, & ut symptoma, indicat.

Roboratur: Indicans, & indicatum sunt contraria: ergo anodinum quatenùs inducit sensationem voluptuosam contrariatur dolori; sed non dolori, quatenùs habet vicem causæ: ergo, &c. Probatur minor, quia sensatio voluptuosa, ut talis solùm contrariatur sensationi tristi, ut est tristis; sed sub hac formalitate, ut tristis, est dolor: ergo contrariatur dolori, ut est dolor; sed, ut dolor, est symptoma: ergo contrariatur dolori, ut est symptoma: ergo dolori, ut symptoma, adhibetur auxilium: ergo, & ut symptoma indicat. Rursus indicatum, & indicans sunt contraria: ergo debent esse ejusdem de eodem: ergo anodinum, quod adhibetur dolori, ob dolorem adhibetur per se, & non ratione morbi, aut virium lapsus imminentium. Probatur consequentia: *Nam virtum lapsus, & morbus imminens non sunt actuales*: ergo anodinum actuale nullam habet cum illis contrarietatem: ergo solùm ratione doloris, & non ratione illorum adhibetur anodinum.

Dices, quòd habitus athletarum est periculosus, & statim evacuatur, ne incidat in deteriùs, & sic benè posse remedia adhiberi actualia ob morbum imminentem, & ideam posse dici de dolore. Sed ex supradictis patet athletas evacuari ob dispositiones præsentes, ut de conditionibus indicantium diximus. Præterea, quia, si anodium adhiberetur in dolore ratione morbi, aut lapsus imminentis, sequeretur, quod in virium lapsu præsenti, aut morbo actuali eorum ratione deberet idem auxilium admoveri; sed hoc est falsum: ergo, & illud, ex quo sequitur. Major constat, quia eisdem præcavemus, quibus curamus. Dices, quòd anodinum admovetur in dolore, ne vires prosterter-

ternat, & consequentèr adhibetur in dolore, non ut est symptoma, sed ut habet vicem causæ, & ita in virium lapsu præsenti poterit admoveri idem remedium ratione doloris, quatenùs à dolore pendet virium lapsus. Modo sic: ergo, sicut in morbo imminente mittimus sanguinem ratione actualis plenitudinis, ita, & in imminente virium lapsu ratione actualis doloris: ergo, sicut semper fit venæ sectio ratione plenitudinis, ita admovetur anodinum ratione doloris. Nec obest dependentia symptomatis à morbo, sicut nec morbi a causa; nam dependentia morbi à causa non tollit, quòd morbus indicet: ergo nec dependentia symptomatis à morbo tollit, quòd symptomata indicent.

Deinde, quia sicut morbus lædit actiones, ita ab uno symptomate pendet aliud; sed morbo quatenùs est res præternaturam, debetur auxilium, & non quatenùs respicit symptomata: ergo, & symptomati, quatenùs est res præternaturam, debebitur auxilium: Dices esse disparitatem, nam morbus per se, ut talis, habet producere symptomata; at symptomati accidentaliter convenit producere alia symptomata. Vndè solùm cum increscit, ut immineat vitæ periculum, indicat, quod non habet, ut symptomata; nam ut tale, semper habet insequi morbum, & consequentèr solùm indicat, ut causa. Quæ omnia longè absunt à morbo, qui, quatenùs talis, habet lædere actiones, quatenùs lædit, est morbus, & sic, quatenùs morbus, indicat. Sed contra est, quia morbus non solùm habet lædere actiones, sed aliquas lædere accidentaliter. (hæ sunt signa supervenientia, illæ verò patognomonica) Sed multoties variatur remedium ob accidentia supervenientia, ita ut ob hæc sit multo diversum, quam ob patognomonica, ut constat in pleuritide ascendente, vel descendente: ergo remedia adhibentur morbis non lùm ob eas actiones, quas essentialitèr lædit, sed etiam ob eas, quas accidentaliter. Sed licet indicentur remedia hoc pacto, debentur morbo, & non extrahitur hæc indicatio à natura indicationis curativæ debitæ morbo: ergo licet symptomati adhibeantur auxilia, eo quòd potest alia symptomata inducere accidentalitèr, erunt indicata illa remedia à symptomate, nec ideò extrahentur ab indicatione symptomatis.

Nec obest dicere remedium indicatum à symptomate esse præservatorium, nam hoc nihil interest, dato casu, quòd adhibeatur remedium ratione alteriùs morbi imminentis; nam etiam remedium indicatum à causa est præservatorium, & hoc non obstanti verè indicat. Præterquam, quòd Vallesius convenit cum alijs dicens solùm adhiberi symptomati curationem, dùm imminet virium lapsus, vel alius novus morbus; nam symptomati non admovetur auxilium, quatenùs sequitur causam, sed quatenùs utrumque est res præternaturam. Demùm, vel symptoma habet esse permanens, vel non. Si habet: ergo potest indicare. Si non habet: ergo

go neque, ut causa, potest indicare.

Ad authoritates facilè respondetur. Nam Gal. de communi, & regulari curatione loquitur, in qua priùs attenditur causa, quam morbo, & morbo priùs, quam symptomati. Cessat enim symptoma, ablato morbo, & morbus ablata causa. Tanti enim fecit ablationem causæ, ut lib. ad Trajanum non meminerit indicationis à morbo, hoc tamèn non tollit, quòd aliquandò medeamur morbo, posthabita causa, & symptomati, posthabito morbo.

Ad primum respondeo indicans, & indicatum debere esse contraria, nego tamèn symptoma consistere in privativo. Et licet consistat in fieri, non consistit in fluxu, quæ diversa sunt. In fluxu consistunt, quæ essentialitèr sunt entia succesſiva, & habent unam partem post aliam, ut motus locaiis. Entia verò in fieri dicuntur, quæ dependent à causa continenti, quia ita fiunt ut ablata causa auferantur, & posita ponantur, ut lux à Sole, & obstructio à causa obstruente, quæ quidem ob talem dependentiam à causa dicuntur entia fieri, verùm quia habent omnes partes simùl dicuntur permanentia. Nec est idem dividi ens in succesſivum, & permanens, ac in ens in fieri, & ens in facto esse. Permanens enim opponitur succesſivo, non verò enti in fieri, nam & hoc potest habere omnes partes simùl. Cum verò symptoma habeat omnes partes simùl, erit permanens, & sic quid positivum, & poterit indicare.

Ad secundum dico: Si per ly insinuare intelligitur indicare, quòd symptoma insinuat suum contrarium, non verò morbum; in alio verò sensu nihil interest, quod plura insinuet, nam, & morbus insinuat suum contrarium, & causam, à qua pendet. Ad tertium patet in alvi fluxu diversas esse indicationes à causa, & à morbo, & symptomate. Nam causa petit revulsionem. Morbus intemperiei, & solutionis emendationem. Fluxus verò astrictionem, quibus indicationibus varie occurritur pro urgentiæ gradibus.

Ad quartum dico, quòd symptoma potest respici, ut finis, & ut effectus supperabilis. Si ut finis, reponitur inter urgentia. Si verò, ut effectus, supperabilis est manente morbo, dummodò non sit essentiale, imò, & hoc pacto, adhùc est remissibile; nam & umbra tollitur, manente corpore, cum ex adverso obijcitur lumen. Ad quintum dico, quòd contraria operantur ad invicem eo modo, quo possunt, patet verò, quòd licet anodinum demulceat tristem sensationem, cui contrariatur, non tamèn potest tristis sensatio operari in anodinum, quia est incapax sensationis.

Ad ultimum dico, aliud esse dividi rem in succesſivam, & permanentem, & aliud dividi in unam, quæ est in fieri, & aliam, quæ est in facto esse; nam plura sunt in fieri, quæ sunt permanentia, ut nuper dixi de luce, & obstructione. Vndè symptomata, cum sint entia permanentia, posunt indicare, cum hac diversitate, quòd symptomata patognomonica, cum sint à mor-

morbo inseparabilia, plurima præbent indicationem inutilem, alia verò utilem, quia datur materia pro ipsis demulcendis

Dices, dolori nullum est contrarium: ergo dolor non indicat. Responderi solet dolori contrariari narcotica, & anodina. Sed replicabis, quòd uni est unum contrarium: ergo dolor non potest indicare narcotica, & anodina. Respondent unum sub diversitate posse indicare plura, ut de bile diximus. Quæ verò sint istæ formalitates. Audi.

Aliqui dicunt dolorem esse sensationem tristem, à sensatione indicari narcotica, & à tristitia indicari anodina. Sed contra; quia sensatio, quæ est genus in doloris definitione, præscindit à sensatione naturali, & præternaturali: ergo præscindit à sensatione, quæ indicat, & à sentione, quæ non indicat: ergo sensatio non indicat narcotica. Dices non præscindere nisi à tristi, & voluptuosa, quæ sunt differentiæ sensationis præternaturalis. Narcotica verò indicari à sensatione præternaturali. Sed contra, nam inde colligitur, quòd narcotica etiam indicantur à voluptuosa, quæ est differentia contenta sub illo genere, & quod indicatur à genere, etiam indicatur à suis speciebus. Secundò, quia si sensatio præternaturalis indicat narcotica: ergo, & stupor indicabit narcotica. Tertiò, quia sensatio præternaturalis præbet indicationem genericam; at narcotica sunt remedia specifica.

Alij dicunt anodini, vel narcotici adhibitionem sumi ab urgentia, ità ut urgente dolore, adhibeantur narcotica; aliàs verò anodina. Sed contra; quia hoc non facit diversas formalitates in indicante, nec urgentia variat indicans, sed cogit, ut idem indicatum celeriùs adhibeatur. Alij tenent anodina indicari à tristititia, narcotica verò ab influxu, & Sanctorius, quòd à parte dolente. Sed contra, quia influxus, & pars dolens sunt res naturales: ergo non indicant narcotica.

Respondeo ergo primò, quòd dolor est tristis sensatio, quæ indicat remedium anodinum; & est sensatio acuta, quæ indicat sui diminutionem, quæ fit per narcotica. Ecce diversas formalitates. Respondeo secundò, quòd licet augmentum, & tristitia essent conceptus impræscindibiles in dolore, (quòd est falsum; quia actio acuta dividitur in tristem, & voluptuosam) quod tunc actio acuta indicaret sui diminutionem. Hæc verò diminutio fit per anodina, & narcotica, non quia auxilia diversa, sed tanquam materias ejusdem indicati, putà minuenes actionem tactus. Movetur Medicus ad narcotica ob urgentiam, & hæc doctrina est conformis Vallesio, Mercato, & Gal. lib. 5. de simplic. medicamentorum facult. cap. 18.

Sed dices: Dolor, quia actio acuta, indicat narcotica: ergo pulsus, fames, sitis, & aliæ actiones acutæ indicant narcotica. Secundò, quia, si dolor, quia actio acuta, indicat narcotica; ergo, & actio voluptuosa indi-

indicabit narcotica. Tertiò, quia, si narcotica indicantur ab actione acuta, priùs indicabuntur narcotica, quã anodina; quia & prius est, quòd sit actio acuta, & postea quòd sit dolor. Quartò, quia, si modo dicto essent indicata anodina, & narcotica, etiam in minimo dolore essent indicata, & minimus dolor sit tristis sensatio. Quintò, quia si anodina, & narcotica sunt materiæ diversæ ejusdem indicati, tenderent in eundem effectum, & solùm distinguerentur penes magis, & minus.

Respondeo ad primum, quòd omnes actiones auctæ indicant sui diminutionem, ut fames canina, pulsus magnus, & cæteræ, & paripassu dolor, quatenùs actio aucta, petit sui diminutionem, & consequentèr nullam actionem auctam indicare narcotica. Tamen diminutio sensus in dolore fit per narcotica; quia hæc destruunt aliquod principium necessariò concurrens ad eliciendam hanc sensationem auctam, nimirùm irradiationem à cerebro, quod non contingit in alijs actionibus auctis. Secundo respondeo, quòd licèt sensationi auctæ in dolore conveniant narcotica, non inde colligitur, quòd debeant convenire omni actioni auctæ: nam actio aucta est genus ad sensationem auctam, pulsum auctum, & actiones naturales auctas. Et sic sensatio aucta est species actiones auctæ. Quod verò convenit speciei non debet convenire generi, quia sensationi auctæ non conveniunt narcotica quatenùs est actio aucta, sed quatenùs est sensatio aucta. Vndè sensationi auctæ, quatenùs actio aucta, debentur diminuentia actionem, quatenùs verò est sensatio, convenit talis diminutio per narcotica.

Ad secundum dico, quòd actio voluptuosa, quatenùs aucta, petit etiam sui imminutionem, & hoc commode fit per narcotica. Ad tertium, quòd licèt priùs sint indicata narcotica, quam anodina, non exercentur priùs ob impedimenta emergentia ex illorum adhibitione. Ad quartum dico; quòd in minimo dolore sunt indicata anodina, & narcotica, licèt hæc solùm casu urgentiæ adhibeantur. Ad quintum, quòd anodina, & narcotica possunt esse materia ejusdem indicati. Differunt tamèn non modo dicto penès magis, & minùs, sed quia anodina inducunt sensationem voluptuosam, (quæ sit media inter extrema) loco tristis, & narcotica diminutionem sensationis destruendo irradiationem. Vtraque tamèn minuunt sensationem, quod indicatur in dolore, & sic tendunt diverso modo in eundem finem, scilicèt in diminutionem sensationis. Qui meliora habeat in medium proferat.

SECTIO XIII.

DE METHODO MEDENDI.

OMnia dicta eo tendunt, ut amissa sanitas recuperetur, quod ut commodè fiat, sequenti methodo utemur. Primò enim expedit considerare, an aliquid sit agendum, nam sunt aliqui morbi, qui curantur à sola natura, ut accidit in generatione carnis in ulcere cavo; alij, qui curantur à sola arte, ut evenit in reductione membri luxati; alij verò, qui curantur à natura, & ab arte, ut sunt febres putridæ, in quibus evacuantia, de obstruentia, & attemperantia præscribuntur ab arte, coctiones verò fiunt à sola natura. Interdùm etiam adeò levis est recessus, ut non egeat arte. Morbos (enim) quos natura curat, frustra medicina fatigat. Vt meritò dixerit Galen. quòd morbos parvos natura curat. Si verò recessus sint majores, ut à natura non possint curari, aut dubius sit Medicus de naturæ victoria; tunc est opus, ut aliquid agat.

Secundò expedit considerare, quid sit agendum. Hoc autem, cum sit idea, seu natura indicati, sumitur ex idea indicantis; nam, cùm indicans, & indicatum sint contraria, meritò ex idea indicantis deducetur idea indicati. Hinc pro morbis calidis, remedia frigida conveniunt, pro frigidis calida, pro plenitudine evacuatio, pro motu humorum revulsio, pro cacochymia purgatio, pro biliosa calagoga, pro pituitosa phlegmagoga: & in universum contrariorum contraria sunt remedia.

Tertiò expedit considerare, quantum agendum. Sumitur autem auxilij quantitas à quantitate indicantis. Vt enim auxilium juvet, & morbum pellat ei, debet esse contrarium æquale. Sic pristini habitus memores, eo usque auxilia admovebimus, donec morbus mittescat, à recessu metientes auxilij vim, alterando vehementioribus, quo vehementior morbus existat. Notando, quòd ea, quæ applicantur, aut sunt æqualia in gradu, aut in potentia. Contraria in gradu vim habent ex se vincendi morbos; quia pugnant cum natura contra morbos. Æqualia verò in potentia inferiora sunt in gradu, tamèn eorum vis suppletur à natura adminiculante, nam efficaciam præstat auxilijs. Sic in purgantibus, si natura nihil movet integrum purgans propinamus; illud verò minuimus, si natura aliqualitèr moveat, idem accidit in alterantibus.

Quantitas ergo auxilij sumitur à quantitate recessus, cui opponitur. Sic extremis morbis extrema remedia, sicut parvis parva debentur. Sic in magna plenitudine magna vacuatio est indicata. Notando, quòd

in acutis celeriùs, in chronicis verò tardiùs tentantur remedia. Sed neque, quia celeritèr in acutis, excluduntur intervalla inter unam, & aliam evacuationem, nam totam ſemel vacuare non fert natura. Ideò dixit Hippoc. plurimum, & repente vacuare periculoſum; ideò ars repetitas combulit ſectiones venæ, uſque aut ſit depoſita tota cauſa, aut tanta, cujus depoſitio naturam relinquat ſuperiorem ſupra reſiduum, quod ſufficit, ut prima conſideratione diximus. Idem quod dixi de evacuatione, dico de alteratione. Maxima enim alteratione ſolùm acuti morbi ægent. Alterantia verò remiſſiora commodiſſime ſunt ſæpiùs repetita in morbis, in quibus nullum adeſt ex pro craſtinatione periculum. Vt meritò dixit Hippocr. plurimum, atque repente evacuare, vel replere, calefacere, vel refrigerare, ſive quovis alio modo corpus periculoſum, quoniam omne nimium naturæ inmodicum, ſed id; quod paulatim fit, tutum eſt, tùm cum ab uno ad aliud fit tranſitus. Licet verùm fit, quòd in morbis levibus, nullatenùs poſſunt eſſe noxia alterantia æqualia; quia non immutant inſigniter vires, imò ſecuriora cum ſæpè remediorum blandimentis morbus exaſperetur.

Quartò eſt conſiderandum, quomodo ſit agendum. Ad modum utendi attinet ſcire, an ſit exercendum in forma ſolida, vel liquida, an deglutiendo an verò lambendo, an multum, an paucum diluendum, an per os, vel ſedem ſit admovendum, an à parte contraria, vel vicina ſit vacuandum. Cum ergo tot attineant ad modum utendi, ex pluribus modus ſumitur, ut ſupra diximus. Nam partis affectæ diſtantia illum variat, ſic affecto ventriculo, minùs diluuntur ſyrupi, magis, ſi jecur, & magis ſi renes, cor, aut cerebrum quia copioſiore vehiculo egent potiones, ut ad locum affectum properent. Sic affecto pectore, lambendo ſumuntur ſyrupi, deglutiendo ſi æſophagus, aut venter præmantur. Quantitas cauſæ idem variat; nam ſi copioſa, à loco diſtante, ſi minor, à parte vicina petit evacuari. Sunt ergo conſiderandæ illæ decem conditiones, quas morbum imutare ſupra diximus, à quibus modus utendi ſumitur.

Quintò expedit conſiderare occaſionem ad exercendum auxilium. Occaſio autem, aut eſt univerſalis, aut particularis. De univerſali loquens Hippocr. dixit concocta medicari oportet. Et alibi in principijs morborum; ſi quid tibi videtur movendum, move. In quibus deſignavit Hippoc. Occaſionem univerſalem ſecandi venam, aut purgandi. Tamen, quæ hora id poſsit exerceri, non dixit. Hora autem ſumitur ex præſentia poſtulantis, & abſentia impedientis. Et hæc eſt occaſio particularis.

Vt hæc omnia adimpleat Medicus, tenetur noſcere materiam medicam, qua ſatisfieri poſsit omnibus indicationibus. Harum una reſpicit morbum pellendum, alia ſanitatem conſervandam. Hæc ſervatur, ſervatis his, quæ ſunt ſecundum naturam,

quod fit ſex rebus non naturalibus. Morbus autem, (ſicut & alia res præternaturales) pellitur ſuo contrario. Contraria autem ſunt tot, quot ſunt morborum differentiæ. Cauſæ autem ſunt innumere, quibus occurritur ſectione venæ, purgatione, ſudorificis, diureticis moventibus ſputum, vomitorijs, & alijs vacuationis generibus.

Rurſus noſſe oportet inſtrumenta, quibus ad auxiliorum inventionem procedit. Primum eſt ratio, per quam cognoſcimus, quod contraria contrarijs curantur; quod contraria debet eſſe æqualia; quod morbi à repletione curantur inanitione, quod morbi ſunt ex ſymptomatibus cognoſcendi; quod ex magnitudine morbi ſit metiendum periculum. Rurſus ſæpè hæſitat Medicus in affectibus complicatis, ut in febre complicata cum hidrope, nam febris petit frigida, & humida; at hidrops petit calida, & ſicca. At ratio diſtat, ut mixtis utamur auxilijs, aut nunc uni, poſt verò alteri ocurratur. Sic in morbo perente magnum remedium, ſi complicetur cum virium debilitate, ratio diſtat, quid ſit agendum, quando ex morbi notione, & virium ſtatu anceps eſt Medicus de auxilio exercendo.

Verùm hoc ultimum, etſi frequentèr admiſſum non caret difficultate. Nam licèt Avicena in ſemitertiana proponat ptiſanam cum pipere, quo pacto piper opponitur pituitæ, & ptiſana bili. Tamen Tralianus obſtat dicens, quod piper accendit febrem, & ptiſana refrigerat, & incraſſat pituitam. Reſpondit Avicena morborum compoſitum ſolùm poſſe curare remedio compoſito.

Sed contra eſt; quia piper poteſt accommodari bili, & ptiſana pituitæ: ergo accendetur febris, & pituita infrigidabitur. Si verò dicas poſſe evenire contrarium. Colligitur indè eſſe curationem caſualem, & Medico rationali indignam, cum operetur, cum probabilitate lædendi. Secundò, quia contraria invicem permixta mutuò ſe attemperant: ergo idem erit propinare ſimplex remedium, quod mediam ſortiatur naturam. Antecedens probatur; quia dùm ſimplicia inter ſe operantur ad mediam deveniunt temperiem ſimilem medicamento ſimplici temperato. Et confirmatur; quia in tertiana notha minoris famæ, v. g. bilis, & pituita mutuò ſe attemperant ita, ut nullus effectus ſincerum humorem redoleat, & ideò rigor eſt minor, ac in tertiana exquiſita, & calor etiam mitior, duratio verò febris minor, quam in quotidiana: ergo ſi ilii humores mutuò ſe attemperant, etiam ſe remperabunt piper, & pthiſana: ergo ſufficiet dare remedium ſimplex temperatum. Tertiò, quia calidorum admixtio in febre ad nihil videtur neceſſaria. Non ad febrem, quia illam augebit, nec ratione cauſæ conjunctæ, quæ putrida eſt, nec ratione cauſæ antecedentis, quia hæc eſt bilis, & pituita, & ab interno principio propria dimanat temperies: ergo ad nihil eſt neceſſaria calidorum permixtio. Reſpondet Avicena; quòd frigida dantur pro

febre, & calida pro causa antecedente: Natura verò secernit calida à frigidis, ut unumquodque in suum contrarium operetur, & hoc ait non esse mirabilius, quam generare quatuor homores ex unico cibo, & in loco obscuro, ut est uterus, tot membra generare. Et addit (quod est consideratione dignum) quod si natura non est fortis ad discernendum, tunc non prodest curatio quomodocumque fiat.

Verùm hanc doctrinam reddit dubiam, quod indè sequitur, quòd si Medicus daret medicamentum noxium, statim illud extra pelleret natura, cum nulli parti esset utile. Secundò, quòd semper ex quolibet alimento generaret natura non solùm quatuor humores sed in proportione debita statui naturali, quod est falsum. Vndè respondet Heredia calida commisceri ad correctionem frigidorum. Sic emendat piper incommoda pthisanæ, & conducit ad crasitiem pituitæ, quæ multum abundat in prima regione. Tunc quod pthisiana non remittit subtiliationem piperis, licèt calorem emendet, cum adhùc maneat magis diuretica, ac si coqueretur apium. Tùm quod simile non agit in simile, & sic piper levitèr operatur in bilem: & eadem ratione contraria multum ad invicem inter se operatur, qua de causa piper multum operabirur in pituitam illam attenuando, & calefaciendo cum magis urgeat causæ, quam febris indicatio. Sed reddeamus ad intentum.

Secundum instrumentum est experientia, quæ laudanda est, dùm rationi cohæret, imò, & si desit ratio, si sit fulcita observatione; quia constet eodem modo evenire, est probanda. Licèt sanè expertis uti, non tamèn vacat periculo incognita experiri, & ad experientiam fortuitam transitum facere. Licèt tamèn in morbis longis, aut egrè curabilibus, dùm ratio, experientiaque non sufficiunt, aut eas renuit laborans, etsi morbus, & causa innotescat; ad minùs experta progredi. Secundum, quòd dixit Celsus: Sæpè, quos ratio non restituit, temeritas adjuvat. Et Aetius in desperatis juvet usque ad experimentum progredi, (distinguit hic Author experientiam ab experimento, quia illa est cognitio earum rerum, quæ sæpè visa sunt cum ratione fieri, secùs verò experimentum.) Addit Mercatus, quod, qui id ignoraverit, fateatur se haud mediocrem artis partem ignorare. Analogismus est aliud instrumentum, quod, qualitèr posit prodesse Medico dogmatico inferiùs discutietur.

Hæc omnia eo tendunt, ut Medicus cognoscat morbum, eumque si soli naturæ non posit committi, curandum assumat: videns, quo auxilij genere, qua quantitate, quomodò, qua occasione, cui parti, & per quam posit admoveri. Verùm neque hæc sufficiunt, nisi exactè cognoscat vim indicantium, coindicantium, contraindicantium, & correpugnantium, tum, & prohibentium. Si enim plura horum non occurrerent, omnes morbi facilè curarentur. Cum verò cons-

tet

tet experientia mille modis passim occurrere morbos, qui reddunt Medicum ancipitem, quid ante quid, quid cum quo, & quid post quod sit curandum, dicemus brevitèr modum dissolvendi nodos, ut in re abdita pateat aditus curationi.

In omnibus tamèn agendis: Notandus est Cellus asserens, quòd tenetur Medicus procedere tutò, citò, & jucundè. Citò non prætermissa occasione, quæ est opportunum tempus ad operandum. Requirit autem exactam Medici diligentiam, quia præceps est, & decapilata, & facilè evanescit. Ideò dicebat Celsus: Propera dùm æger vivit, quia semel pereunti nulla remedia possunt. Et Hip. ad crasebam auxiliari: Ne differas, nam pereunti ægrotanti nulla remedia prosunt, quæ alijs fuere saluti, in omnibus dilatio mala, in Medicina pessima, quia animæ subest periculum. Rursus, quia; si in valde acutis, ubi materia turget eadem die est purgandum ex Hippoc. cur non erit malum tardare, ubi urget affectus? Nam, qua ratione extremis morbis extrema remedia sunt adhibenda, ita, & acutis celeriter. Sed, quia contrariorum eadem est ratio, patet in chronicis per longa intervalla esse auxilia adhibenda. Juxta quod dixit Hippocr. lib. de morbis: Alij sunt morbi, quibus occasio est, ut in die semel curentur, alij per tertium, aut quartum diem, alij per mensem, &c. Ridiculum enim, si quis eadem auxiliorum celeritate uteretur in quartana, ac in pleuritide. Debet igitur Medicus festinare pro morbi acutie aut longitudine, nam celerior curatio, quam morbi longitudo requirit, plus detrahit de viribus, quam de morbo; & ita facit servandos in tempore, ante tempus mori. Tardior verò non potest prævenire pericula; nec est minus periculosa in chronicis festinatio nimia, quam in acutis longa morositas.

Tutò, ita ut morbus maneat perfectè curatus, ut absit timor recidivæ, & ad minus, si non prosis, saltem non noceas. Hæc secunda conditio prævalet prima. Nam qui benè facit, citò facit.

Jucundè eligendo gratiora ægrotanti. Nam, ut ait Sennertus, ingrata remedia appetitum dejiciunt, ventriculum subvertunt, ac facultates suas vix corpori impertiuntur, cum ob sui molestiam à natura repulsam patiantur, suavia autem recreant animum, levant ægrum, & ad cætera proba edulia ventriculum appetentiorem reddunt, & ex indulgentia ægri reduntur ad reliqua obsequentissimi: Quapropter dixit Hippocr. paulò deterior cibus, atque potus, sed suavis; melioribus quidem, sed minus suavibus est præferendus. Qua autem ratione alimenta, eadem, & medicamenta sunt præferenda. Adeò ut non raro quartanarij, & alij morbi, quos operosa manus Medici, & remediorũ crebra administratio non potuit sanare, curentur sæpe ex anxiè expetita carne suilla, (alias perniciosa, præcipuè, ubi materia non est cocta) nec mirum, nam sæpè, quos ratio non

non restituit, temeritas adjuvat. Sed nota, quòd hoc Celsi consilium in robustis est gratulatio, sive adulatio, in delicatis verò necessitas: Reprobantur autem æquè adulatio, & crudelitas: ergo sola amanda mediocritas.

SECTIO XIV.

DE INDICANTIUM ÆQUILIBRIO.

OMnia ferè dicta ex Sanctorio Mercato, Vallesio, Lemosio, & Gallego la Serna sunt in Appendicem redacta. Hoc autem caput potissimum ex Sanctorio. Continet verò præcipuè Medicinæ dogmaticæ ad curationem fundamenta, maximè verò in affectum complicatione. Si enim in curatione unicus, & simplex se offerret affectus curandus, absque difficultate remedium inveniretur. Quia tamèn quovis semel ægrotante variæ invadunt, & præmunt passiones, ut mille se offerant indicantium, & contraindicantium obstacula, milleque nodi, opus est, (ut dissolvamus illos) ut sciamus cui priùs, & cui posteriùs sit occurrendum. Pro quo.

Sciendum est, quod in curatione quatuor se offerunt. Nempe urgens, causa principalis, impedimentum, & morbus, ad quæ totum curantis consilium redigi debet, & ad quæ, si mille imagineris affectus, omnes reducuntur. Et in curatione morbus nequit curari, præsente impedimento, vel causa principali; neque his possumus occurrere, nisi ablato urgente. Vt hinc primo sit occurrendum urgenti, secundò causæ principali, tertiò impedimentis, & ultimo morbis. Et, licèt à Sanctorio discesserim admittens indicationem à symptomate, de hoc nihil dico nunc, quia ipsis remedia non adhibentur, nisi dùm habet vicem urgentis, aut causæ, aut impedimenti, licet indicare dixerim.

Vrgens ergo est duplex. Aliud minatur vitæ extinctionem: aliud verò pejorem vitam. Quod minatur vitæ extinctionem, aut actu prosternit vires, ut sincops; aut aptum est proximè ad vires debilitandas, (& si actu non prosternat) ut est fluxus sanguinis, dolor, & vigilia, & hujusmodi symptomata. Ex quibus constat primum esse urgentiùs secundo, & consequentèr priùs esse illi occurrendum, reliquis neglectis; quia vires servare est vitam custodire. Ideòque si febre ardente laboranti succedat syncops; statim occurrimus vino, aliàs febri adverso. Secundum verò urgentium genus, citam expostulat medelam, & ante alia urgentia, causas, & morbos excepto primo urgente. Nam cum indicatio sumpta à virtute reliquas omnes superet, constat hinc ante morbos, & causas urgentiæ vi-

virium esse occurrendum, & prius urgentiori. Vrgentiùs verò est, quod actu prosternit vires, quam quod aptum est prosternere. Talis est indicatio à viribus, ut si sit æqualis cum natura, quæ sumitur à morbo, primo sit occurrendum viribus. Et ideò tempore, quo vires reficimus, nihil eorum, quæ adversus. Morbum pugnant, ægrotanti exhibemus: Vbi verò tale adquisitum est robur, quod ex evacuatione parum, aut nihil esse lædendas conjicimus, tunc adversus morbum pugnamus. Ex quibus constat, quod si adsit urgens primi ordinis, primò illi sit subveniendum, & secundo urgenti secundi ordinis.

Aliud urgentium genus, quod non vitæ extinctionem, sed deteriorem vitam minatur, est duplex. Primum est affectus longitudo, quam per timescens æger cogit Medicum ad vehementiora pharmaca, ut ad antimonium confugere, malens tale medicamentum experiri, quam morbi longitudinem, cum meliùs, & tutiùs alijs remedijs morbus vinceretur. Aliud urgentium genus est decoratio, ob quam sæpè securiora remedia omittuntur. Sic in curatione morbi gallici ad vitandam alopeciam utuntur astringentibus externis, quæ exitum humoris impediunt, & hæc sunt urgentia, quibus sæpè occurritur ante causas ob vitandam decorationem, aut morbi prolixitatem.

Quando autem nullum dictorum urgentium adsit, tota animi acies ad causam principalem est dirigenda consilio Galen. dicentis: Vnamquamque causam prius abscindere oportet, deinde deveniendum est ad discrasiam. Etsi non à mota causa, vellet quis morbum curare, (ut si vellet curare ulcus, non ablata fluxione) nunquam id consequeretur. Vt hinc meritò secundus ordo indicantium sumatur à causa principali.

Tertia indicatio sumitur ab impedimentis, sive à causa sine qua non. Sic frustrum ensis, os, pili, aut grumi sanguinis; quia impediunt vulneris sanationem, ante vulnus tolli desiderant. Et, licet aliquandò tollantur ante causam principalem, quia tolluntur quando possunt, tamen præcedit dignitate ea indicatio, quæ sumitur à causa. Noto tamen impedimentum aliud esse ante morbum, quale est nuper dictum; aliud verò est ante causam principalem, & est causa sine qua non, ut auferatur causa principalis; talis est cruditas primæ regionis, quæ debet deponi ante venæ sectionem. Et sic removeri ante causam principalem febris putridæ. Et in hoc casu post urgentia habet locum ante causam principalem.

Vltima indicatio sumitur à morbo. Ratio est; quia morbus, qui fit, nequit cessare præsente causa, & impedimento: ergo illi demùm est occurrendum. Ideò Galen. dixit quarto methodi, quod in morbis, qui fiunt, est incohanda curatio à causa, in his verò, qui sunt facti, nec dependent à causa, à morbo ipso.

Ex quibus omnibus constat indicationem sumptam ab urgentibus esse omnium primam, quia in ea agitur

tur de vita servanda, atque respectu ejus reliquas omnes sperni, sive à causis, sive ab impedimentis, sive à morbis sumantur, & inter urgentia esse priùs occurrendum urgentiori: Vndè urgentia primæ classis, quæ vitæ minatur periculum ob præsentem virium ruinam, primum sibi vendicat locum. Secundum locum sibi vendicant urgentia secundæ classis, quia possunt inducere virium ruinam, non autem inducunt, & sic de cæteris. Secundò occurrunt causæ principales. Tertiò impedimenta, & quarto morbi. Vbi nota, quòd urgentia in morbis potest esse, aut totius, aut partis. Vrgentia totius minatur vitæ periculum; urgentia verò partis, solùm partis minatur periculum. Hinc clarè constat prius esse auxiliandam urgentiam totius, quam partis, quia illa est major; nec mirùm, nam sæpè urgentia partis postponitur ablationi causæ. Vt dùm abscinditur pars cancrosa, aut sphacelata, aut dens dolens avellitur. Si ergo partis urgentia postponitur causæ principali, & morbo, nihil mirum, quòd postponatur urgentiæ totius. Secundò nota, quòd impedimentum ante causam est prius dignitate indicationis, quam causa, tamen de illo eodem modo est discurrendum, ac de reliquis. His positis.

Quia sæpè accidit, quod morbus, vel impedimentùm urgentis subeant vim, & aliquando vicem causæ, ita ut hi quatuor gradus indicantium inter se commisceantur, transcendendo ex uno gradu ad alium: Accidit hinc, ut morbus, qui postremo esset curandus; quia induit rationem urgentis sit curandus primo, quòd idem alijs potest contingere. Vndè altiore methodo est opus. Eam tamen sic accipe.

Quatuor proposuimus indicantium ordines, ab urgente, à causa principali, ab impedimento, & à morbo, quibus succedit partis corroboratio. Et licet hæc attineat ad methodum de tuenda valetudine, tamen in hac methodo non minimum locum obtinet. Tùm quia contrarium non agit in contrarium, sed in subjectum contrarij. Tùm quia ob locorum diversitatem variantur auxilia, & si morbus sit similis. Sic in pleuritide, & phrœnitide, licèt sint inflammationes membranosæ substantiæ a bile, uni admoventur repellentia, secùs alteri. Tùm quia ob aliquam conditionem, quam immutat morbus in parte, variantur, aut modificantur auxilia, ut sect. 9. diximus. Tùm quia morbi partium ignobilium liberiùs tractantur: At morbi partium nobilium mitius summe attendendo corroborationi. Hæc verò nequit tentari in præsentia urgentis, causæ, aut impedimentorum; nam, cum corroborantia astringant, impediunt causæ amotionem, & eam reddunt fixiorem occultando hostem in proprio domicilio, veluti, si quis comprimeret manu spongiam plenam spinis.

Posito ergo hoc indicantium ordine, videamus, quomodò inter se possint complicari, & quod eorum sit

potentiùs in indicando ; in quo consistit æquilibratio indicantium. Et ait Sanctorius quindecim esse, & posse accidere indicantium complicationes, quibus si adderes indicationem sympthomatum, faceres viginti, & unam, & si adderes complicationem impedimenti antę causam, faceres viginti, & quinque. Verùm hanc omitto, quia de ea similitèr, ac de alijs est discurrendum. Et etiam omitto indicationem symptomatis, quia huic nulla remedia admoventur, nisi dùm transcendit à genere symptomatis ad genus urgentis.

Prima ergo comparatio debet fieri inter urgentia, dùm plura superveniunt, ut sciatur, cui priùs sit vacandum. Secunda inter causas principales, dùm æger varijs præmitur passionibus. Tertia inter impedimenta: quarta inter morbos. Quinta inter indicantia vitalia desumpta à partibus, quæ non sunt gratia vitæ, sed melioris vitæ. Sexta inter urgens, & & causam. Septima inter urgens, & Impedimenta. Octava inter urgens, & morbum. Nona inter urgens, & indicationes vitales sumptas à partibus gratia melioris vitæ. Decima inter causam, & impedimenta. Vndecima inter causas, & morbos. Duodecima inter causam, & partem roborandam. Decima tertia inter impedimenta, & morbos. Decima quarta inter impedimenta, & partes roborandas. Decima quinta inter morbos, & partes roborandas. Ad quas complicationes omnes posibiles videntur posse reduci, etsi versetur quis in affectum confusione, & fingat omnes ægritudines posibiles.

Prima ergo comparatio est inter urgentia. Horum verò sunt quatuor clases. In prima sunt, quæ statim vires debilitant, ut est syncops. In secunda, quæ minantur virium lapsum, ut evacuationes profusæ, vigilia, & dolor. In tertia, quæ pollicentur nimiam morbi longitudinem, sicut dùm spretis causa, & morbo, evellitur testiculus tumidus, ne nimiam morbi longitudinem experiatur patiens. In quarta, quæ ad decorationem, ut in his, qui ne depilentur, petunt astringentia morbo gallico adversa, quatenùs impediunt effluvium humoris. Quo supposito, si hæc urgentia inter se complicentur, primo occurrendum est primis: Deindè reliquis ordine, quo enarrata sunt; quòd si plura urgentia ejusdem clasis simul complicentur, ut syncops, & immodicus fluxus sanguinis, quæ attinent ad primam classem; vel dolor, vigilia, aut alia evacuatio, quæ attinent ad secundam classem, tunc statim videndum est, quodnam urgens citius tollat vires, quo viso nisi eodem tempore utrique posimus occurrere; prius est vacandum illi, quod citiùs vires adimet, vel adimit. Nota tamèn hæc urgentia alia esse actualia, & alia imminentia; utraque tamen ita attendi jusit Galen. primo de arte curativa ad Glaucon. cap. 14. ut in febre cum alvi fluxu abstineat ab omni evacuatione dicens: Fluxum sufficere, etsi non sit pro ratione multitudinis, quicumque verò plura necessa-

rium

rium esse putantes, aut sanguinem mittere, aut purgare tentaverunt, in majora pericula ægros adduxerunt. Ecce quod ob lapsum imminentem timet fluxum, si sanguis mittatur. Nota etiam, quod non sufficit distinguere urgentium classes, sed incommoda ex remedijs emergentia; nam sæpè, quod erat in sphæra, impedimenti, causæ, aut morbi, vel neglectum, vel minùs benè consideratum transcendit ad genus urgentis, & quod erat urgens secundæ classis, transcendit ad primam classem. Distinguere verò urgentiùs à minus urgente, & urgentiori absque inemendabili noxa succedere, docti, & exercitati est Medici: Verùm modus occurrendi ita, ut minùs urgens desperate non exasperetur, exercitatum, & & perspicaciorem requirit. Sic multoties ob insignem apparatum venarum mittitur sanguis, etsi adsit aliqua ventriculi mordicatio, sæpè tamen, si non urgeat apparatus venarum misso sanguine, transit dicta anxietas in gravem cardialgiam, cum ægri ruina, quo in casu minùs urgens transit in gravius. Similitèr potus frigidus prodest in erisipelatosa inflammatione thoracis, ubi imminet colliquatio, febris hæctica, aut syncops. Quia tunc febris est intensa, & urget plus humor incendio, quam corporatura. Si verò humor plus urgeret corporatura, quam incendio, tunc sanè à potu frigido incrudaretur tumor cum periculo suffocationis, ut facile respiratio crebra, quæ est comes inflammationum Thoracis, transiret in difficilem, & sublimem, quod est idem, ac accidens minus urgens desperate exasperari.

Vrgens tertiæ classis, quod consistit in longitudine affectus spernitur non modo ob affectum, qui vires extinguit, verùm ob illum, qui minatur virium lapsum. Quod verò huic urgenti prius, quam causis, & morbis aliqui attendant, Galen. 4. method. fatetur dicens: Sunt quidam, qui malunt quidvis subire, quam diutissime pati. Hinc plures spreta causa; & febre confugiunt ad antimonium.

Quartum locum tenet urgens, quod pertinet ad decorationem. Nisi autem morbi subeant vicem urgentis primæ, secundæ, vel tertiæ classis possumus priùs decorationi, quam morbis, & causis attendere. Medicus tamen debet mederi tutò, quòd respondet primis, & deindè secundis urgentibus. Post citò, quòd respondet tertijs, & demùm jucundè, quòd respondet quartis, seu decorationi.

Secunda comparatio fit inter causas principales. Nam licèt unius morbi una sit causa principalis, attamen, cum possint plures complicari morbi in uno ægrotante, hique separati, plures quoque in illo possunt esse causæ principales. Hippocr. tertio epidem. ait de Pythione habente pectoris affectionem, & febrem essentialem, ad fuisse duas causas principales: Altera erat catarrus in pectore collectus: Alia erant humores putridi in venis. Vnica die apparuerunt sputa subcocta, & urinæ tenues. Sputa cocta ostendebant causam principalem

affectionis pectoris esse à natura superatam. Vrina tenuis humores febrem cientes esse adhuc crudos. In his separatis causis erit primo expendendum, quæ ex illis magis possit, quod fiet hoc modo. Debes videre, quæ ex illis sit magis reducibilis ad urgentia primæ classis, vel secundæ. Scilicèt, quæ citiùs, certiùs, & potentiùs præmere possit vires, v. g. in Pythione erat catarrus in pectore collectus cum notis coctionis, & in venis erant putridi humores. Dicimus, quod magis poterant putridi humores vires oprimere, quam catarrus, qui hujus materia præbebat notas coctionis, non verò humores putridi: ergo humores putridi erant magis reducibiles ad urgentia; quia putredo est magis inimica. Ideò curatio erat incipienda à putredine, non tamen spreto catarro, licèt tenui. Si verò fuisset crassus, & talis, ut temporis spatio potuisset inflammationem pectoris, vel suffocationem efficere, & putredo fuisset aperta, & absque malignitate, tunc hæc esset minus reducibilis ad urgentia, & per consequens minus posset, & ei non primo, sed secundo loco esset attendendum. Catarrus verò, vel humor contentus in Thorace, qui inflammationem, vel suffocationem posset parere, esset reducibilis ad urgens secundæ classis, putredo verò manifesta ad urgens tertiæ classis, in qua morborum longitudines collocantur. Quod de his diximus, de omnibus est intelligendum, quod scilicèt, indicatio sit incipienda ab illis causis, quæ sunt magis reducibiles ad urgentia potentiora.

Tertia comparatio debet fieri inter impedimenta; quæ, cum in quolibet morbo plura sint, aliquo ordine est procedendum. Dicimus itaque impedimenta, vel esse reducibilia ad urgentia, vel non. Si sunt reducibilia, videndum est, ad quam classem, an scilicèt ad primam, in qua collocantur urgentia, quæ actu vires profternunt, veluti quando sub craneo est pus retentum; vel ad secundam, in qua sunt impedimenta, quæ nisi auferantur, minantur virium dissolutionem, sicut dùm in vulnere fragmenta, ossis, ensis, vel grumus sanguinis detinetur. Dicimus ergo loquendo de impedimentis, quæ urgent, quod ei prius sit attendendum, quod citiùs, & certiùs vitam tollere potest. Sic, si ex symptomatibus cognosceretur esse pus sub craneo, quod est impedimentum, ne sanetur ulcus, essentque in ulcere sordes, deberet Chirurgus incipere à terebra, ut extraheretur pus, & postea convertere curationem ad sordes: ergo statim impedimento, quod citiùs, & potentius vires lædere potest, est attendendum. Si verò impedimenta non sunt reducibilia ad urgentia, priùs attenditur causæ, & mox impedimentis. Si verò plura essent impedimenta istius generis, tunc priùs attendimus ei, quod magis impedit; vel quia est causa, ne auferatur aliud impedimentum, sicuti sordes sunt impedimentum, ne cavitas ulceris impleri possit, tunc à sordibus est incipiendum,

quia

quia cavitas, quæ similitèr est impedimentum, ne ulcus sanetur, non potest repleri carne, nisi sordes auferantur.

Quarta comparatio fit inter morbos, intelligendo morbos, qui non subeunt vicena urgentis, causæ, vel impedimenti. Tunc dicimus, quod si plures in ægrotante tales extiterint, quod illi magis poterunt, qui erunt magis propinqui urgentibus: V. g. adsint gonorrea, & perniones. Hi sunt affectus separati. Si quis quæreret à quo esset incipienda medela: Responderem, quod à gonorrea, quia nisi curetur, posset temporis spatio impedire urinam, unde succederet non solùm urgens secundæ, sed, & primæ classis, quia retento lotio mors sequitur, quod de pernionibus nequit dici.

Quinta comparatio fit inter partes læsas, quæ cum ad vitam non pertinent, sed ad meliorem vitam non subeunt urgentis vicem, vel causæ, vel impedimenti, vel morbi: Tunc si duæ partes fuerint læsæ, erit exordienda curatio ab illa parte, quæ tractu temporis vicem vehementioris urgentis, causæ, vel impedimenti posset subire.

Ex quibus colligimus, quod si fiat comparatio inter urgentia, & causas, ab urgentibus sit incipiendum; inter urgentia, & impedimenta, ab urgentibus; inter urgentia præsentia, & imminentia, (cæteris paribus) à præsentibus; inter imminentia, quæ possunt brevitèr vires opprimere, & urgentia pertinentia ad morbi longitudinem, & decorationem, dicimus, quod medicatio est incipienda ab his urgentibus, quæ minantur virium casum; inter urgentia, & morbos ab urgentibus; inter causas, & impedimenta, à causis; inter causas, & morbos, à causis, & non à morbis; inter causas, & partes roborandas à causis; etenim non potest roborari pars vulnerata, nisi dematur inflammatio partis circunstantis; inter impedimenta, & morbos ab impedimentis; inter impedimenta, & partes roborandas ab impedimentis. Demùm, si comparatio fiat inter morbos, & partes, dicimus, quod simul tempore potest morbus curari, & pars roborari. Si verò his quin decim complicationibus addere velis impedimentum ante causam ut sunt cruditates primæ regionis, quarum depositio debet præcedere ante venæ sectionem in febribus putridis, poteris novas addere complicationes. Sed eas simili methodo dissolves.

Hæc sunt totius Medicinæ dogmaticæ, ipsiusque exercendæ primordia, quibus instructus Medicus cognoscet nullum medicinæ præceptum esse inviolabile, neque quidquam ita fieri, quod alitèr fieri non possit. Hippoc. 1. aphor. ait, quod in accessionibus abstinere oportet. Tamèn in pycrocolis, ne in marasmum incidant alimentum exhibet Gal. urgentia ductus 8. methodi. Similitèr Gal. in arte Medicinali prohibet repercutientia ante evacuationem totius. Tamèn in Phrœnitidis principio apponentur, quia fluxus humorum ad

cere-

cerebrum est urgens imminens, cui est attendendum ante causam. Hipp. 5. aphor. ait, utero gerentes secta vena abortire: Tamèn experientia contrarium ostendit urgentiæ casu. Digladiantur Authores, an in pleuritidis principio sit mittendus sanguis ab eodem, vel contrario latere id tamèn nihil melius dirimit, quam æquilibratio humoris fluxuri, & fluxi, ut urgentiori succurratur. Idem de vesicatorijs, de lacte, & inuversum de quolibet remedio discutiendum invenies, ut in complicatis indicationibus scias, cui priùs, & cui posteriùs sit occurrendum, & quodnam auxilium anteponendum.

SECTIO XV.

DE PRÆSTANTIA MEDICINÆ DOGMATICÆ.

EX dictis sufficientèr detegitur præstantia Medicinæ dogmaticæ, & quod sit alijs sectis probabilior; nam probabilitas ab intrinseco ex nullo capite meliùs, quam ex principijs analiticis, & per se notis deducitur, cum verò dicta Medicinæ dogmaticæ fundamenta sint hujusmodi, liquidò constat esse excellentiorem alijs sectis, cum præsertim ab his absint principia analitica, ut postea dicetur.

Si verò ejus nobilitatem, & præstantiam ab extrinseco velis examinare, paritèr id deduces. Primò, quia in Europa adsunt in hoc sæculo centum, & quinque Academiæ, in quibus de Theorica, & Practica Medicinæ dogmaticæ disputatur, non verò de alijs sectis. Tùm secundò, quod dictæ Academiæ funguntur Privilegijs Pontificijs, & Regijs quam plurimis. Tum tertiò, quia Professoribus Medicinæ dogmaticæ sunt concessa multa Privilegia nobilitantia Facultatem, & ejus Professores, qualia ex Tiraquello, Baldo, à Reyes, Zachia, & alijs collegit Gaspar Bravo lib. de præstantia Medicinæ dogmaticæ. Tùm quartò, plures Medicinæ Professores, qui hodie in Sanctorum numero ab Ecclesia collocantur, (quos in summam redegit Angelus Romanus Medicus) scripserunt de Medicina dogmatica. Inter quos Divus Isidorus Archiepiscopus Hispalensis, (creditur ab aliquibus) scripsisse multa, quæ hodie tribuuntur Avicinæ. Tùm quintò, quia numerus Scriptorum in hac secta excellit aliàs valdè. Si ergo est Medicina dogmatica alijs excellentior ab intrinseco sui, ob principiorum infallibilitatem; & ab extrinseco ob authoritatem Academiarum, & Authorum, illam sequi debemus, quod ampliùs patefiet, si aliarum fundamenta examinemus.

SECTIO XVI.

DE SECTA EMPYRICORUM.

AVuthor hujus sectæ fuit Philinus Cous, qui odio sui Magistri Herophili Medici dogmatici discessit à Medicina rationali. Hunc sequuti sunt alij, tùm Antiqui, tùm Neotherici, inter quos levis est differentia, & nomine tenus. Nam Antiqui se empyricos vocitabant. At recentiores illud nomen fugiunt. Vtrique tamèn ad curationem utuntur, vel analogismo, vel experientia. Analogismus est comprehensio remedij per similitudinem. Quærunt verò similitudinem in symptomatibus, ita ut si unus affectus alteri similis appareat, simili remedio curetur. Vndè requiritur, quod morbus sit ignotus, quia, si morbus cognosceretur, non inveniretur remedium per similitudinem, sed per indicationem, quæ à præcognitione indicantis ad auxilium procedit. Secundò requiritur, quod in illo affectu nulla præcesserit observatio; nam, si præcesserit, non invenietur remedium per analogismum, sed per experientiam. V. g. si quis demorsus à serpente hemorroo cum fluxu sanguinis se offerret curandus, sanè non posset curari per experientiam, cum nulla sit facta circa similem affectum, neque per indicationem, cum causa sit ignota. Vndè solùm per similitudinem cum alijs sanguinis fluxibus posset curari, & est curari per analogismum.

Præterea proponunt empyrici similitudinem in tribus, in parte affecta, in remedio, & in symptomate. In parte affecta, ut si quis curetur ab aliquo dolore in brachio, & simili dolore corripiatur in crure, ob similitudinem inter has partes affectas, adhibent idem remedium in crure: In remedio, ut si citoneum juvat, inferunt: ergo, & mespilum juvabit ob similem astringendi vim; in symptomate, ut si quis à fluxu sanguinis fuerit liberatus usu boli armeni, dicunt: ergo, & à fluxu alvi eodem remedio liberabitur. Ecce analogismi, fundamenta. Sed eorum inefficacia constat, primo in suppresionibus urinæ; nam omnes similes sunt à quacumque causa pendeant, & remedia, quæ in una juvant; nocent in alia. Nam in distensione vesicæ prodest cateter, quæ in inflammatione nocet. Diuretica prossunt, corpore existente vacuo, nocet verò in pleno trahendo ad locum affectum: ergo in similibus, quod uni prodest, alteri nocet. E contra in dissimilibus conveniunt eadem remedia, ut in emprostotono, opistotono, & tetano.

Sed videamus, qualitèr ex similitudine formant argumenta pro inveniendo remedio. Sit primus empyricorum syllogismus. Omnis suppresio

urinæ

urinæ indiget catetere, quæ est similis alteri sic curatæ; sed hæc suppressio est similis: ergo indiget catetere. Hic syllogismus, (præterquam quod constat majore falsa) habet pro medio verbo similitudinem symptomatum, quod medium, cum sit prædicatum in majore, debet esse factus in secunda figura. Est autem monstruosus, quia constat puris affirmativis. Secundò, quia medium verbum debet continere, & contineri in extremitatibus, aliàs non esset medium; similitudo autem symptomatum non continetur in ulla, imò continet utramque extremitatem. Possunt verò alios formare syllogismos, ut si diceres. Petrus curatus fuit catetere ab urinæ suppressione; sed Paulus patitur similem affectum: ergo curabitur catetere. Qui non concludit, quia arguit ex signo solubili. Vel dicunt: Vsus cateteris curavit Petrum; sed etiam curavit Paulum: ergo curabit omnes. Qui syllogismus nihil concludit, quia incidit in tertiam figuram cum conclusione universali. Et ex puris particularibus nihil sequitur.

Præterea, quia empyrici tribuunt generi, quod debetur speciei, & speciei sæpe tribuunt, quod debetur generi, & sic negant alteri speciei; quod debetur generi. Vt si dicerent: Homo est vivens sentiens: ergo Leo non est vivens sentiens. Sic similiter arguunt, dùm dicunt; emprostotonos curatur purgatione: ergo tetanus non curabitur purgatione. Quo pacto non concludunt, quia purgatio est remedium convulsionis; convulsio verò æquè prædicatur de tetano, ac de emprostotano, & sic eodem remedio curabitur utraque affectio. In quo casu tribuunt speciei convulsionis, quod debetur convulsioni genericè sumptæ. E contra aliquando tribuunt generi, quod debetur speciei, ut quando tribuunt omni suppressioni urinæ cateterem, qui solum debetur alicui speciei, at species non est de essentia generis, & sic neque remedium unius suppressionis urinæ est remedium omnium.

Si autem examines similitudinem in remedio, & in parte affecta, idem invenies. Nam absinthium astringendo roborat ventriculum; at marrubium, etsi astringat, illum debilitat; quoad partem affectam, nam oleum rosaceum in cerebro est suppurans, in qualibet verò alia parte est repellens: ergo ob similitudinem partis affectæ, remedij, vel symptomatum sunt debilia empyricorum argumenta.

Secundò utuntur empyrici experientia sive propria, quam vocant inspectionem, sive aliena, quam vocant historiam. V. g. si quis usu portulacæ ab hæmodia fuit liberatus, putant remedium esse inventum per experientiam. Verùm cum non una, nec plures sufficiant experientiæ, nisi adhibita distinctione naturæ ægrotantis, regionis, præsentis constitutionis, habitus, consuetudinis, soliti exercicij, morbi, causæ, & symptomatis, quæ ita variant remedium, ut si illæ exactè attenduntur, vix eidem remedium per annorum sæcula manus admoveretur bis, ideò inefficaciter

tèr concludunt; ut si dicerent rabarbarum prodest biliosis: ergo, & pituitosis. In Vere: ergo, & in Æstate. In hac regione: ergo & in illa. Mala persica sunt nobis alimenta: ergo & Persicis.

Experientiæ autem falacia patet. Nam arguunt ex puris particularibns, ex quibus nihil sequitur. Secundò, quia ex puris particularibus inferunt consequentiam universalem. Vt si dicerent: Emplastrum curavit Petrum, & liberavit à febre; sedetiam curavit Paulum: ergo curavit omnes. Si autem inferant hanc consequentiam: ergo curavit Joannem; non concludunt, quia hæc solùm infertur in virtute propositionis uuiversalis. Tertiò, quia ex eo, quod huic febri in hoc individuo conveniat hoc emplastrum, non infertur, quod & omni debeat convenire, nam quod per se convenit speciei, non convenit generi.

Demùm, quia ut cognitio sit scientifica, debet procedere à cognitione effectus ad causam; at experientia non procedit, nisi à cognitione effectus ad subjecta. V. g. non cognosco, cur rabarbarum purget bilem, sed video illam purgare in hoc subjecto. Et sicut procedens cognitio à re ad causam facit propositiones universales, ita procedens à re ad subjecta facit propositiones indefinitas, ut sunt hæ rabarbarum purgat bilem, emplastrum curar febrem, quibus non opponuntur contradictorie istæ; aliquod rabarbarum non putgat bilem; aliquod emplastrum, non curat febrem. Cum ergo ab experientia non consurgant propositiones universales, inde nec consurgent efficacia argumenta.

Verùm etsi omnia dicta sufficientèr detegant inconstantiam empyricorum: Tamèn non dubito sæpè prodesse Medicis dogmaticis. Nam Vallesius, (quem Hispanum Galenum nominat Gutierrez) ait 3. metodi, cap. ultimo: *Vtinam non perjissent omnia methodicorum, & empyricorum scripta. Non dubito, quin aliquando ab illis juvaremur, præsertim cum ratio deficit.* Tùm quia selectissima utuntur materia Medica. Quæ licèt adhibita sine ratione, sit velut ignis in manu stulti, & gladius in manu furiosi: Tamèn à Medico rationali caute administrata, & dignotioni alias latenti, & curationi multum prodest. Tùm quia cognitio particularium multum conducit ad cognitionem naturæ universalis, dùm intellectus proprio lumine illam secernit à conditionibus individuorum. V. g. Scio, quod vesicantia attrahunt, & cum hæc propositio sit indefinita dubito, an omnia attrahant. Confugio tunc ad regulas Logicas dicendo, hoc vesicatorium trahit, quia est calidum, & dolorificum; sed omnia sunt calida, & dolorifica: ergo omnia attrahunt. Vel utor lege contrariorum: frigida repellunt, quia frigida: ergo calida trahent, quia calida; sed vesicatoria sunt hujusmodi: ergo trahent.

Ecce quo pacto empyricorum fundamenta possunt prodesse Medicis dogmaticis.

SECTIO XVII.

DE SECTA METHODICORUM.

THemiſon Leodiceus diſcedens à Medicina rationali ob odium Aſclepiadis Medici dogmatici, fuit Author ſectæ methodicorum conſtituens omnes morbos in laxo, & denſo. Cognoſcunt verò ipſos morbos ex his, quæ neceſſariò conſequuntur ipſi Methodici. In denſo, ſive aſtricto adſunt tranſpirationes impeditæ, pro fluvium ſiſtitur, & excretiones, aut ceſſant, aut minuuntur; in laxo verò excretiones ſunt copioſiores, & major tranſpiratio. Alij verò morbi, qui manuali opera curantur, aut ſunt ob additionem ſubſtantiæ, vel ipſius deperditionem, quorum curatio eſt ſimilis cum laxo, & denſo, quia & omnes perficiuntur addendo, quod deficit, aut minuendo ſuperfluum.

Verùm Themiſonis, & ejus aſſeclarum ſecta valdè diſtat à principijs annaliticis, quia ſcilicèt ſiſtunt in generaliſsimis differentijs laxo nimirum, & denſo, quo pacto nequit inveniri remedium. Nam remedium eſt contrarium morbo; ſed remedium eſt ſpecificum: ergo, & morbus debet eſſe quid ſpecificum. Sed ſiſtendo in generaliſsimis morborum differentijs non invenitur quid ſpecificum: ergo neque morbus cui applicatur remedium. Secundò, quia morbus non lædit, ut genericus, ſed ut ſpecificus: ergo in ſuprema differentia non poterit inveniri. Tertiò, quia ex genere non colligitur ſpecies: ergo neque ab indicante generico colligitur indicans ſpecificum: ergo neque indicatum ſpecificum; quia indicans, & indicatum ſunt contraria, ſub eodem genere, & in eadem linea. Quartò, quia denſi, aſtricti, ſeu anguſti ſunt ſex differentiæ ob diverſitatem cauſarum; nam poteſt oriri anguſtia ab obſtructione, ſubſidentia, coaleſcentia, occluſione, compreſsione, & conſtipatione, quæ diverſam curationem admittunt penes cauſarum diverſitatem, ut patet in Tuſi: ergo nequit inveniri remedium ob ſolam rationem denſi, non tranſcendendo ad ſpecies infimas.

Deindè, quia laxum, & denſum non ſunt ſub eodem genere cum morbis intemperiei: ergo dividendo morbos in laxum, & denſum, & ſi dividantur uſque ad eſpecies athomas, non invenientur morbi intemperiei. Probatur conſequentia, quia morbus intemperiei non eſt ſub genere laxi, & denſi. Deindè, quia ſi quis dividendo laxum, & denſum inveniret morbos intemperiei, tranſcenderet à genere in genus, quod eſt contra Logicam. Demum, quia ſi morbi intemperiei eſſent ſub laxo, & denſo, deberent participare rationem laxi, & denſi, ſicut omnia inferiora partici-

cipant rationem superiorem; sed non participant: ergo non sunt sub laxo, & denso: ergo Methodici sectarij nituntur inefficacibus fundamentis, dùm omnes morbos reducunt ad laxum, & densum sistendo in differentijs generalissimis.

Verùm, & si hæc ita sint, tamèn hæc secta cautos reddit Medicos ad transpirationem, & vias reserandas, ne toti sint in mittendo sanguinem, veluti si sola multitudinis indicatio esset repetitionis febrium occasio. Deindè, quòd, dùm ratio deficit, ut ait Vallesius, sæpè proderunt empyricorum, & methodicorum scripta. Tùm quia Hippocr. 6. epid. sect. 2, textu 18. ait: *Nihil temere, nihil negligere*. In cujus Comment. Vall. ex Gal. ait: *Neque tamem temere cuipiam credendum sit. Vt faciunt ij, qui alicui sectæ sese adigunt, aut in cujuspiam verba jurant, sed potiùs examinanda esse omnia, & cum judicio legendum*. Fateor esse Medicinam dogmaticam omnium præstantissimam, & cui subserviunt aliæ sectæ sua remedia ad rationem, tanquam ad lydium lapidem reducendo. Tamen nihil negligas, sed omnia secundum rationem facias.

SECTIO XVIII.

DE PRAXI ATHOMORUM.

Democritus antiquissimus Philosophus asseruit corpora naturalia componi ex athomis, quos etiam minimæ naturæ, athoma, corpuscula, & corpora indivisibilia appellavit, de quo videatur Senertus tomo primo, hypomnemate tertio. Hanc tamèn opinionem àScholis exclusam, & ab Aristotele impugnatam suscitavit nuperrimè Doctor Iosephus Gallardo, qui admissa mixtorum generatione per athomos, constituit morbos per athomos redolontes principia chymicorum, ita ut sint alij morbi à sale resoluto, alij à fixo; alij morbi à Mercurio volatili; alij à sulphureis athomis fixis, aut diaphoreticis, de cujus opinionis veritate nihil dicam, cum unusquisque in suo abundet sensu.

Video tamèn hanc athomorum considerationem aliquando non obesse Medico rationali. Quippe in ambustionibus, si frigidis ocurras difficilem, aut longissimam invenies curationem. Si autem extrahas athomos per calida, facilem, & brevem. In congelatis idem incommodum invenies, si ignem, aut calida applices; at si nive fricueris extrahendo athomos, citissimum levamen; quod & in pernionibus nivis frictione experieris, ut ait Sennertus. Sic ait Gallardo spiritum vitrioli prodesse in febribus malignis; sicut & salprunellæ separatim; at si spiritum permisceas saliprunellæ, multum oberis, quia athomi vitrioli, & nitri conjuncti

componunt aquam fortem adeò corrosivam, ut dissolvat metalla. Vide, quo pacto, licèt in multis sit unifermis curatio, tamèn opem præstat Medico rationali, hæc opinandi diversitas.

SECTIO XIX.

DE SECTA SPAGYRICA.

SEctæ Spagyricæ, seu Chymicæ Author fuit Hermes Trimegistus, de quo nihil præter tabulam smaradignam vidi. Sed quia hæc, (ut ex Commentario Hortulani ab hortis maritimis constat (nihil saluti confert, licèt fundamentum præbuerit posteritati ad plutima auxilia in subsidium salutis humanæ, ideò relicto Hermete, asserunt communitèr fuisse Authorem Paracelsum, quem quam plurimi subsecuti sunt. Hi omnes componunt homines ex sale, sulphure, & Mercurio. Ex quibus ajunt in cerebro adesse balsamum mercuriale, in corde sulphureum, & in hepate salinum reperiri ex quibus semine morborum oriri ipsi propalant. Curationem tentant per panaceam universalem, qua summè roborant Balsamum naturale. An autem talis reperiatur panacea universalis, aliqui in dubium vocant, confugiuntque ad signaturas rerum, à quibus extrahunt quintas essentias, magisteria, elixir, & alia, in quibus non immoror. Adeat, qui velit hæc, in Compendium legere, ad Sennertum libros de consensu, & dissensu chymicorum cum Galenicis, & Aristotelicis.

Verùm in hac re ego meam sententiam brevitèr proponam, & rectiora monstranti non refragabor. Plurima invenio apud Chymicos contemnenda, de quibus ipsi tàm gloriosa pollicentur. Aliqua tamen ab eleganti Medico sustinenda, quatenùs saluti conferunt, & ad Medicinam amplificandam. Nam sine Chymicorum principijs plurima adsunt ferè inextricabilia ad morborum naturas, eorum curationem, & materiam Medicam inquirendam. Qui hoc negaverit, examinet: Cur fumus argenti vivi, & plumbi corrodat aurum, secùs verò fumus vitrioli, & aliarum rerum? Cur spiritus vitrioli affussus terræ sigilatæ, si destilletur, nihil de spiritu, sed potiùs solùm phlegma prodeat? Quo pacto acetum ex Galeno fiat per resolutionem spiritus vini, cum extracta aqua vitæ, vinum, quod remanet, nec est acetum, nec in illud convertibile, & quo generosius est vinum, ita, & præstantiùs fiat acetum. Et succi habentes spiritus vino analogos, accescunt, ut vinum. Succi verò non habentes tales spiritus, non accescunt. Et cum aceti generationi comparaverit Gal. generationem succi melancholici, illa ignorata, difficilè curatio affectus hy-

hypocondriaci, & ſcorbuti, & affectuum à tali ſuco ortorum ſubſequetur. Dè quo vide Sennertum lib. de Scorbuto, & in Epiſtolis Doringij. Similitèr urina rubra ex lienteria à Sennerto adducta, difficilè abſque ſalium diviſione concredetur.

Paritèr præparatio cornu cervi per calcinationem vulgarem eſt inutilis, & abit in cinerem; at præparatio per calcinationem philoſophicam, ut adducitur à Beguino, eſt optima. Dogmatici emulſionibus permiſcent, accida; quod Chymici fugiunt, quia præcipitant ſubſtantiam lacteſcentem. Dogmatici, qui utuntur materia Medica chymica, exhibent antimonium diaphoreticum, quod niſi recenter ſit paratum, malignum eſt; nam diutiùs ſervatum, accidit, ut ſuum ſulphur, quod ob denotationem à nitro erat fixum, poſt temporis diuturnitatem evadit volatile, & cordi infenſum. Paritèr, ſi illum coxeris, & inter coquendum addas aliquod accidum, extrahuntur partes ſulphureæ, undè evadit ſummè conturbans. Eodem modo, in hypochondriacis ſucci ſunt anteponendi de coctis. Rabarbarum eſt infundendum, non verò coquendum. In chalibeatis non miſcendi ſales lixiviales. Quarè hæc omnia? Sanè ſine examine operationum chymicarum nihil utile deduci poteſt. Reſtat ergo, ut ſecta ſpagyricorum, prout præſtat amplitudinem Medicinæ dogmaticæ ſit ſaltèm, quoad partem materiæ Medicæ admittenda, quod & Gaſpar Bravus lib. de præſtantia Medicinæ dogmaticæ tenet, & Sennertus, Riverius, & Tenche multa adducunt ſpagyrica experientia comprobata, & novitèr Mynſicht, & Zuvelfer ampliarunt multa.

INDEX
TITULORUM OMNIUM QUI IN UNO quoque tractatu ſunt.

In Lib. de Urinis.

De

In Libro de Pulsibus.

Dub.

In Lib. 1. *de diff. feb.*

Dub.

In Lib. 2.

In Lib. 1. de Criſibus.

In

In Lib. 3.

In Tractatu de Indicationibus.

Laus Altissimo Deo.

in fideicommissarium, & ita in *l.cogi.* ...
si heres D.eod. tit. Hodie significat hoc caput Senatusc. Pegasiani quod etiam vt dixi Iustin. transtulit in Treb. vt vnum esset tantum Senatusc. de fideicommissariis heredit. & huc pertinet etiam *l. 4. huius tit.* cuius species, est elegantissima, neposauiã & fratrem, heredes instituit ex parte, & auiam rogauit vt partem, suam restitueret Quintianæ: auia repudiauit hereditatem partem institutionis suæ, vt scilicet adcresceret alii nepoti eidemque coheredi defuncti, nec perueniret ad Quintianam: ac deinde auia coacta a pretore postulante Quintiana hereditatem adiuit, & priusquã pro herede gereret, inquit, id est priusquã ex hereditate quicquam attingeret eamq; restitueret Quintianæ: aditionem sequitur pro herede gestio quod notandum maxime, ex *l.* 4. Si igitur priusquam attingeret hereditatem quam adiuit coacta eamque restitueret vita decesserit an intercidit fideicommissum quod viua non restituit Quintianæ, lex ait cõsistere fideicommissum, & a coherede cui adcrescit esse præstandum, maxime post Constitut. Seueri & Antonini quæ vult vt legata relicta ab instituto videantur relata a substituto, licet ab eo nominatim repetita non sint, vel etiã fideicommissa qualiacumque. Nam consequens est huic constitutioni vt coheres quoque quasi substitutus vel exẽplo substituti consequatur adcrescentem portionem coheredis cum onere fideicommissi, quasi legata relicta a coherede videantur repetita ab alio coherede cui adcreuit portio coheredis licet a coherede non sit nominatim repetita vt in *l.16. §.1. D. de leg. 1. l. mortuo, §.1. si Titio §.1. D. de leg. 2.* Ex quo intelligitur verum esse quod Azo dixit Constitutione

... tum quarta pars hereditatis efficit & fructus quartæ quod ostenditur, in *l. mulier, §. si heres l. in fideicommissarium & l. deducta §. ante diem D. eod. tit. l. Pap. §. vnde si quis D. de inoff.* D *test. l. quod de bonis, §. fructus & l. filiusfa. in fin. & l. qui quadringenta, §. qui ducenta D. ad l. Falcid.* Et est certissima regula iuris quæ locum habet in omnibus heredibus oneratis legatis aut fideicommissis relictis in diem vel in conditionem vt fructus medii temporis quos capiant sibi imputent in Falcidiam: & si non sufficiant Falcidiæ vt id tantũ quod deest detrahant, & vt si superent Falcidiam fructus medii temporis & superfluum quod est sibi habeant, quoniã ita voluit defunctus vt ante diem vel conditionem fideicommissi omnia commoda perciperent & retinerent, locum, inquam, hæc regula habet in omnibus heredibus exceptis filiis. Nam Zeno Imp. in hac *l. iubemus*, excipit filios solos heredes institutos. Itaque in filiis ius hoc singulare est vt si onerati sint fideicommisso hereditatis vel pecuniario vel speciali relicto in diem vel sub conditione in quartam Pe- E gasianam vt dixere veteres IC. vt corriguntur a Iustinia. in quartam Trebellianam quæ & generali nomine dicitur Falcidia non imputent fructus medio tempore perceptos etiamsi specialiter rogati iussiue fuerint a patre vel matre eos fructus imputare in quartam: non omni præcepto parentis obtemperandum est maxime dante lege licentiam non obtemperandi & minuente potestatem patris, sed vt filii retineant omnes fructus medii temporis & hoc amplius detrahant quartam ex rebus ipsis, vel corporibus hereditariis si hereditatem rogati sint restituere in

diem

§. si filius in adopt. & l. extraneo D. de vent. in poss. l. 3. D. de bon. poss. sec. tab. §. 1. instit. de bon. poss. & §. posthumus de leg. Ergo posthumus ne iure veteri per omnia fuit habitus pro incerta persona, quamuis nondum sit & nesciatur an futurus sit aut quis futurus sit, an homo an monstrum, & paulatim etiam discessum est a veteri iure in quibusdam. Nam Senatusc. concessũ est vt ciuitas posset heres posset institui a libertis ciuitatis, *l. 1. D. de lib. vniuers.* Et alio Senatusconsulto vt ciuitatibus omnibus quæ essent sub imperio pop. Romani fideicommissaria hereditas relinqui posset *l. omnibus D. ad Treb.* Et alio Senatusconsulto, vt & collegiis licitis & corporibus legatum aut fideicommissum speciale aut vniuersitatis relinqui possit, *l. cum Senatus de reb. dub. l. 3. tit. sequ.* Et certatim deinde Constant. principum Christianorum vt & Ecclesiæ relinqui possit & pauperibus, id est corpori pauperum ciuitatis & captiuis vt redimantur ab hostibus, *l. 1. & l. generali supr. de sacros. Ecclesiis l. id quod l. nulli l. si quis ad declinandam sup. de Epis. & cler. & Nou. 131.* Et tandem generaliter Constit. huius tit. Iustinia. decreuit valere legata relicta quibuscumqne incertis personis aut corporibus licitis & collegiis licitis & posthumo alieno, quia & posthumum alienum heredem institutum non tantum iure prætorio ad bona venire posse, vt olim, sed etiam sine auxilio prętoris hereditatem adire posse iure ciuili. Et excępit Iustinian. tantum tutorem nec enim voluit incertam personam recte tutorem dari, quia certo consilio debet quisque de tutela posteritati suæ consulere. Et ita in *l. tutor incertus D. de test. tut.* Et hæc satis erit adnotasse ad hunc tit. Pergamus ad tit. 49.

subire quid hæc est, ex iis, & opinor legendum ex 12. tabul. vel ex 12. simpliciter vt alias ostendi 1. de legibus circa finem, *nec lege Mamilia singuli sed ex iis tres arbitri fines regemus.* Ita esse legendum ex 12. *tres arbitri fines regemus*, quod nemo nõ probabit. Et lib. 2. vt est in veteribus iis sacratisq; legibus esse legendum, in veteribus 12. Et sic etiam opinor, in *l. 2. §. omnium de orig. iur.* omnium autem harum esse scribendum omnium autem 12. tabu. & conflatus est error ex notis, qua ratione sit conflatus, ore nõ possum exprimere, manu facile possim, & cuique cupienti ostendam. Authoritate Iustinian. Senatusc. Pegas. transfusum est in Trebell. adeo vt quæ fiebant olim ex Pegasiano veluti deductio Falcidiæ, hodie fiant & fieri dicuntur & venire ex Senatusconf. Treb. atque ita dicimus hodie ex Senatusconf. Treb. ex fideicommisso hereditatis detrahi quadrantem, id est, Falcid. si heres sponte adierit & onera creditorum hereditariorum diuidi inter heredem & fideicommissarium pro quadrante quem retinet & dodrante quem restituit. Ita ut heres quod soluerit creditoribus pro dodrante id a fideicommissario repetere possit *l. 1. hoc titulo*, vel si heres non retineat quadrantem, sed restituat totam hereditatem omnia onera creditorum transferuntur in fideicommissarium, onera autem legatorum vel fideicommissorum specialium semper pertinent ad fideicommissarium, quia ex quadrante, id est, ex Falcidia non debebantur legata, sed quadrans debebatur ex legatis & fideicommissis, *l. vlt. hoc tit. l. 1. §. vlt. D. eod. tit.* Et hoc si dodrans restituatur vel as ex fideicommisso, nam si minor pars hereditatis restituatur, puta, Semis, non tantum onera creditorum sed

in retentione si forte soluantur non in petitione, quia ab A initio iure ciuili inutilia sunt & vt ait illa *l. ex quibus*. Ex quibus causis retentionem habemus non petitionem ea si soluerimus repetere non possumus. Prima fronte illius regulæ hic videtur esse sensus, vt mihi debita quæ retinere possum non petere, si soluam repetere non possum: quo sensu si soluam, id est, si ea non retineam, nec enim proprie soluo quod mihi debetur, sed quod ego debeo. Itaque improprie dixit si soluam vel si soluerimus, & confirmatur ille sensus, *l. si in arca de condict. ind.* Sed vt nulla sit improprietas & ne verbum, soluo, noue vsurpetur & inusitate quasi soluam quod mihi debetur cum id non retineo. Propius vero esse videtur vt eam regulam sic accipiamus. Mihi debita quæ retinere possum non petere, si mihi soluantur per errorem vt is qui soluit ea repetere non possit, quia vtar iure meo si ea mihi soluerit, id est, iure retentio- B nis quod solum mihi competit. Et ita interpretemur verba huius regulæ. Ex quibus causis retentionem habemus petit. non habemus videlicet si alii ea nobis debent ex iis causis ea si nos aliis debeamus & soluerimus repetere non possumus, vt si legatum relictum incertæ personæ soluamus, puta, ei qui primus ad funus venit. licet per errorem, soluamus, id repetere non possumus, quia etsi non habuit legati petitionem, tamen habet retentionem, *d. §. incertis*. Ergo incertæ personæ legatum relictum non est in petitione: idemque est in hereditate, nam incerta persona heres institui non potuit, quia certum esse debet consilium testantis. Et sunt huius iuris vestigia etiam in *d. l. 9. §. heres. D. de hered. instit. l. sciendum de verbo. sig.* Posthumo quoque non semper legari potuit aut non omni iure. Posthumus aut est suus aut alienus siue extraneus. Suus est qui natus C nobis est futurus inter suos heredes veluti filius. Alienus qui natus non est nobis futurus suus heres, licet sit agnatus vel cognatus. Et posthumo quidem suo legari potuit. idemque ...

AD TITVLVM XLIX.

SEXTI LIBRI CODICIS.

Ad Senatuscons. Trebellianum.

HIc tit. proprie pertinet ad hereditates fideicommissarias, de quibus iam actum est supra multis locis, in tit. de fideicommissis quia non est tantum de fideicommissis specialibus, sed etiam de fideicommissis hereditatum. Et de iis duo fuerunt Senatusconsulta Trebellianum & Pegasianum, quorum differentia luculenter explicatur, *in Instit. & in reg. Vlp. tit. de fideicommissis*. Et *in Sent. Pauli tit. de Senatuscons. Pegas.* Prius fuit Senatusc. Trebel. cum nondum lex Falcidia pertineret ad fideicommissa sed ad legata tantum, posterius fuit Senatusc. Pegasian. ex quo l. Falcid. porrecta est etiam ad fideicommissa vel specialia vel hereditatum, *§. sed quia heredes Instit. de fid. hered.* quod significat articulus hodie in *l. 1. §. hodie D. Si cui plusq. per l. Falcid.* Trebel. Senatusc. fuit de transferendis omnibus actionibus ab herede rogato restituere hereditatem, licet iure ipse heres permaneat in fideicommissorum omnibus actionibus tam actiuis quam passiuus, id est, quas heres habet vel quibus obstrictus est. Et placet ratio Senatuscons. quæ proponitur, in *l. 1. D. ad Treb. cum esset æquissimũ*, inquit, *in omnibus hereditatibus si quæ his bonis iudicia penderẽt ex his eos subire in quos ius fructusque transferretur potiusquã cuiquam periculosam esse fidem suã*. Vbi primũ in initio Senat. dum ait, *cum æquissimum esset in omnibus fideicommissariis hereditatibus* ... Illud ... fidei ...